The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

WITHDRAWN

INSTITUTIONES

THEOLOGIAE DOGMATICAE

GENERALIS SEU FUNDAMENTALIS

CONSCRIPTAE

A R. P. ALBERTO A BULSANO

ORD. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCIN. EX DEFIN. GEN. PROVINCIAE TIROL.

DEFINITORE AC LECTORE ETC.

EMERITO

—

Editio IX.

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

230
K72i
v.7

AUGUSTAE TAURINORUM
TYPOGRAPHIA PONTIFICIA ET ARCHIEPISCOPALIS
EQ. PETRUS MARIETTI
1888

Editor sibi vindicat jus proprietatis.

14097

PRAEFATIO

AD EDITIONEM SECUNDAM

Institutiones Theologiae Generalis, seu Fundamentalis, ab infrascripto exaratae fuerunt, ut in Ditionibus Austriacis publicis institutionibus inservirent. Nonnullae ideo materiae, ad Theologiam Generalem spectantes, omittendae erant, quae ibidem in aliis disciplinis theologicis traduntur, et praescriptae brevitatis ratio erat habenda, unde variae difficultates, ab adversariis contra veritates catholicas motae, haud debito modo expendi et refutari poterant. — Cum autem nunc, annuente Reverendissimo Patre Ministro Generali Nicolao a S. Ioanne, eaedem Theologiae Generalis Institutiones Taurini denuo typis mandentur, ea quae desunt, supplere, et menda, quae in primam editionem irrepserunt, corrigere studui.

Systematicum quoque ordinem ex parte immutavi, ita ut in praesenti editione in parte secunda de Revelationis existentia tantum, et in parte tertia de principio Religionis christianae constitutivo et regulativo agatur. Caeterum nil aliud desidero, nisi ut per exiguum laborem meum gloria Dei et salus animarum promoveatur.

Bulsani, die 18 sept. 1860.

Fr. ALBERTUS KNOLL

Capuccinus Ex-Definitor Generalis.

PRAEFATIO *

Cum nostris temporibus non pauci scriptores inveniantur, qui non solum falsa quaedam dogmata in vulgus spargunt, sed ipsius Religionis Christianae et praesertim Ecclesiae Catholicae fundamenta impio conatu evertere tentant, maximi profecto aestimanda est ea Theologiae Catholicae pars, quae *Dogmatica Generalis*, aut (forte melius) *Theologia Fundamentalis* nuncupatur, et in qua non solum Religionis Revelationisque possibilitas et necessitas, sed etiam factae revelationis existentia, i. e. Religionis Christianae veritas et Ecclesiae Catholicae auctoritas comprobantur.

Haec eadem Theologiae pars caeterarum disciplinarum theologicarum basin constituit, qua sublata et istas corruere necesse est. Sapientissimo itaque consilio supremi Studiorum in Austria Directores iam anno 1843 decreverant, ut Theologia Dogmatica Generalis a speciali separaretur, et statim in Theologiae limine traderetur. Hac de causa etiam optaverant, ut una cum Encyclopedia theologica Institutiones Theologiae Dogmaticae Generalis exararentur, quae publicis praelectionibus inservirent, et in quibus falsa praecipue recentioris Philosophiae principia refutarentur, illa autem, quae in aliis disciplinis theologicis pertractantur, e. g. de authenticitate et integritate S. Bibliorum etc. omitterentur.

Quantum mihi futura haec in Studiis theologicis innovatio placuit, tantum mihi etiam persuasum fuit, ad postulatum eiusmodi opus elucubrandum mihi tum tempus tum vires deesse. Sed a pluribus excitatus, et ab iis quoque, quibus obediendum erat, impulsus, manum operi admovi. Omnis conatus meus in hac elucubratione eo tetendit, ut veritates summi momenti, quae pertractandae erant, tum *clare proponerem*, tum *solide probarem*, tum *contra praecipuas adversariorum obiectiones strenue vindicarem*. — Ad finem hunc, quidquid in Theologis tum antiquioribus tum recentioribus boni repereram, colligere et scriptis meis inserere non haesitavi. Haud necessarium tamen putavi, omnes, qui circumferuntur, errores recensere, cum quotannis novi emergant; sed persuasum mihi est, in ipsis veritatibus rite declaratis et solide probatis optimum contra omnes errores, qui proponi possunt, praesidium haberi.

Tractationem systematicam quod attinet, elegi talem, qualis mihi tum indoli tum fini pertractandae scientiae maxime consentanea videbatur. Nam ad Theologiam Generalem spectat, tum nexum inter Philosophiam et Theologiam ostendere, tum Theologiae positivae, quae in varias disciplinas dispescitur, prima fundamenta iacere. Quapropter *prima Theologiae Generalis pars* est *rationalis*, et in Theoria rationis de Religione et Revelatione consistit. Hac absoluta gressus fit ad Theologiam positivam, cuius principium tum constitutivum tum regulativum evolvendum venit, ut appareat, et unde et qua ratione veritates, in Theologia positiva per-

* Praemissa edit. Oeniponti 1852.

tractandas, aurire oporteat. Principium autem *constitutivum* Theologiae positivae est ipsa *Revelatio*, cujus idcirco existentia probanda est, et fontes assignandi sunt, quod utrumque in *secunda parte* praestatur. Principium autem *regulativum*, quod ipsa Revelatione duce investigandum est, duplex distinguitur: *primarium*, quod est *Ecclesia*, et *secundarium*, quod est *Ratio*. De utraque *tertia pars* agit. Verum quidem est, quod in hoc systemate de S. Bibliorum divina inspiratione et canone agatur, priusquam infallibilis Ecclesiae auctoritas sit comprobata: sed quia Protestantes, quibuscum nobis praecipua hisce in materiis controversia est, tum canonem S. Bibliorum tum divinam eorundem inspirationem maxima ex parte admittant, Traditionem vero, quae pro tractatu de Ecclesia summi momenti est, ceu fontem Revelationis negant, adoptati systematis ratio non videtur esse carpenda.

De caetero Dogmatica Generalis idiomate latino exaranda erat, quo idiomate in Ditionibus Austriacis pleraeque disciplinae theologicae tradi consueverunt, a qua laudabili consuetudine eo minus recedendum mihi videbatur, cum Reverendissimi Episcopi Austriae, Viennae congregati, recentissime decreverint, ceu linguam Studiorum theologicorum idioma latinum esse retinendum. Et merito! Hoc enim idioma ipsius S. Ecclesiae usu quasi sacratum est; in eodem per multa saecula Institutiones theologicae tum conscribi tum tradi consueverunt, ita ut Theologiae Candidati non uni tantum nationi, sed universis quodammodo populis inservire potuerint. Denique termini ad recte enuntiandas theologicas veritates in idiomate latino magis accurati et adaequati, et ipsius Ecclesiae Catholicae ac Theologorum Catholicorum auctoritate approbati inveniuntur, quibus non satis concinno modo etiam auctores Germanica lingua scribentes ita ac toties uti solent, ut latinae linguae ignarus istorum opera vix aut ne vix quidem intelligere valeat.

Et nunc, cum ea, quae iam ante tres annos conscripseram, non tam ex mea, quam ex meorum Superiorum voluntate typis mandentur, verbis utór Theodoreti, qui Praef. in Psalm. scribit: « Quae invenire potuimus, » omnibus sine invidia proposuimus, et quae a Patribus nostris didici- » mus, posteris nostris afferre studuimus. Hoc unum a lectoribus postu- » lamus, ne furti nos insimulent, si quid, quod a Patribus dictum sit, » hic invenerint. Hoc enim non furtum appellari debet, sed haereditas. » Laborem suscepimus, lectoribus, ut arbitror, haud inutilem; quam ob » rem eos, qui sine labore laborum nostrorum fructum sunt percepturi, » rogatos volumus, ut nobis pro laboribus nostris orationes impertiant » suas. Quod si minus accurata videbitur explicatio, laborem saltem boni » consulant, et quae desunt, ipsi doceant. » — « Quippe non vincimur, ait » S. Cyprianus, quando nobis offeruntur meliora, sed instruimur. »

Romae in festo Cathedrae S. Petri Romanae, anno 1849.

AUCTOR.

INTRODUCTIO

IN THEOLOGIAM

§. 1.

Cuiuslibet Scientiae studium suscipienti, perutile est, mox ab initio exponere, quid ea sit, quibus partibus constet, quibus scientiis adiutricibus nitatur, et quo has omnes ordine ac modo et tradi oporteat, et disci. — Magnum idcirco Theologiae Candidato emolumentum praebet.

I. *Encyclopaedia*, quae notionem Theologiae evolvit, eius partes declarat, earumque nexum ostendit; — atque

II. *Methodologia*, quae modum exponit, quo disciplinae theologicae tradendae sunt.

Si vulgare placeat exemplum, ait Cl. *Dobmayer*, ituro per vastam Theologiae regionem tironi *Encyclopaedia* omnes eius partes veluti in tabula geografica uno obtutu contemplandas proponit; *Methodologia* autem viam rectam, facilem, et securam ostendit (1).

CAPUT I.

ENCYCLOPAEDIA THEOLOGICA.

§. 2.

Ratio nostra in ipsa obiectorum, quae considerat, multiplicitate unitatem videre cupit, et de agnita partium harmonia delectatur. — Ut igitur gravissimum Theologiae studium amoenius reddatur, et cum maiori fervore, et alacritate suscipiatur, convenientissimum est; variarum disciplinarum theologicarum nexum et harmoniam ostendere. Id praestat *Encyclopaedia*, dum 1) genuinam *Theologiae notionem* evolvit, 2) illiusque *divisiones* sic proponit, ut omnium partium intimus nexus appareat, et 3) *momentum* ostendatur.

(1) Syst. Theol. T. I. §. 4.

§. 3.

Notio Theologiae etymologica.

Theologia, si nomen spectetur, est sermo, seu scientia et doctrina de Deo; componitur enim ex duplici vocabulo graeco Θεός et Λόγος. Haec autem vox non sermonem tantum significat, sed et rationem, et scientiam, vel etiam doctrinam, seu usum, et tractationem dicendi.

Nota. Nomen Theologiae in vario sensu adhibitum fuit: 1) Iam apud Gentiles haec vox invenitur ad ipsorum doctrinam de diis, eorum natura, et historia denotandam. Sic Pherecydes Syrus librum suum, de rebus divinis agentem, teste Iosepho Flavio (2), hoc nomine insignivit. Plato quoque (3) et

(2) C. Appion. L. 1. c. 2.
(3) Lib. 1 de Republ.

Aristoteles (1) Metaphysicam, quae tractat de naturali Dei cognitione, Theologiam appellabant. Generatim triplex apud gentiles celebratur Theologia, *fabulosa* Poëtarum, *naturalis* Philosophorum, et *civilis* tum Sacerdotum, tum populi, ut ex Varrone tradit S. Augustinus (2).

2) In aevo christiano SS. Patres Theologiae nomen sumpserunt pro doctrina de sanctissima Trinitate, vel de divina Christi natura, cum doctrinam de humana Christi natura, seu de incarnatione *Oeconomiam* appellarint. Ideo S. Ioannes Evangelista, et S. Gregorius Nazianzenus, qui de divinitate Christi clarissime disseruerunt, per antonomasiam Theologi sunt vocati. Nonnulli autem christiani doctores Theologiam in sensu iam latiori sumentes, per illam intellexerunt doctrinam, Deum verum, eiusque cultum spectantem (3), vel etiam theoreticam de universa Religione institutionem (4).

3) A saeculo XI et seq. postquam Scholastici integram Religionis christianae doctrinam amplissimis voluminibus tradere, et philosophice illustrare coeperunt, et Abaelardus Saec. XII breviarium doctrinae Religionis Theologiam christianam inscripserat, significatio vocabuli Theologiae admodum dilatata est, et per illud omnis doctrina de Deo, de religione, et de obiectis cum erudita, et solida religionis cognitione proxime connexis, systematice coordinata, — designata fuit, adhucque designatur.

§. 4.

Notio Theologiae realis.

Theologia, in sensu reali sumta definiri potest: Scientia Dei, se, regnique sui moralis constitutionem nobis manifestantis.

Nota. 1. Centrum, ad quod tota Theologia collimat, Deum esse ipsa vox innuit. Pulcre Thomas Aq. dicit: « Theologia a Deo docetur, Deum docet, et ad Deum ducit (5). » Deus autem non solummodo, prout est in se, sed etiam in relationibus moralibus erga nos, ex quibus Religio exsurgit, cognoscendus est. Antiquiores ideo Theologi Theologiam dixerunt, Habitum scientificum de Deo, rebusque ad Deum pertinentibus (6). Recentiores illam definiunt ceu complexum veritatum Religionis ex certis principiis deductarum; subiective autem sumtam eandem appellant cognitionem Religionis eruditam (7). Omnes autem relationes morales, et universa quae Religionem et Ecclesiam a Deo institutam concernunt, sub idea regni divini moralis comprehenduntur (8).

Nota. 2. Theologia nomine Scientiae omni iure insignitur. — Ex principiis enim certis, et immotis per legitimam consequentiam propositiones deducendi habitus Scientia est secundum Philosophos. Theologiae ergo eo magis hoc nomen competit, quo certiora sunt principia, ex quibus veritates theologicae deducuntur (9).

§. 5.

Divisio Theologiae ratione fontium.

Deus se, sua attributa, sua opera, sua consilia, regnique sui moralis constitutionem manifestat, — vel per *rationem*, quam ad indagandas, cognoscendasque veritates nobis concessit, vel per *revelationem*, qua extraordinario et supernaturali

(1) L. 10. Met. c. 6.
(2) L. 6. de civ. Dei c. 5.
(3) Augustin. de civ. Dei Lib. 8, c. 1.
(4) Theodoret. Quaest. in Genes. 9.
(5) P. I. Q. 1 art. 7
(6) Cf. Wiest. T. I. §. 11.
(7) V. Liebermann T. I. §. 1.
(8) Cf. Galura *Neueste Theologie* T. I. Dobmayer T. I. §. 10.
(9) Cf. S. Thom. Aq. Lib. III Sent. Dist. 33. Q. 1. art. 2.

modo nos instruere dignatur. Scientia, quae veritates ad Deum, regnumque ipsius morale spectantes ex sola ratione evolvit, Theologia *naturalis*, seu *rationalis*; Scientia, quae easdem veritates ex Revelatione haurit, Theologia *positiva*, seu *revelata* nominatur.

Nota. Cum Deus nos per duplex medium, nimirum per rationem, et revelationem ad finem nostrum perducere velit; ideo Theologia naturalis et positiva intime cohaerent, et una alteram exigit, iuvat, atque sustentat. Theologia naturalis non incongrue dici potest *Paedagogia* ad revelationem divinam, quae ad hanc viam sternit, et discentem praeparat, licet de reliquo, ut suo loco dicetur, valde imperfecta sit, et ad salutem sempiternam consequendam non sufficiat (1).

§. 6.

Divisio Theologiae ratione ambitus.

Theologia pro ambitu, in quem extenditur, recte dividitur in *generalem* et *specialem*. Theologia generalis veritates a Deo in ordine morali manifestatas pertractat, quae ad omnes disciplinas theologicas referuntur, earumque fundamenta constituunt; quamobrem non incongrue *Theologia fundamentalis* appellari potest. Haec enim Theologia rationalem Religionis, et Revelationis theoriam evolvit, Religionis revelatae existentiam probat, et non solum illius fontes assignat, sed et eiusdem Interpretem, et Iudicem authenticum, ac infallibilem ostendit, ut tuto, et sine erroris periculo salutares doctrinae ex illa erui possint. Hasce autem saluberrimas doctrinas eruit, et pro varietate materiae in variis disciplinis pertractat *Theologia specialis*.

Nota. Si liceat totam Religionem revelatam magnificae domui comparare, *Theologia generalis* non solum oculis viatoris illam commonstrat, sed et aditum aperit, et ingressum docet: Theologia autem *specialis* varia interna cubicula inspicienda praebet.

(1) Cf. Wiest. §. 10

§. 7.

Divisio Theologiae specialis.

Divisio Theologiae specialis peti commode potest ex *forma* et *materia* Revelationis. — Per formam Revelationis intelligitur *modus*, quo Deus se, suique regni moralis constitutionem extraordinaria via nobis manifestavit. — Per materiam Revelationis veniunt ipsae *veritates* nobis divinitus patefactae, Deum ipsiusque regni moralis constitutionem nobis ostendentes. — Ex forma Revelationis deducuntur disciplinae theologicae, quae totius *Theologiae subsidia* constituunt; ex materia Revelationis ipsae *partes Theologiae specialis* desumuntur.

§. 8.

A. Subsidia Theologiae.

Deus ut pro sua infinita misericordia doctrinam salutis nobis patefaceret, homines sanctos elegit, qui per divinam inspirationem ab omni errandi periculo immunes facti libros sacros conscripserunt, quorum collectio *S. Scriptura*, seu per antonomasiam *Biblia* dicitur, quam ideo recte cognoscere, et sedulo scrutari Theologum decet. — Solida autem argumenta probant, non totam doctrinam revelatam in S. Scriptura inveniri, sed multa, quae ad fidem spectant, oretenus solum tradita fuisse, quae postmodum non quidem ab Auctoribus hagiographis, sed ab aliis doctrina, et sanctitate praestantibus viris, qui ideo Ecclesiae *Patres* et *Doctores* iure vocantur, conscripta sunt. Constat prae-

terea ab ipso revelationis Auctore *Ecclesiam* institutam esse, quae, omni tempore immota persistens, doctrinam revelatam ceu bonum depositum custodit, declarat, et fidelibus ad credendum proponit. Quamobrem ad rectam Theologi faciem acquirendam, praeter Biblia et alia monumenta inspicere, et *Ecclesiae Historiam* probe nosse oportet. — Licet autem Deus nobis per Revelationem subvenerit, noluit tamen, ut nos prorsus abdicemus usu rationis, quae semper ceu egregium Creatoris donum consideranda est, et recte adhibita etiam circa Religionem revelatam inveniendam, illustrandam, tradendam, et defendendam multa praestare potest, et debet. Quare necesse est, ut Theologus rationem suam excolat, et diligentem *Philosophiae* operam navet. — Sic ex considerata Revelationis forma colligitur, tria esse praecipua Theologiae subsidia, nimirum: 1) *studium biblicum*, 2) *studium historicum*, et 3) *studium philosophicum*.

Nota. Varia sunt, quae remote Theologiam iuvant, e. g. Studium linguae latinae, Philologia, Historia universalis, Iurisprudentia, etc. etc. (1). Haec autem subsidia, omnibus scientiis communia, stricte non spectant ad Encyclopaediam theologicam, in qua sufficit exponere subsidia, quae propius, et specialiter ad Studium Theologicum requiruntur (2).

§. 9.

I. Studii biblici.

A. *Notio.* Disciplina, quae non solum libros divina inspiratione conscriptos cognoscendos praebet, sed etiam eorundem authentiam, et auctoritatem probat, rectamque interpretationem docet, *studium biblicum* appellatur.

B. *Divisio.* Libri sacri tum in V. tum in N. Testamento conscripti fuerunt, et exinde ratione obiecti fluit divisio *in studium biblicum V. et N. Foederis.*

1. *Studium biblicum V. F.* pertractat libros ab auctoribus hagiographis israëliticis conscriptos, quibus historia et doctrina regni moralis usque ad Christum continetur. Libri isti in *historicos*, *prophetico*s, et *morales* dividi solent.

2. *Studium biblicum N. F.* pertractat libros ab auctoribus hagiographis christianis profectos, in quibus constitutio regni moralis a Christo praescripta, primaque eius historia exponitur. — Isti comprehendunt quatuor Evangelia, Acta Apostolorum, Epistolas tum Paulinas, tum catholicas, ac tandem Apocalypsin S. Ioannis. Circa libros istos divinos variae tractationes dantur, quae eorundem vel auctoritatem probant vel legitimam interpretationem docent, et ideo *variae disciplinae biblicae* secernuntur, quae vel *remote*, vel *proxime* finem studii biblici promovent.

Remote id praestant:

1. *Archaeologia*, quae populi israëlitici ritus, moresque explanat, quibus cognitis multae locutiones, phrasesque biblicae facilius intelliguntur.

2. *Studium linguarum orientalium*, praecipue linguae haebraicae, et linguae graecae, ut ex ipso textu originali loca biblica dilucidari possint.

Proxime in finem studii biblici conducunt:

1. *Introductio*, quae a) *functione historica* de origine singulorum librorum, de collectione eorum in unum corpus, et de fatis S. textus disserit; b) *functione* autem *critica*

(1) Cf. Wiest T. I. Cap. 5. Staudenmaier Encyclop. T. I. §. 155 etc.
(2) Cf. Dobmayer T. I. §. 48.

S. Librorum genuinitatem, integritatem, et auctoritatem tum humanam ex ingenio, et charactere scriptorum, tum divinam ex peculiari Dei in scriptionem influxu probat.

2. *Hermeneutica* a) *theoretica* seu *docens*, quae legitimae interpretationis regulas praescribit, et b) *practica*, seu *utens*, quae regulas in ipsa S. Librorum expositione applicat, et *Exegesis* dici solet.

C. *Momentum. Introductio*, praecipue quoad functionem criticam, summae profecto tum utilitatis, tum necessitatis est, quia argumenta, quae Theologia generalis pro veritate factae divinae Revelationis profert, genuinitati, integritati, et auctoritati S. Librorum innituntur. — Magna quoque sunt *Hermeneuticae* emolumenta. Quia enim *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*(1); ideo cuivis Christiano, et praecipue Theologo pergratae debent esse disciplinae, quae rectam S. Librorum interpretationem vel remote, vel proxime docent, et iuvant.

Nota. Cavendum tamen est, ne quis putet, per sola subsidia biblica S. Scripturam circa ea, quae fidem moresque concernunt, recte exponi posse, quod tum experientiae, tum dogmati catholico adversatur, quod Ecclesiam ceu authenticum, et infallibilem verbi divini tum scripti, tum traditi interpretem statuit.

§. 10.

II. Studii historici.

A. *Notio ac Divisio.* Studium historicum, quod Theologiae ceu subsidium inservit, ex duplici fine suscipi potest, — vel ut Religionis revelatae, et Ecclesiae a Christo fundatae, fata explorentur, vel ut ipsae veritates a Christo revelatae, et per traditionem ad nos transmissae cognoscantur. Indaganda proinde sunt — tum quae in Ecclesia christiana peracta, tum quae de Religione Christi revelata conscripta sunt.

a) Primum praestat *Historia ecclesiastica*, quae est enarratio pragmatica, et sistematica eventuum memorabilium, qui a tempore Apostolorum ad nostram usque aetatem circa Religionem, et Ecclesiam Christi contigerunt. — Historia ecclesiastica si eventus memorabiles universe comprehendit, *universalis*, at certo eiusmodi eventuum generi, periodo temporis, aut loco alligata *particularis* nominatur. — Quod si ratio temporis habeatur, Historia ecclesiastica dividi potest in historiam *primi aevi* a saeculo primo usque ad saeculum octavum, seu a Christo usque ad Carolum Magnum; *medii aevi* a saeculo octavo usque ad saeculum decimum sextum, seu a Carolo M. usque ad Reformationem; et *ultimi aevi* a saeculo decimo sexto, seu a Reformatione usque ad tempora nostra. — Quodlibet aevum in varias epochas distinguere, et in qualibet epocha de fatis Ecclesiae prosperis, et adversis, de hierarchia, seu regimine sacro, de viris doctrina, et pietate illustribus, de schismatibus, et haeresibus, de conciliis, de disciplina ecclesiastica, de nexu cum societatibus civilibus etc. etc. disserere oportet.

b) Ut autem veritates a Christo revelatae, et per traditionem ad nos transmissae cognoscantur, antiqua monumenta inspicienda sunt, nimirum scripta SS. Patrum, acta Conciliorum, symbola, ritualia, et libri sacramentales Ecclesiarum, atque erudita Theologorum opera, et exinde variae disciplinae historico-theologicae oriuntur, videlicet:

(1) II. Tim. 3.

1. *Patrologia*, quae agit de biographia, bibliographia, auctoritate, lectione, interpretatione, ac usu SS. Ecclesiae Patrum, et Doctorum.

2. *Synodologia*, quae pertractat historiam, auctoritatem, et usum Conciliorum tum generalium, tum particularium.

3. *Symbolica*, quae praeprimis symbolorum in Ecclesia catholica approbatorum originem, auctoritatem, et rectum sensum ostendit, ac dein heterodoxarum Ecclesiarum symbola recenset, et diiudicat.

4. *Archaeologia N. F.* quae agit de antiquitatibus ecclesiasticis, quo nomine veniunt instituta, ritus, et res, quibus vetus Ecclesia in cultu divino usa est.

5. *Historia litteraria*, quae non solum originem, progressus, et vicissitudines disciplinarum theologicarum describit, sed etiam auctores praecipuos, et libros praestantiores recenset, quibus in qualibet theologica disciplina utendum est.

B. *Momentum.* Studium historicum iam in genere magna emolumenta praebet. « Historia enim, ait Ludovicus Vives (1), efficit, ut praeteritis non minus videamur interfuisse, quam praesentibus, illisque perinde uti posse ac nostris. — Historia, si adsit, ex pueris facit senes, si absit, ex senibus pueros. » Id praecipue dicendum est de *Historia ecclesiastica*, quae facta summi pro quovis Christiano momenti enarrat, cum omnibus disciplinis theologicis intime cohaeret, et ad illas recte tradendas non solum utilis, sed et necessaria est (2). Recte igitur dicit Melchior Canus: « Mihi quidem non Theologi solum, sed nulli satis eruditi videntur, quibus res olim gestae ignotae sunt. Multa enim nobis e thesauris suis historia suppeditat, quibus si careamus et in Theologia, et in quavis fere alia facultate inopes saepenumero, et indocti reperiemur. — Certe quantum historiae cognitione Theologus indigeat, vel illi aliunde magno argumento sunt, qui eius ignoratione sunt in varios errores lapsi (3). » — Summi autem momenti pro Theologo catholico est *Patrologia.* Patres enim sunt maiores nostri, viri magni verbo, et opere, bene meriti de Religione, Ecclesia, et humanitate, sunt interpretes S. Scripturae, testes, et custodes traditionis, doctores, et defensores Religionis, sunt duces, et pastores populi christiani, statores disciplinae etc., ad quos provocare catholicis semper solemne fuit. Ideo studium, quod eorundem lectionem, et usum docet numquam satis commendari potest. — Equidem ad traditionem cognoscendam maximi momenti sunt etiam Concilia, Symbola, instituta, et ritus veteris Ecclesiae, non videtur tamen specialis cathedra *Synodologiae*, *Symbolicae*, et *Archaeologiae N. F.* assignanda esse. Pars enim historica harum disciplinarum in historia ecclesiastica, et pars doctrinalis in Theologia dogmatica, et in aliis disciplinis theologicis pertractatur. Idem dicendum est de *historia litteraria*, quae tirones Theologiae docet, ex quibus potissimum operibus solidam variarum disciplinarum theologicarum notitiam haurire possint, et ideo magnum ipsis emolumentum affert. Haec enim partem historiae ecclesiasticae constituit, et quae desunt, in prolegomenis ad quamlibet disciplinam theologicam suppleri possunt.

(1) I. V. de trad. disciplinis.

§ 11.

III. Studii philosophici.

A. *Notio.* Ratio, dum non solum simpliciter res intuetur, sed illarum

(2) V. Xav. Gmeiner Schema Encycl. theol. § 43 et seq.

(3) De loc. theol. l. 11. c. 2.

quoque causam, et naturam, finem, et leges, nexumque indagat, *philosophari* dicitur. Recte ideo *Philosophia* definitur ceu Scientia, quae operationis eorum, quae sunt et fiunt, causam, et naturam, finem et leges, nexumque explorat, et declarat.

Nota. Notionem hanc Philosophiae antiquissimam esse, testatur M. T. Cicero. « Philosophia, inquit (1), nec quidquam aliud est, quam studium sapientiae. Sapientia autem est, ut a veteribus Philosophis definitum est, rerum divinarum, et humanarum, causarumque, quibus hae res continentur, scientia. »

B. *Divisio.* Philosophiae, seu amori sapientiae maxime congruum est, ea potissimum explorare, et declarare, quae tum intellectum, tum animum, seu cor humanum excolere, ac perficere valent. Praecipua exinde Philosophiae divisio fluit in *theoreticam*, quae veritates naturales pertractat, quibus intellectus humanus illustratur, et in *practicam*, quae naturalia iura, et officia expendit, quibus cor humanum excolitur.

Philosophia theoretica varias partes, seu sibi subordinatas scientias complectitur, nimirum:

1. *Logicam*, quae recte cogitandi, seu veritatem cognoscendi regulas praescribit, illasque applicare docet; 2. *Metaphysicam*, quae in *Psychologia* de spiritus humani natura, proprietatibus, et operationibus scitu necessaria tradit, in *Ontologia* notiones veritatesque primas cognitionis humanae exponit, et in *Theologia naturali* Divini Numinis existentiam, et attributa indagat; 3. *Physicam*, quae entium materialium, seu corporalium qualitates, vires, legesque, iuxta quas eorundem activitas dirigitur, explanat.

Nota. Ad Philosophiam theoreticam nonnulli etiam referunt a) *Aestheticam*, quae in natura, et in liberalibus disciplinis pulcra, et sublimia diiudicare docet, Philosophia gustus dicta, atque b) *Mathesin*, quae de corporum quantitate i. e. numero, et magnitudine agit.

Philosophiae practicae praecipuae partes sunt 1. *Ethica*, quae ex principiis rationalibus tum summa moralitatis dictamina tradit, tum officia erga Deum, erga alios homines, et erga se evolvit, tum virtutis media assignat; 2: *Ius naturae*, quod hominis iura tum naturalia, tum socialia, eiusque obligationes ex iuribus aliorum dimanantes, pertractat.

C. *Momentum.* Philosophia Theologo non solum utilis, sed et necessaria est dicenda. Ope enim Philosophiae theoria rationalis de Religione et Revelatione est construenda, et applicanda. Ope regularum criticarum, quae in Philosophia traduntur, tum monumenta, tum facta, quae ad Theologiam spectant, sunt diiudicanda. Et licet in Religione revelata multa dentur, quae a mente finita perfecte comprehendi, et declarari nequeunt, negari tamen non potest, Philosophiam ad veritates revelatas tum illustrandas tum tradendas, tum defendendas magna emolumenta praestare. Ideo S. Iustinus M. (2) dicit: « Est revera Philosophia maximum bonum, et possessio, et apud Deum venerabilis, quae nos ad Deum ducit. » Et Clemens Alex. (3) ait: « Philosophia utilis est ad pietatem, necessario praemittenda ab iis, qui fidem ex demonstratione percipiunt. » Cum magna id circo assiduitate non spuriae, sed verae Philosophiae studio est incumbendum; nam iuxta probatum adagium Philosophia leviter gustata a Deo abducit, sed penitus exhausta ad Deum reducit.

(1) L. 2 de offic. c. 2.

(2) Dial. c. Tryph.

(3) L. 6. Strom.

Nota. Sicut una est veritas, sic una tantum vera Philosophia datur. Pro varia tamen ingeniorum cultura varia diversis temporibus philosophica systemata exorta sunt. Haec autem et antiquiora, et recentiora Theologum cognoscere decet, tum ut opera theologica, iuxta varias philosophicas formas concinnata, recte intelligere, tum ut obiectiones, quae ex Philosophiae abusu contra Religionem revelatam proferuntur, debito modo solvere possit.

§. 12.

B. Partes Theologiae specialis.

Omnis Religio veritatibus fidei, et officiis pietatis continetur. Cum autem Religio naturalis insufficiens sit, ideo Deus Religionem revelatam nobis benignissime concedens, tum veritatis fidei, quas *theoreticas* vocant, tum officia pietatis seu veritates *practicas* manifestavit. Ut autem veritates fidei purae ab omnibus teneantur, et officia pietatis solerter exerceantur, sapientissimus religionis Auctor *ecclesiasticam hierarchiam* instituit, seu sacros Ministros ordinavit, qui tum imperent, tum doceant, tum cultum externum dirigant. — Spectata ergo Revelationis materia Theologia specialis tribus partibus constat, nimirum 1. *Theologia theoretica*, 2. *Theologia practica*, 3. *Theologia hierarchica.*

Nota. Sat communis est divisio veritatum Religionis in *theoreticas*, et *practicas;* illae spectant immediate obiecta fidei, sive obiecta Religionis credenda; hae vero spectant immediate officia Religionis, sive determinant exercitium Religionis. Veritates quidem theoreticae etiam in exercitium Religionis influunt, et veritates practicae simul etiam obiecta fidei existunt. Quoniam autem illae proxime cognitionem, hae vero exercitium Religionis determinant, ideo illae per antonomasiam *veritates fidei,* seu *dogmata credenda* dicuntur, et istae sub nomine *officiorum Religionis* veniunt. Immo cum Deus etiam circa potestatem, iura, et officia ministrorum sacrorum varia revelare dignatus sit, ideo in Theologia hierarchica quoque veritates theoreticas et practicas distinguere licet (1).

§. 13.

I. Theologiae theoreticae.

A. *Notio.* Scientia, quae veritates fidei, seu dogmata de Deo, et de regni ipsius moralis constitutione credenda pertractat, et contra oppositos errores defendit *Theologia theoretica* appellatur.

B. *Divisio* ex ipsa definitione fluit; abit enim Theologia theoretica in *dogmaticam* et *polemicam.*

1. *Theologia dogmatica* est scientia, quae veritates Religionis revelatae theoreticas colligit, rite disponit, clare explicat, et solide comprobat.

2. *Theologia polemica* est scientia, quae errores Religioni oppositos detegit ac refellit, atque adversariorum obiectiones diluit.

Nota. Theologia dogmatica a quibusdam *thetica,* seu *speculativa* nominatur. A Theologia dogmatico-polemica nonnulli secernunt *irenicam,* quae ad pacem inter dissidentes variarum Religionum coetus conciliandam tota comparata est. Cum autem Theologia polemica non litigandi causa suscipiatur, sed ut fideles ab erroribus praeserventur, et heterodoxi ad veritatis agnitionem reducantur, ideo cum irenica convenire videtur.

C. *Momentum.* Si quaevis scientia eo nobilior est quo praestantiores in illa veritates pertractantur, quis dubitabit, *Theologiam dogma-*

(1) Cf. Wiest. Tom. I. §. 15.

ticam excellentissimam esse, quae veritates maxime sublimes de Deo, regnique ipsius moralis constitutione pertractat? — Pro quovis Christiano summi profecto momenti est clara, et solida cognitio theoreticarum Religionis veritatum, quae non solum omnium officiorum fundamenta constituunt, sed etiam efficacissima moralitatis motiva in se continent. — Demum Theologia dogmatica cum reliquis disciplinis theologicis intime cohaeret, ita, ut earundem vel mater, vel rectrix, vel custos iure appelletur. — Nec *Theologia polemica* suo pretio caret, quae contra varios omni tempore gliscentes errores firmum praesidium praebet, quae etiam ex ipsa oppositorum consideratione claritatem, et soliditatem cognitionum auget, et ad rectum characterem theologicum ducit, cuius est et adversarios dogmatum cognoscere, atque refellere, et rem ex omni parte considerare. Non satis ergo Theologiae dogmatico-polemicae studium ministro sacro commendari potest, quem monet Paulus, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere* (1).

Nota. Fuerunt nonnulli, qui Theologiam polemicam separatim a dogmatica tradendam censuerunt. Sed aegre, aut vix potest ita seiungi Theologia dogmatica a polemica, ut dum una argumenta sua adcuratius exponit, in campum alterius non excurrat. Sunt enim sententiae orthodoxae ita colligatae, ac implicitae saepius adversariorum opinionibus, ut sine his explicari illae, aut plene intelligi minime possint. Neque fidei dogmata rite, ut oportet, aut expedite nosse censendus est, qui praecipuas adversariorum obiectiones incognitas habet, aut quid iis respondendum sit oppido ignorat. Sapienti igitur consilio, iuxta systema scholis nostris non ita pridem praescriptum, ambae coniunctae sunt, ac ideo convenientissimum esse censetur, ut veritatibus fidei rite comprobatis illico adversariorum sententiae subiungantur et confutentur (2).

(1) Tit. 1, 9.

§. 14.

II. Theologiae practicae.

A. *Notio.* Scientia, quae officia pietatis pertractat, seu quae theoriam de Deo, regnique ipsius moralis constitutione ad normam vivendi applicat, *Theologia practica*, seu *moralis* dicitur, quae omni iure cum Cl. Stapf definiri potest — solida et erudita expositio eorum, quae nos iuxta dictamina, et instituta Religionis nostrae agere oportet, ut finem nostrum ultimum feliciter consequamur.

B. *Divisio.* Theologia moralis, ut munere suo rite defungatur, non tantum solidam officiorum nostrorum notitiam, sed aptam quoque methodum exhibere debet christianam perfectionem feliciter acquirendi. Unde sua quasi sponte in duas partes abit, 1: in *Ethicam*, seu scientiam officiorum homini incumbentium, et 2. in *Ascesin*, seu artem, qua officiis optime satisfieri, et christiana perfectio facillime acquiri possit. — Ethica in *generalem*, et *applicatam* dividitur: illa tum de ipsa lege morali, tum de nostra ad ipsam relatione universalia principia statuit; applicata vero haec eadem principia ad singula officia deducit. Cum Ethica intime cohaeret, et ab illa, si clare et utiliter tradi debeat, vix separari potest Theologia *casuistica*, quae leges morales ad certa hominum facta applicat, atque num licita sint, an minus honesta, an turpia disquirit. — Ascesis sublimior, quae singularem cum Deo unionem do-

(2) Fejer instit. Theol. dogm. T. I. §. 8. Cf Liebermann T. I. §. 4. n. 2.

cet, et vitam non solum activam, sed et contemplativam dirigit, *Theologia mystica* appellari consuevit.

D. *Momentum.* Nihil homini utilius, nihil pro ipsius tum temporali, tum spirituali, tum aeterna felicitate magis necessarium est, quam perfecta moralitas. Nam *pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae* (1). Scientia ergo, quae rectam vivendi normam praescribit, et perfectam moralitatem docet, excellentissima iure censetur. — Equidem Philosophia quoque practica moralitatem promovere satagit. Ast, praeterquam quod Religio naturalis peccatores cum Deo reconciliare nequeat, moralis christiana longe antecellit philosophiam practicam tum principii cognoscendi auctoritate, et in tantis philosophorum dissensionibus securitate, tum regularum moralium ambitu, claritate, et perfectione, tum incitamentorum ad moralem perfectionem, numero et efficacia, tum fructuum inde manantium ubertate, bonitate et praestantia (2).

§. 15.

III. Theologiae hierarchicae.

A. *Notio.* Scientia, quae ministrorum sacrorum, qui ad Hierarchiam ecclesiasticam a Christo institutam spectant, tum potestatem, et iura ostendit, tum officia exponit, rectumque haec exequendi modum docet, aptissime *Theologia hierarchica* vocatur.

B. *Divisio.* Haec autem duas in se continet disciplinas, nimirum *Ius canonicum*, et *Theologiam pastoralem.*

I. *Ius canonicum* ministrorum sacrorum potestatem et iura, seu imperium sacrum pertractat, manantesque exinde leges ecclesiasticas proponit. Dividitur vulgo iuxta analogiam Iuris civilis in a) *publicum*, quod iura totius Ecclesiae communia complectitur, nexumque imperantes inter et subditos, qua tales, in Ecclesia determinat, vel b) *privatum*, quod privatos, horumque inter se causas respicit. Ius publicum dividi solet in *internum*, quod statum Ecclesiae in se spectatae, et negotia eiusdem immanentia, ut aiunt, exponit; et in *externum*, quod statum Ecclesiae ad alios relatae, imprimis eius cum civitate nexum, et negotia Ecclesiae, quae transeuntia vocant, explicat. Haec tamen divisio non adeo communis est, ut non etiam plures recentiores Auctores alias divisiones adoptaverint, v. g. in Ius Personarum, Rerum, et Iudiciorum ecclesiasticorum etc. (3). Tum iurium, tum legum Ecclesiae erudita, ac solida cognitio *Iurisprudentia sacra* vel *ecclesiastica* appellari consuevit (4).

2. Disciplina, quae ministrorum sacrorum curae animarum addictorum officia praescribit, optimumque ea exequendi modum docet, *Theologia pastoralis* vocatur. Haec a recentioribus dividi solet in *didacticam*, *liturgicam*, et *exemplaricam*. a) *Didactica* de institutione publica, et de adhortatione privata agit, et sub priori respectu distingui potest in *concionatoriam*, quae leges orationis continuae religiosae coram integro adultorum coetu habendae tradit; in *homileticam*, quae S. Scripturam ad aedificationem populi exponere docet; et in *catecheticam*, quae homines religionis notitia nondum, aut minus cultos, praesertim pueros, et adolescentiores in christianae re-

(1) I. Tim. IV, 8.
(2) Cf. M. Schenkl Ethic. christ. T. I. §. 24. A. J. Stapf Epitome Th. mor. T. I. §. 14.
(3) Ioan. Devoti Instit. Can. L. I. Tit. I. §. 1.
(4) M. Schenkl Instit. iur. eccl. T. I. § 52 et seq.

ligionis fundamentis, fidei, morumque dogmatibus recta methodo eruendi regulas proponit. b) *Liturgica* ministro sacro ostendit, quomodo SS. Sacrificium celebrare, Sacramenta administrare, et reliquas functiones sacras peragere debeat. c) *Exemplarica* boni exempli officium, quod omnibus regni moralis civibus, atque pastori maxime proprium est, suis ex rationibus commendat, modumque eius praebendi negative, ac positive determinat (1).

C. *Momentum.* a) Tum iurium, tum legum ecclesiasticarum recta cognitio summae profecto pro sacris praecipuae ministris et utilitatis, et necessitatis est. Ad legitima Ecclesiae iura defendenda doctissimi, et piissimi viri dirissimas persecutiones sustinere, imo ipsam mortem quoque tolerare non dubitarunt. Quanta inordinatio in Theologo adesset, si legitima Ecclesiae iura ignoraret, vel temporum praeiudiciis abreptus in illis diiudicandis erraret? — Leges quoque ecclesiasticas, non sine assistentia Spiritus S. (2) in bonum Ecclesiae, et salutem fidelium latas ministrum sacrum accurate nosse oportet, qui non solum illas ipse adimplere, sed et earundem observantiam in commisso sibi grege urgere debet. — b) De pastoralis theologiae praestantia quis dubitabit, cum ipse Spiritus S. in epistolis paulinis ad Timotheum, et Titum summa illius capita revelare dignatus sit? — Ab officiis pastorum rite adimpletis vel maxime populi fidelis salus, totiusque Ecclesiae bonum dependet, ut experientia docet. Si autem nulla ars, nisi antea rite discatur, exerceri perfecte possit, multo magis de munere pastorali id dicendum erit; « ars enim est artium regimen animarum, » ut ait S. Gregorius M. (3).

(1) Dobmayer T. I. §. 45.

CAPUT II.

METHODOLOGIA THEOLOGICA.

§. 16.

Religionis a Deo revelatae cognitio cuilibet homini necessaria est, ut iuxta illius principia, et dictamina vitam instituere, et sic salutem suam spiritualem, ac aeternam consequi possit. Haec autem cognitio maior, et perfectior in illis requiritur, quorum munus, et officium est, aliis quoque Religionis revelatae capita tradere, illamque contra adversarios vindicare. Ut gravissimo huic officio satisfacere queant, omnino opus est, ut habeant Religionis revelatae, et eorum, quae ad ipsam propius spectant, cognitionem *claram, completam, solidam,* et *efficacem.* 1: Oportet enim, ut ipsi *clare* doctrinae capita quoad omnes notas essentiales percipiant, quae si ipsi non recte intelligunt, quomodo ea aliis debito modo communicabunt? — Obscurae cognitioni proximus est error, imo circa ipsam doctrinam iam aberrans dici potest, qui cum illa notas seiungendas coniungit vel coniungendas seiungit. 2: Neque sufficit, unum vel alterum doctrinae caput nosse, sed necesse est, ut omnia, saltem praecipua Religionis revelatae capita cognoscantur; neque enim aliter vita, moresque iuxta illius dictamina institui possent. *Quaecunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, et consolationem Scripturarum spem habeamus* (4). Omnes disciplinae theologicae magni momenti sunt, et intime inter se cohaerent, ita, ut qui unam negligit vix in altera excellere possit: *completa* ergo Religionis revelatae, et eorum, quae propius ad illam spectant, cognitio iure in Theologo requiritur. 3: Ma-

(2) Act. XV, 28. (3) Reg. past. P. I. c. 1.
(4) Rom. XV, 4.

ximi autem momenti est, ut eadem cognitio *solida* sit, firmisque argumentis innitatur, quae intimam mentis persuasionem, et inconcussum assensum producant. Haec doctrinae soliditas nostris praecipue temporibus ministro sacro necessaria est, ut contra plurimos Religioni verae adversantes errores se, aliosque communire possit. 4: Demum Religionis notitia *efficax* quoque sit oportet, quae non solum in intellectu resideat, sed etiam voluntatem moveat ad Religionis divinae dictamina accurate observanda. Sterilis enim cognitio hominem ad finem suum non perducit; et *fides sine operibus mortua est* (1). In Theologo ideo requiritur *agnitio veritatis, quae secundum pietatem est* (2). — Ut autem revelatae Religionis cognitio clara, completa, solida, et efficax obtineatur 1. tum *docentes*, 2. tum *discentes* cooperari, et rite officia sua implere debent, in quibus enucleandis Methodologia versatur.

Nota 1. Summi momenti est, ut disciplinae theologicae tali ordine tradantur, quo una alteri facem praeferat, lucemque affundat. Plurimi quoque interest, ut cuilibet disciplinae pro materiae pertractandae dignitate, necessitate, et ambitu tempus congruum, seu conveniens praelectionum numerus determinetur. Quoniam autem haec omnia non a consilio privato dependent, sed auctoritate publica statuuntur, opus haud est, ut hac de re in Methodologia agatur.

Nota 2. Modum recte docendi, atque discendi iam Logica praescribit, cuius regulae in praesenti Methodologia propius ad disciplinas theologicas applicandae veniunt.

(1) Iac. II, 26.
(2) Tit. 1, 1.
(3) Likawetz Syst. Phil. theor. P. I. § 369.
(4) Cf. Fejer instit. theol. T. I. § 6.

§. 17.

I. Officia docentium Theologiam.

Quo gravius, praestantiusque studium Theologiae iure censetur, eo maioris momenti est, ut illius magister non solum ingenio, scientia, et diligentia polleat, sed et virtutis cultor eximius existat, qui non verbis tantum, sed exemplis etiam iuventutem sibi creditam instituat (3). Hisce autem dotibus insignitus materiam theologicam suae cathedrae commissam 1: *apte disponere* 2: *clare explicare*, 3: *solide comprobare*, et 4: *ad finem tum hominis, tum Ecclesiae promovendum applicare debet.*—

1. Sicut in scientiis rationalibus, ita et in disciplinis theologicis veritates tali ordine collocandae, et connectendae sunt, ut una ex altera fluere videatur, una alteram clariorem reddat, omnesque simul unum quasi corpus, seu unum totum constituant. Talem rite coordinatam, seu systematicam disciplinarum theologicarum tractationem approbat, et exigit *nisus rationis*, quae in unitatem tendit, et harmonia delectatur; *Religionis honor*, qui magis defendi, et *finis*, qui efficacius obtineri methodo systematica potest, *bonum discentium*, quibus disciplinae taliter propositae magis perspicuae, utiliores, iucundioresque sunt, ac firmius memoriae imprimuntur, *genius saeculi*, in quo vivimus, cui chaos informe ac fortuitum adversum est (4). — Methodus systematica distinguitur in *analyticam*, quae a particularibus ad universalia, a conclusionibus ad principia progreditur, et in *syntheticam*, quae ab universalibus ad particularia, a principiis ad conclusiones descendit: illa non incongrue in scientiis applicatur, in quibus rationis ope veritates detegendae, et determinandae sunt, haec autem pro tradenda Religione revelata aptior cen-

setur, in qua veritates iam a Deo patefactae explicandae, et probandae sunt; neque enim veritates suprarationales, seu mysteria per analysin detegi et determinari possunt (1).

2. Cum in Theologia veritates pertractentur, quarum recta cognitio summi momenti est, ideo praeprimis in id intendere, maximamque adhibere diligentiam oportet, ut efformentur notiones genuinae, et, quantum fieri potest, clarae ac distinctae. Propositas ergo theologicas veritates rite explicare, veramque illarum notionem determinare, necesse est. Explicatio autem vel est *verbalis*, quae terminos, qui adhibentur, recte interpretatur, vel *realis*, quae ipsas res, per terminos indigitatas, rite explanat. — Termini *biblici*, seu ex ipsa S. Scriptura depromti, exponi debent iuxta generalis hermeneuticae s. regulas, aliaque recta interpretationis eiusdem adminicula. Termini *ecclesiastici*, seu ipsius Ecclesiae usu, fidei professionibus, conciliorumve sanctionibus civitate donati, suo in sensu exponendi veniunt ex ipsius Ecclesiae annalibus, actisque synodorum. Termini *technici* ex Philosophiae penu, aut a Doctoribus scholasticis in Theologiam invecti, explicari debent iuxta principia Philosophiae, moremque loquendi Philosophorum, et Theologorum illius aevi, quo illi primum in Theologiam invehi coeperunt. — Res autem, seu ipsae veritates per terminos indigitatae exponuntur, illustranturque definitionibus, descriptionibus, et paraphrasibus, tum exemplis, et similitudinibus, quantum rei pertractandae obiectum, et ratio, et summa admittit. — Fatendum sane est, quod in theologicis ubique ideas claras, multo minus distinctas saltem eo modo, prout in multis veritatibus rationalibus habemus, efformare non possimus, id quod luculentum est in mysteriis, quae quoad nexum intrinsecum rationis captum superant. In his ergo nonnisi stricte divinae revelationi insistendum est, optimumque censetur, Theologiae tirones contra oppositos errores, falsosque, qui immisceri possent, conceptus, praemunire. Ex ipsa porro oppositorum cognitione rem ipsam saepissimae clariorem fieri, cuilibet compertum est (2).

3. Veritates Religionis, ut cum firma persuasione suscipiantur, teneantur, ac contra aliter sentientes defendantur, idoneis argumentis probandae sunt. Haec autem argumenta esse debent a) *certa*, quae non ex fontibus dubiis petuntur, novasque quaestiones, et lites excitare valent, b) *perspicua*, ut vis probandi erudiendorum animis clare appareat, quod apto argumentum proponendi modo promoveri potest, c) *solida*, quae rem ex integro evincunt, firmamque persuasionem producunt. Difficultates vero, ac dubia, quae ab adversariis ad enervanda etiam firmissima argumenta proponi solent, apte solvere oportet. Licet porro unicum argumentum, omni exceptione maius, ad veritatem probandam sufficiat, communiter tamen haud supervacaneum censendum est, plura argumenta adduxisse. Non enim quodlibet argumentum pro cuiuslibet captu aeque accommodatum est; persaepe quoque unum argumentum alterum dilucidat, atque sustentat, et generatim plures, diversaeque adductae rationes tum eruditionem, tum persuasionem promovere solent.

4. Si omnia ad finem hominis supremum, nimirum ad ipsius moralitatem, et felicitatem tendere debent, id praecipue de studio theologico di-

(1) Cf. I. Perrone Vol. 9. P. 5. S. 2. c. 2

(2) Cf. Cl. Wiest Method. theol. T. I. P. II. Caput III.

cendum erit. Veritates enim theologicae prae caeteris aptae sunt, non solum ad intellectum excolendum, sed etiam ad cor animumque emendandum, et ad veram pietatem perducendum. Nexus autem veritatum theologicarum cum moralitate, seu usus practicus iunioribus theologiae Candidatis non semper primo intuitu apparet, et ideo a sagaciori theologiae Magistro indigitari debet. Licet enim huius proximum officium sit, rerum theologicarum sibi demandatarum, cognitionem discipulis suis tradere, non minor ipsi de moribus, et pietate cura esse debet, ideoque incorruptam Religionis doctrinam ubique virtutum praeceptis quasi condimento conspergit, parum reputans, si doctos efficeret discipulos, nisi et probos, et sanctos fingeret (1). Cum porro, qui studiis theologicis operam navant, ad curam animarum destinari soleant, ideo ipsis valde proficuum censetur, si veritates theologicas non ad propriam solum, sed et ad aliorum emendationem, ac salutem applicare addiscant, quod quidem fiet, si theoriae pertractatae usus tum *asceticus*, tum et *pastoralis* breviter insinuetur (2).

§. 18.

II. Officia discentium Theologiam

Disciplinas theologicas qui rite addiscere cupit, necesse est, ut praeditus sit *ingenio*, scientiis apto, humanioribus litteris, ac Philosophia exculto, *iudicio* sano, quo vera a falsis secernere, et opportunam perceptarum veritatum applicationem facere queat, ac demum *memoria* fideli, quae veritates saltem praecipuas, magisque necessarias retinere possit. — Hisce dotibus instructus theologiae Candidatus studium theologicum 1: *ex recta intentione aggredi*, 2: *cum prudenti diligentia prosequi*, ac 3: *cum solida pietate, ac morum integritate coniungere debet.*

1. Qui post maturam deliberationem ad excelsum statum sacerdotalem se vocatum cognoscit, studio theologico incumbere debet, ut divinae obtemperet voluntati, ad gravissima status sui futuri munera rite adimplenda se idoneum reddat, et sic Dei gloriam, animarumque salutem promovere queat. — Qui non ex hoc fine studiis sacris insudant, non tam laudari, quam potius reprehendi merentur. Pulcre in hanc rem loquitur *s. Bernardus* (3): « Sunt, ait, qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant, et turpis curiositas est; et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est; sunt item qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, et turpis quaestus est. Sed sunt quoque, qui scire volunt, ut aedificent, et caritas est; et item, qui scire volunt, ut aedificentur, et prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiae, quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut bene faciant » —

2. Quo maioris amplitudinis, graviorisque momenti studium theologicum est, eo maiorem etiam *diligentiam* exposcit, sine qua ne maxima quidem ingenia, experientia aste, ad perfectam Theologiae notitiam pervenire possunt. Diligentia autem a *prudentia* regi, et ordinari debet, quae theologico studio incumbentibus sequentes praecipue regulas praescribit. — a) Praeprimis rectus studiorum ordo servandus est. Nec omnia simul sibi discenda proponant candidati, nec ad unum tantum mentem continenter applicent; nimia rerum multitudine mens obruitur, uni autem longiori tempore affixa hebescit potius, quam acuitur,

(1) V. Liebermann T. I. §. 6.

(2) V. Dobmayer T. I. §. 59 et seq.

(3) Serm. 36 in Cant.

b) Ad publicas praelectiones semper accedant praeparati, illis attente assistant, et quae pertractata sunt, postmodum mente retractent. c) Scriptioni assueti et semper calamo quasi armati, annotent, quae audierunt meliora, excerpantque legendo. d) Legant auctores non multos, sed optimos, et, quae in his sunt optima, sedula lectione, et meditatione digerant, mentemque nutriant vitali succo. e) Caveant a praeiudicio eorum, qui vel omnes auctores veteres contemnunt, vel de omnibus recentioribus male sentiunt, sed omnia probent, et quod bonum est, teneant, ut ex thesauro suo proferant nova et vetera. — f) Diligentia licet assidua sit oportet, non tamen ita limites transcendere debet, ut grave nocumentum sanitati inferatur, qua deficiente ipsa scientia inutilis reddi solet, vel ut religionis exercitia, cuilibet Christiano convenientia impediantur, quae ad maius bonum diriguntur (1).

3. Summi profecto momenti est, ut qui studio theologico incumbunt, veram pietatem sectentur, et ad moralem perfectionem tendant. Frustra namque ad scientiam ingenio, labore, industria nitimur, nisi animum afferamus a vitiis, et pravis affectibus vacuum, pleno autem Dei, et virtutum amore. « Errat, ait *s. Augustinus* (2), quisquis putat, veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat; nam *in malevolam animam non introibit sapientia.* (3)». Ita enim arctissime connexa sunt studia virtutis, et scientiae, ut si fortassis sine virtute haberi possit umbra aliqua doctrinae, ipsa doctrina, qualis ea in theologo esse debet, sana, et sancta haberi profecto neutiquam possit. Hinc *S. Cyrillus Alex.* (4) inquit: « Quod si (mens humana) crassior facta fuerit, nunquam divinam pulcritudinem contuebitur, et in his, quae magis terrena sunt residebit, similis passeribus complutis, madefactione a subvolando in sublime prohibitis. » Et *S. Gregorius Naz.* (5) Theologiae studiosum bene monet his verbis: « Per vitae probitatem ascende: per purgationem eum, qui purus est, adipiscere. Vis Theologus fieri, ac divinitate dignus? Serva mandata; per Dei praecepta incede; actio enim gradus est ad contemplationem.» Porro Theologi est, etiam alios docere Religionem, atque exemplum docentis doctrinae eius maximum pondus addit, maximumque robur, et e contrario, si vita doctrinae non respondeat, facile continget, ut existiment quamplurimi, Religionis doctorem rem serio non agere, adeoque verbis eius fidem non habeant (6).

(1) Cf. Liebermann, t. I. Proleg. c. 5, art. 2, et Cl. Wiest, . I. Method. Cap. V et VI.
(2) L. de agon. ch. c. 15.
(3) Sap. XIV.
(4) Dial. de Trin. lib. I, c. I.
(5) Or. 20 (al. 29.), n 12.
(6) Cf. Cl. Staudenmaier, *Enzyklopädie-Einleitung* § 120, etc.

THEOLOGIA GENERALIS

§. 19.

Theologiae generalis notio.

Theologia generalis veritates a Deo in ordine morali manifestatas pertractat, quae ad omnes disciplinas theologicas referuntur, earumque fundamenta constituunt. — Quaevis sane scientia, ut rite construatur, solido fundamento indiget. Cognoscere nimirum oportet imprimis illius tum *principium constitutivum*, seu fontem, ex quo, tum *principium regulativum*, seu modum, quo veritates pertractandae hauriri debeant. — Si autem de disciplinis agatur, quae Theologiae specialis partes efficiunt, harum *principium constitutivum* est ipsa Revelatio divina, *principium* autem *regulativum primarium* est infallibilis Ecclesiae auctoritas, et *secundarium* est ratio humana. De hoc duplici principio agendum venit in Theologia generali, quae ideo etiam dici potest Scientia, Theologicarum disciplinarum principium tum constitutivum, tum regulativum pertractans.

Nota. Quae ad Theologiam generalem pertinent, hucusque in Theologia dogmatica pertractata sunt, quae ideo in generalem, et specialem dividi consuevit. Sed cum iam illa ab hac seoaratim tractatur, sub nomine *Theologiae generalis*, seu *fundamentalis* a reliquis Theologiae specialis partibus satis secernitur.

§. 20.

Theologiae generalis divisio.

Theologia generalis tribus partibus constat:

I. Pars rationalem de Religione, et Revelatione theoriam evolvit, per quam ad Religionem divinitus revelatam et agnoscendam, et recipiendam praeparamur.

II. Pars, quae principium Theologiae constitutivum pertractandum assumit, de ipsa nobis a Deo O. M. benignissime facta *Revelatione* agit, cuius a) tum *veram existentiam* probat, b) tum *fontes* assignat, in quibus saluberrima doctrina divinitus patefacta continetur.

III. Pars, quae principium Theologiae regulativum tum primarium, tum secundarium explanat, — a) authenticum et infallibilem Revelationis interpretem, ac fidei controversiarum iudicem in *Ecclesia* a Christo instituta exhibet, quam recte cognoscere, et ab omni alia Ecclesia falsa secernere docet, b) atque praeterea principia, et regulas proponit pro *recto rationis usu in Religionis*, *ac Theologiae negotio*, circa quod rationi iura quidem concedenda, sed et limites praescribendi sunt

Nota. Prima pars, quae *philosophica* est, Atheos, Pantheistas, Naturalistas etc. oppugnat. Secunda pars, quae *veritatem Religionis christia-*

nae probat, Ethnicos, Iudaeos, Mahumedanos, et omnis generis infideles refutat. Tertia pars, quae *veritatem Ecclesiae catholicae* defendit, contra omnes haereticos, seu spuriae Ecclesiae asseclas dirigitur.

§. 21.

Theologiae generalis momentum.

1. Summi *pro quovis homine* momenti est ut veram Religionem divinitus revelatam cognoscat, Ecclesiamque sciat, quae illius doctrinam integram et inviolatam tenet, et tradit. Hanc enim non solum credendo, sed etiam observando finem suum consequi, seu salutem operari potest. Ut autem iuxta Religionis revelatae dictamina mores instituantur, solida cognitio, et firma persuasio de illius veritate requiritur. — Quis igitur non videt, Theologiam generalem pro quovis homine summi momenti esse?

2. Maioris autem et utilitatis et necessitatis est Theologia generalis *pro Theologo*. Omnes enim disciplinae theologicae illi ceu fundamento incumbunt, quo sublato non solum titubant, sed et corruunt. Quodsi singulae magnum in se pretium habent, quanti pretii, quantique momenti dicendum erit illarum fundamentum!

3. Maxime autem solida Theologiae generalis pertractatio necessaria fit *ex tristi conditione temporis nostri*, quo plurimi Religioni revelatae, et Ecclesiae a Christo institutae adversantes errores circumferuntur, subdolis sophismatibus propugnantur, et sub larva Philosophiae venditantur, ita ut indocti et incauti facili modo decipiantur. Valde ideo necessarium est, ut in Theologia generali non solum firma pro Religionis revelatae, et Ecclesiae, a Christo institutae, argumenta proponantur, sed et errores oppositi solide refellantur.

THEOLOGIAE GENERALIS

PARS I.

THEORIA RATIONIS DE RELIGIONE, ET REVELATIONE

Sectio I.

THEORIA RATIONIS DE RELIGIONE

§. 22.

Ordo dicendorum.

Ut haec theoria systematice, et solide proponatur, 1) praeprimis genuina *Religionis notio* evolvenda, et *divisio* declaranda est, 2) dein *de Deo Religionis auctore*, et 3) de *homine Religionis subiecto* disserendum venit, ut exinde Religionis, 4) tum *possibilitas*, tum *necessitas* eruatur. — Porro verae Religionis 5) *rectus Spiritus* ostendendus, 6) *praestantia ac utilitas* propugnanda, et 7) *universalitas* exhibenda est, ex qua Regnum divinum morale exsurgit.

Nota. Haec omnia contra Atheos, et Pantheistas, qui uti verum Deum ita et veram Religionem negant, contra

Scepticos, qui de omnibus dubitant, et contra Indifferentistas, qui de Religione curandum non esse autumant, diriguntur. Istorum etenim errores, sicut ex falsis rationis principiis deduci solent, ita per recta rationis principia confutandi sunt.

CAPUT I.

RELIGIONIS NOTIO, AC DIVISIO.

§. 23.

1. Religio est coniunctio moralis hominis cum Deo. Dicitur *coniunctio moralis*, ut distinguatur a relatione physica, qua creaturae omnes rationales aeque ac rationis expertes, a suo creatore, et gubernatore pendent. Coniunctio moralis ea est, qua creaturae ratione, ac libertate praeditae Deo ceu Legislatori suo sancto, et Iudici iusto subiiciuntur. Haec relatio veritatibus per intellectum cognoscendis innititur, et officiis libere adimplendis absolvitur.

Nota. Religionis etymon, licet a variis varie explicetur, optime tamen a verbo *religare* derivatur. *Lactantius* de religione disserens ait: « Hoc vinculo pietatis obstricti, Deo *religati* sumus, unde ipsa religio nomen accepit, non ut Cicero interpretatus est, a relegendo. — Diximus, nomen Religionis a vinculo pietatis esse deductum, quod hominem sibi Deus religaverit, et pietate constrinxerit, quia servire nos ei, ut Domino, et obsequi, ut patri necesse est (1).» Adstipulantur Lactantio *Hieronymus* (2) et *Augustinus* (3) dicens: « Uni Deo religantes animas nostras, unde religio dicta creditur.» — Caeterum, quidquid sit de huius etymologia vocis, adductam Religionis notionem tum antiquiores, tum recentiores viri cordati commendant (4).

(1) Inst. div. L. 4, c. 28.
(2) In Amos c. 9.
(3) L. 1. Retract. c. 13.
V. J. M. Sailer. *Grundlehren der Religion: zweite und dritte Vorlesung.* Cl. Klee, *kath. Dogmatik* T. I. c. 2. *Staudenmaier Enzyklopädie der theolog. Wissenschaften erster Theil* §. 202.

2. Religio — *obiective*, prout est in se, — et *subiective*, prout residet in homine, considerari potest. *Obiective* sumta Religio est Summa veritatum et officiorum relationes morales Deum inter, et homines determinantium. *Subiective* Religio est virtus residens in homine-relationes istas et agnoscente, et perficiente. — Religio obiectiva ceu summa veritatum, quae relationes inter Deum et homines clare, et accurate determinant, *Religio theoretica*, ceu summa officiorum, quae ex relationibus praefatis deducuntur, et adimplenda praescribuntur, *Religio practica* nominatur. — Subiectiva Religio quatenus internis mentis nostrae actibus constat, *interna*, quatenus externis signis exprimitur et promovetur, *externa* vocatur. — Demum si summa veritatum et officiorum relationes morales Deum inter et homines determinantium ex sola humana ratione hauriatur, *Religio naturalis* prodit, si autem a Deo ipso extraordinario modo manifestatur, *Religio revelata* dicitur.

§. 24.

Censura aliarum Religionis definitionum.

Ad traditam Religionis notionem uberius firmandam alias notiones examinare oportet, quas *recentiores* tum *Philosophi*, tum *Theologi*, de Religione proponunt.

I. Recentiores Philosophi varie Religionem definiunt. a) *Kant* Religionem esse dicit cognitionem nostrorum officiorum ceu mandatorum divinorum. — Ast 1) haec definitio nec obiectivae Religioni, ad quam non pertinet cognitio, nec subiectivae, cui non sufficit cognitio, convenit. 2) In hac definitione pars theoretica omittitur, sine qua practica non con-

sistit, quoniam officia determinare non possumus nisi iuxta cognitas relationes. 3) Ipsa etiam pars practica haud debito modo proponitur, quia solummodo innuitur, officia nostra consideranda esse ceu mandata divina, non autem affirmatur, illa actualiter esse mandata divina, et a Deo, summo legislatore descendere, qui prout in physicis, ita et in moralibus semper ut causa prima statui debet (1). — b) *Fichte* Religionem reponit in libera, et activa agnitione ordinis moralis mundi. — Sed 1) quae contra Kant dicta sunt, contra hanc quoque notionem valent. 2) Fichte merito de Atheismo, vel potius Autotheismo suspectus fuit; licet enim ordinem mundi moralem Deum, seu divinitatem dixerit, illum tamen nonnisi pro effectu rationis humanae practicae, seu pro to Ego exaltato habuit. Reipsa transcendentalem idealismum docens, iuxta quem omnia in hominum ideis existunt, et ab illis ordinantur, Deum ceu ens supremum extra hominem realiter et personaliter existens negavit, et ideo omnem ad ipsum relationem moralem, seu religionem de medio sustulit (2). c) *Schelling* asserit, Religionem esse intellectualem intuitionem absoluti (i. e. Dei), et ortum exinde nisum ad maiorem semper cum eodem similitudinem perveniendi. — Haec definitio primo aspectu non repudianda esse, sed cum illa convenire videtur, quae Religionem in agnitionem, et cultum Dei reponit. At si theoria Schellingii melius inspiciatur, maximum statim discrimen apparet. Nam 1) cum Schelling absolutam identitatem doceat, in qua Omnia sunt Unum, et Unum Omnia, vix intelligi potest, quomodo non intuitio Absoluti ad cognitionem naturae, vel suiipsius reducatur. 2) Schelling enim naturam ceu primum (sat *obscurum*) principium ponit, ex quo sicuti homo, ita et Deus evolvitur ita ut Deus A nondum evolutus omnino alius sit a Deo O satis-evoluto; Deus ergo iuxta hanc theoriam nec aeternus, nec independens, nec immutabilis, nec omnipotens, nec Creator, Legislator, et Gubernator hominis est; et quis non videt, per talem ideam Dei Religionem non fundari, sed destrui? — 3) Demum in systemate Schellingii, iuxta quod omnia ex aeterno (obscuro) principio per vires agentes, et reagentes, quibus resisti non potest, evolvuntur, libertas perit, qua sublata de Religione actum est (3). d) *Schleiermacher* Religionem consistere dicit in sensu absolutae dependentiae. — Sed 1) solus sensus dependentiae ad Religionem subiectivam non sufficit, quae sicut cognitionem intellectus, sic etiam exercitium libertatis requirit; secus animalia quoque, quae suam a Dominis dependentiam sentiunt, maxime religiosa dicenda essent. 2) Schleiermacher pro Religione dependentiam non erga Deum universi Creatorem, et Gubernatorem, sed potius erga ipsum universum exigit, quod ceu Unum et Omnia praedicat, et ideo a notionibus pantheisticis excusari nequit (4). e) *Hegel* Religionem declarat pro actu, quo Deus suiipsius conscius est (5). — Ast haec obscura notio fluit ex non minus falso, quam impio principio, quo ratio impersonalis, seu potius to purum, substantiale, sed impersonale cogitare, ceu Universitas rerum statuitur, et Unum, Absolutum, Deus vocatur. Talis nimirum Deus ratione personalitatis caret, et solummo-

(1) V. Frint t. I. §. 99. et seq.
(2) V. Fejer inst. dogm. t. I. §. 75.
(3) V. *Abhandl. über die neuere Philosophie in den historisch-politischen Blättern von Philipps u. Görres* 1842 5., *u.* 6. 7. *Artikel.*
(4) V. Staudenmaier Encycl. t. I. P. I, §. 207.
(5) *Religion — das Selbstbewußtsein Gottes.*

do in entibus, in quibus evolvitur, ad personalitatem venit, et sui conscius fit; atque in hoc processu Religio consistere dicitur. Quis autem in hac theoria non purum putidumque pantheismum, seu atheismum videt, cum quo Religio consistere nequit, quoniam per illum maxime necessariae ad Religionem notiones tum Dei, tum libertatis de medio tolluntur? —

II. Multo melius, solidiusque *Theologi catholici*, licet vario modo, in definienda Religione procedunt. — Cl. *Frint* Religionem in sensu latiori, et in sensu strictiori distinguit: *in sensu latiori* ait, Religionem esse manuductionem hominis ad finem suum, finem hominis esse moralitatem cum correspondenti felicitate, moralitatem autem consistere in quatuor relationibus, et deductis exinde officiis erga Deum, erga seipsum, erga alios homines, et erga caeteras creaturas: *in sensu strictiori* Religio continet solum veritates, et officia erga Deum (1). Ast 1) in hac definitione pars theoretica Religionis, licet supponatur, tamen non satis exprimitur, et ad solum ancillae munus deprimitur. 2) Divisio moralitatis in quatuor relationes, et officia inde exsurgentia non satis adaequata videtur. Cum enim creaturae irrationales iuris non sint capaces, ideo etiam officia stricte dicta ad illa non habemus, nisi quatenus ab officiis erga Deum, erga nos, et erga proximum imperantur, et in ipsis continentur. 3) Neque officia erga Deum, nos ipsos, et alios homines sub una cathegoria reponi possunt; Deus enim, ceu ens absolutum-absolute quoque i. e. propter semetipsum officia postulat; caetera autem entia contingentia, sicuti nulla iura habent a semetipsis, sic pariter nulla officia propter semetipsa postulare possunt; sed solummodo ex relationibus erga Deum officia erga nos et alios homines sequuntur. Religio ergo, si ceu coniunctio moralis cum Deo concipitur, non iam in sensu strictiori, sed in sensu latissimo sumitur, quia exinde omnes aliae relationes, et omnia alia officia deducuntur. — Sunt nonnulli, qui Religionem appellant institutum divinum, homines perducendi ad regnum Dei (2). Definitio haec nonnisi vera continet, sed Religionem tantum ut medium ad felicitatem hominis proponere, et officia, quae Deo propter semetipsum debemus, non satis exprimere videtur. — Communior Theologorum definitio, qua Religio agnitio, et cultus Dei nuncupatur, Religioni subiectivae competit, cuius praecipua relatio et agnoscenda, et perficienda exprimitur.

(1) *Handbuch der Religionswissenschaft* 1. B. 1. H.

(2) Cf. Schanz *neueste Theologie* 1. B. 1. Hauptstück §. 7.

(3) *Klee Kath. Dogm.* 1 B. 2 Hptst. §. 2.

CAPUT II.

DE AUCTORE RELIGIONIS SEU DE DEO.

§. 25.

Si Religio, seu coniunctio moralis hominis cum Deo datur, illius auctor nonnisi Deus esse potest, qui solus homini et vires concedere, et obligationem imponere valet tum veritates morales agnoscendi, tum officia moralia adimplendi (3). De Deo ergo, qui, uti obiectum in se excellentissimum, ita omnis Philosophiae, Religionis, et Theologiae fundamentum est, ante omnia ita disserendum venit, ut 1° *Dei notio tradatur*, 2° *eius existentia demonstretur*, ac demum 3° *censura tum Atheismi, tum Pantheismi apponatur*.

ARTICULUS I.

§. 26.

Notio Dei.

1. Quam difficile sit adaequatam Dei notionem tradere, etiam ethnici Philosophi agnoverunt. Sic Simonides, ut refert M. T. Cicero (1) rogatus ab Hierone, Syracusarum tiranno, quid sit Deus, inducias unius diei petiit, ut hac de re cogitaret; quo praeterlapso duorum, et sic semper plurium dierum inducias poposcit, ac tandem respondit, se id eo minus intelligere, quo acrius mentem intenderet. Ita et Timaeus apud Platonem, rogatus a Socrate, quid esset Deus, respondisse fertur: quid Deus non sit, novi; quid vero sit, non novi. Ipse maximus et Philosophus et Theologus S. Augustinus difficultatem, Deum rite definiendi non diffitetur. Ait enim (2) «Verius cogitatur Deus, quam dicitur, et verius est, quam cogitatur.» Et (3): «Deus ineffabilis est: facilius dicimus, quid non sit, quam quid sit. — Quaeris quid sit? quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quid quaeris, ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?» — Deus enim infinitus est, et ens infinitum a mente limitata non potest comprehendi, et multo minus verbis exprimi. Ideo perfecta, et completa Dei notio, quae totum obiectum quasi exhauriat, dari nequit.

2. Neque tam perfecta divinae essentiae cognitio nobis necessaria est, sed sufficit cognitio talis, quae

a) sufficientem de existentia, ordine, et fine huius Universi nobis causam assignet,

b) rationi in ipsius functionibus theoreticis, et practicis, nec non stimulis cordis satisfaciat,

c) et omnibus hominibus tum sana ratione, tum cultura philosophica praeditis, accommodata sit.

3. Talis autem Dei cognitio vere inter homines viget, qui, dum de Deo cogitant, ipsum concipiunt ceu

a) primam rerum omnium causam, et ideo

b) ab alia independentem, seu ens a se (absolutum)

c) intellectu, et voluntate, et aliis infinitis perfectionibus praeditum.

Unde iuxta communem hominum notionem Deus definiri potest: *Ens a se, infinite perfectum, omnium rerum causa.*

4. Haec notio iam sufficit ad Deum a quocunque alio ente secernendum. Ratio theoretica in ente a se requiescit, in quo causam primam, et sufficientem omnium rerum contingentium invenit. Rationi practicae, et stimulis cordis satisfit per ideam legislatoris, iudicis, summique boni, quae in notione entis intellectu et voluntate, aliisque infinitis perfectionibus praediti continetur. Tradita quoque notio a quocunque sana ratione utenti intelligi potest, et ab illis etiam, qui genuina philosophica cultura praediti sunt, approbari debet.

Nota. Recentiores nonnulli Philosophi, Dei notionem statuentes, terminis hinc inde obscuris, et ignotis utuntur, qui rem definiendam clariorem non reddunt. Recte autem monet Cl. *Dobmaier*, veritatem summi momenti indefinitis, ambiguis, et paradoxis terminis non esse involvendam (4).

ARTICULUS II.

§. 27.

Existentia Dei.

Sola notio, seu idea Dei nostris facultatibus, et stimulis non satis-

(1) De nat. Deor. L. 1. c. 22.
(2) L. 7. de Trin. C. 4 n. 7.
(3) En. in Ps. 85. n. 12.
(4) T. II. §. 56. pag. 157.

facit, sed de eiusdem quoque realitate obiectiva, seu de vera Dei existentia certi esse debemus. Solida ergo pro Dei existentia argumenta afferenda, et contra adversariorum obiectiones vindicanda sunt.

1. Existentiam Dei haud pauci in Theologia dogmatica speciali probandam assumunt. Sed systematicus ordo postulat, ut probatio haec iam in Theologia generali suscipiatur. Nam sine Deo existente nec Religio, nec Revelatio, nec Regnum divinum morale concipi potest.

2. Neque supervacaneum censendum est, plura ad existentiam Dei probandam argumenta adduxisse. a) Agitur enim de veritate summi momenti, de qua quivis homo intime persuasus sit oportet; b) non autem omnia argumenta cuiuslibet indoli, et capacitati aeque accommodata sunt. c) Ex variis porro argumentis, quibus Deus existens probatur, varia quoque ipsius attributa nobis illucescunt, quae rectam Dei cognitionem maxime promovent. d) Neque invalescentes tum atheismi, tum pantheismi errores ullo modo melius, quam per solida — pro Dei realiter et personaliter existentis veritate — adducta argumenta refelluntur. e) Ideo in istis argumentis elaborandis Auctores doctissimi maximopere insudarunt e. g. Frint, Dobmayr, Klee, Staudenmaier etc.

§. 28.

I. Argumentum cosmologicum.

1. Dari entia limitata, tempori, et mutationi obnoxia, quae contingentia vocantur, nemo sanae mentis dubitare potest. Quilibet enim per sensum intimum de sua, et per testimonia sensuum de entium, a quibus circumdatur et afficitur, existentia, limitatione, et mutabilitate persuadetur. Quidquid autem tempori subiectum est, aeternum esse nequit. Tempus enim seriem momentorum sibi succedentium importat; numerus autem infinitus omnino impossibilis est; nam si dividatur quaeri potest an e. g. dimidia pars infinita sit, nec ne? si primum statueretur, duae series infinitae haberentur, et si secundum adstruitur, dicendum est, ex coniunctione duorum finitorum infinitum non exsurgere, quia totum sequitur suas partes. Praeterea, si numerus praeterlapsorum momentorum infinitus est, quomodo nova continuo momenta accedere possunt? si vero infinitus non est, ergo initium habet. Exinde patet, quod totus rerum contingentium complexus, qui *mundus* dicitur, aeternus non sit, sed originem habeat.

2. Iuxta certissimum rationis principium nil fit sine ratione sufficiente. Mundus ergo, qui ortus est, rationem sufficientem, seu causam efficientem suae existentiae habere debet. Haec autem sufficiens ratio, seu efficiens causa non invenitur in ipso *mundo*, seu in entibus contingentibus, quae semetipsa producere non potuerunt, quia alias debuissent adesse, ut producerent, et non esse, ut producerentur; neque *casus* admitti potest, per quem mundus fortuito ex nihilo ortus sit; cum enim casus non sit nisi negatio causae, ideo nihil per ipsum fieri potest. Necessario ergo admittenda est *causa*, quae extra entia contingentia, et ante illa existit.

3. Causa haec alia esse non potest, quam ens a se, seu aeternum. Si enim aeternum non esset, sed ab alia causa productum, huius ratio sufficiens inquirenda, et in hac causarum inquisitione tamdiu continuandum esset, donec ad causam primam, independentem, aeternam perveniatur, in qua sola entium contingentium ratio sufficiens invenitur. Neque enim

series infinita causarum admitti potest, quae non secus ac numerus infinitus repugnat. Posito ergo effectu, causa prima et aeterna necessario admittenda est. Atque ideo — prout certo existunt entia contingentia, sic certo existit eorum causa prima et aeterna, seu *ens a se*, a quo caetera entia originem traxerunt.

4. Cum autem effectus non possit esse maior sua causa, ut ratio sufficiens omnium perfectionum, quae sunt in entibus contingentibus, statuatur, causa prima, seu ens a se omnes istas perfectiones eminentiori modo continere, ac ideo ratione, et voluntate perfectissima praeditum esse debet. Existit ergo ens a se, caeterorum entium causa, omnibus perfectionibus — nullo limite circumscriptis praeditum, i. e. *existit Deus*.

Nota. Hoc argumentum, iam a Tertulliano (1), a S. Gregorio Naz. (2), a S. Io. Damasceno (3) elaboratum, summi semper momenti habitum est tam in Theologia, quam in Philosophia. — Ast recentiores Philosophi argumentum istud vario modo impugnare, et enervare conati sunt, ad quorum obiectiones iam respondere oportet.

Obi. 1. Principium rationis sufficientis, ab existentia phaenomenorum per rationem empiricam deductum, non potest extra sphaeram phaenomenorum per rationem theoreticam ad transcendentalia, ad quae spectat Deus, applicari. Ita Kant.

Resp. a) Per Phaenomena, quae observamus, excitatur quidem in nobis principium rationis sufficientis, seu illius conscii efficimur; at hoc iam antea in ipsa natura rationis latet, quae hoc principium ceu necessario, et universaliter verum agnoscit, cum tamen veritas in se per sensus percipi non possit. b) Ratio humana in empiricam, theoreticam, et practicam logice distingui potest, sed realiter divisa non est, cum unica sit hominis ratio, quae vario modo operatur; ideo ridiculum est, dicere formam aliquam uni rationi congruere, non alteri. c) Cum nos ad mundum sensibilem, et intelligibilem pertineamus, et utriusque obiecta aut per sensus, aut per rationem percipere valeamus, de iisdem profecto etiam cogitare, ac ratiocinari possumus; sine principiis autem id fieri non potest: ergo principia, quae a ratione ceu generaliter vera cognoscuntur, ad mundum tum sensibilem, tum intelligibilem applicare debemus. Omni itaque iure principium rationis sufficientis ad probandam Dei existentiam applicatur.

Obi. 2. Falsa est ratiocinatio, si plus est in conclusione, quam in praemissis. Sed in argumento cosmologico ab entibus contingentibus, et finitis concluditur ad ens absolutum, aeternum, et infinitum; ergo falsa argumentatio, seu sophisma proponitur.

Resp. a) Ipse Kant admittit conclusionem ab entibus contingentibus ad ens necessarium (4), cur non admittit conclusionem ab entibus finitis ad ens aeternum, et infinitum — propter regulam Logicae, contra quam prior conclusio non minus quam posterior peccare videtur? — b) Regula logica adducta valet quidem in argumentis *a priori*, in quibus a causa concluditur ad effectum, seu a toto ad partes, quia in effectu, vel in partibus nil esse potest, quod non sit in causa vel in toto; non valet autem in argumentis *a posteriori*, in quibus ab effectu concluditur ad causam, vel a partibus ad totum, quia causa maior esse potest, et debet suo effectu, totum

(1) L. c. Hermog. (2) Or. 34.
(3) De ort. fid. L. 1. c. 3.
(4) V. Linsenz t. 3, 2. 162.

aliqua parte: argumentum autem cosmologicum ducitur a posteriori. c) Imo si praedictum argumentum syllogistico modo proponatur, clare apparet, nihil esse in conclusione, quod non est in praemissis. Primus enim Syllogismus sic sonat: Nil fit sine ratione sufficiente, seu quaecunque oriuntur, habent causam sufficientem; sed entia contingentia oriuntur, ergo existit eorum causa sufficiens. — Secundus Syllogismus sic proponi potest: Causa entium contingentium sufficiens vel est ens a se, seu aeternum, vel non aeternum; atqui ens non aeternum, utpote productum non est causa sufficiens, ultra quam nihil quaeri debeat; ergo causa sufficiens, quae actu existit, non est nisi ens a se — aeternum etc. Certe in utroque Syllogismo nil est in conclusione, quod non sit in praemissis. —

Obi. 3. Si concedatur, ab existentia entium contingentium concludi posse ad ens a se, aeternum, et necessarium; nullatenus tamen ab entibus finitis concludi potest ad ens infinitum, quale Deus esse debet.

Resp. a) Etiamsi conclusio ab entibus finitis ad ens infinitum non valeret, sufficit tamen nobis, ut certo sciamus, dari ens a se, aeternum, caeterorum entium causam, et ideo intellectu, voluntate, aliisque perfectionibus, quae sunt in creaturis, eminenter praeditum. b) Scholastici autem ex ipsa aeternitate entis ad infinitam eius perfectionem recte concludi posse docuerunt. Nam, aiunt, quidquid est aeternum, est etiam ab omni alia causa independens, et ab omni conditione seu contingentia alienum, atque ideo necessarium. Quidquid autem est necessarium, non potest esse vel non esse, neque hoc, vel alio modo existere, ideoque est immutabile. Id autem, cui aliquid deest, augeri, et ideo mutari posset. Enti ergo immutabili nihil deesse potest, ac proinde illud undequaque infinitum sit oportet.

Obi. 4. Entia contingentia homini phaenomena sunt, quibus an, et quaenam res respondeant, plane ignoratur; consequenter ab illis ceu incertis praemissis argumentatio certa non prodit.

Resp. a) Res extra nos existere, constanti, concordi, et uniformi sensuum testimonio certi reddimur, ita, ut rationabiliter de eorum existentiae veritate, et modo dubitare non possimus. b) Insuper quivis sibi ipsi non est phaenomenon, sed intime sibi conscius est, se existere, sed se aeternum, independentem, immutabilem, infinitum non esse. Et iam ex hac certissima veritate homo ad admittendam Dei existentiam constringitur (1).

Obi. 5. Si ab entibus contingentibus concluditur ad ens necessarium, absolutum, infinitum; hoc ergo dependet ab illis, seu mundus est ipsa conditio, seu causa, qua posita, existit Deus. Ita Hegel.

Resp. Si ab effectu concluditur ad causam, haec non fit ideo ab illo dependens, licet per illum cognoscatur. Si per calorem, quem sentio, agnosco ignem in fornace latentem, calor manet effectus, et non fit causa, vel conditio ignis. — In obiectione turpiter confunditur causa, vel modus cognitionis cum causa, seu modo existentiae Dei. Si ab entibus contingentibus concludimus ad ens necessarium, et absolutum i. e. ad Deum, nostra cognitio dependet ab entibus contingentibus, non existentiâ Dei. — Mundus ergo solummodo dici potest causa seu conditio, qua posita Deum cognoscimus, et ideo cognoscimus, quia mundus ipse non existeret, si non existeret

(1) V. Jacobi *Brief an Fichte.*

illius auctor Deus. — Aliae obiectiones iam ab antiquioribus contra argumentum cosmologicum prolatae solvuntur a Gazzaniga, et Perrone (1).

§. 29

II. Argumentum physico-theologicum.

1. In mundo hoc spectabili maxima diversissimarum rerum tum ad unum totum constituendum, tum ad fines sibi praestitutos obtinendos congruentia, stabilis ordo, admiranda concinnitas, ineffabilis pulcritudo resplendet. Quis non admiretur corporum coelestium magnitudinem, splendidam lucem, et ordinatissimum motum? Quis non stupeat, considerans varietatem, et multitudinem incredibilem animalium sive per aëra volitantium, sive natantium in aquis, sive habitantium in terra, et etiam sub terra, vegetabilium autem herbarum, florum, et arborum prope infinitas species? — Quod si ab externis obiectis ad nos ipsos oculos convertamus, omnes corporis partes optime ad fines suos ordinatos invenimus, et in nobis animam, ratione, et libertate praeditam cognoscimus, quae imperscrutabili modo in corpus agit, illudque regit. — Certe quo magis totam rerum universitatem attentis oculis consideramus, eo magis in illa artificium sapientissime constructum admirari debemus.

2. At iuxta principia rationis sanae quae omni iure pro quolibet effectu sufficientem causam requirit, opus sapientissime constructum sine sapientissimo auctore admitti nequit. Sane ridiculum esset imaginari, ex fortuito litterarum iactu graecam Iliadem Homeri, aut latinam Virgilii Aeneidem prodiisse; emotae mentis haberetur, qui artificiosum horologium, aut elegantem picturam, aut magnificum templum fortuita partium combinatione, aut ingenita quadam vi plastica sine ullo artifice confici posse somniaret: an non ergo multo peius delirare dicatur, qui non carmen, horologium, picturam, aut aedificium, sed plane totum Universum omnibus numeris absolutum sine ullo artifice, fortuna duce, rectore casu, coagmentatum esse comminiscatur? — Ratio ipsa a tanta absurditate abhorret, atque ideo, ut mundi sapientissime conditi causam sufficientem habeat, existentiam auctoris infinita sapientia, potentia, et bonitate praediti, i. e. existentiam Dei admittere constringitur.

Nota. Argumentum hoc antiquissimum est, ac simplicitate, et facilitate se plurimum commendat; communi enim intellectui pervium est, cum sapientissimam mundi constitutionem experientia quotidiana palam loquatur. Ideo hoc argumento magna utilitate uti possunt, qui in sacris conventibus verba ad populum faciunt. Licet autem non solum SS. Patres, et Theologi, sed etiam Philosophi ethnici (2) vim huius argumenti agnoverint, non defuere tamen, qui illud impugnarent.

Obi. 1. Mundus, ait *Anaximander*, existit ab aeterno; nunquam exortus est, et a nemine regitur, ergo ex optima illius constitutione ad Sapientiam Auctoris, vel Rectoris concludi nequit.

Resp. Mundus non est nisi complexus entium contingentium, quae, cum limitata, mutabilia, tempori subiecta sint, aeterna esse non possunt. Mundus ergo factus est, et sicut in sua origine, sic in sua duratione omnia habet a Deo, a quo undequaque dependet et cuius sapientiam praedicat.

(1) Prael. de Deo t. I. — T. II, etc.

(2) Socrates ap. Xenophon, et M. T. Cicero l. 2. de nat. Deor. 1.

Obi. 2. Mundus, ait *Schola Epicuri*, ex atomorum ab aeterno existentium fortuito concursu ortus est.

Resp. a) Atomi mutabilitati, et tempori subiecti ac simul aeterni apertam contradictionem involvunt. b) Et si atomis ab aeterno motus ingenitus, et nativus inesset, hic necessarius quoque foret ita, ut nunquam coalescere, et quiescere possent, quomodo ex eorum concursu mundus oriretur? Immo si ex eorum concursu varia obiecta oriri potuissent, talis tamen ordo, harmonia, et scopo-congruentia ex irrationabili, et perturbato casu oriri non potuisset. Notatu digna sunt, quae disserit M. T. Cicero (1): «Quod si, ait, mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, aut templum, cur domum, urbem non potest — quae sunt minus operosa, et multo quidem faciliora? — Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem coeli ornatum suspexisse videantur. Qui existimat, mundum effici ornatissimum et pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita, non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius, et viginti formae litterarum vel aureae, vel quaelibet aliquo coniiciantur, posse ex his in terram excusis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici, quod nescio, an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna.»

Obi. 3. Mundus, ait D. *Humius* nobis magna ex parte aenigma est, et de ordine ipsius sufficiens iudicium ferre haud possumus, quia totum Universum, et omnium partium connexionem non perspicimus.

Resp. Quamvis nonnulla dentur, quae in hac rerum universitate nobis satis perspecta non sint, plurima tamen ita cognoscimus, ut de eorum optimo ordine, et mira scopo-congruentia dubitare non possimus. Et haec iam sufficiunt, ut tum ad pulcritudinem mundi, tum ad sapientiam Conditoris concludere possimus — praesertim cum partium ignotarum ordinata connexio ex analogia inferatur.

Obi. 4. Inter causam et effectum, ait *Kant*, proportio dari debet, atque ideo ab effectu finito ad causam infinitam concludere non licet. Sed mundi pulcritudo, qualiscunque statuatur, tamen finita est; ex ista igitur ad sapientem et potentem Opificem, non ad infinitam sapientiam, et omnipotentiam conclusio valet.

Resp. a) Si ex ordine mundi ad sapientem, et potentem Opificem conclusio valet, haec iam sufficit ad confundendos Atheos, Pantheistas, et Materialistas, qui non solum conditorem negant, sed etiam ordinatorem, intelligentia, et libertate praeditum, existere inficiantur (2). b) Proportio inter effectum et causam omnino dari debet, sed talis, ut effectus non sit maior sua causa: ast causa maior suo effectu esse potest, et debet. Etiam causa infinita effectus finitos producit, cum metaphysice impossibile sit, ens infinitum producere, quia duo infinita existere nequeunt. Ex effectibus autem finitis ad causam infinitam concludere licet, si illorum ratio sufficiens sine hac inveniri non possit. c) Et si ex pulcritudine mundi solummodo ad sapientem opificem concludendum sit, quaerimus: an Sapientia huius opificis ab alia dirigitur, et ab hac dependet, vel non? — si dependet, renovatur eadem quaestio, quae in infinitum produci non potest: si non dependet, summa est, a qua omnia reguntur, et qua maior a nobis cogitari non potest, et ideo infinita dicitur.

(1) L. II. de nat. Deor. c. 37.

(2) V. Perrone T. II. p. 26.

§. 30.

III. Argumentum ex motu.

1. Motus in mundo revera datur; moventur enim corpora et maiora, et minora; perpetuo in semitis sibi praefixis astra circumvolvuntur, perpetuo currunt flumina, ita ut nemo sanae mentis de existentia motus dubitare possit. Motus autem materiae ingenitus, et essentialis non est; hoc enim posito nulla ipsius particula quiescere posset, cum tamen materia in se iners, et quiescens deprehendatur. Debet ergo dari causa motrix, et quidem prima, quia infinita series causarum admitti nequit.

2. Haec prima causa motrix materialis esse nequit, quia materia semetipsam movere non potest; nam non potest idem esse simul movens, et motum, secundum idem, quia non potest esse in potentia, et in actu respectu eiusdem; esse enim in potentia respectu alicuius est tendere ad illud, adeoque illo carere; esse vero in actu respectu alicuius est illud iam habere; non potest autem idem haberi, et simul non haberi ab eodem: materia ergo semetipsam ab initio movere non potest.

3. Prima ergo causa motrix debet esse ens immobile — non materiale — sed spirituale, et quidem a se, aeternum, independens, necessarium, infinitum, i. e. Deus (v. Billuart, Gazzaniga etc. etc.).

Nota. Schola S. Thomae Aquinatis hoc argumentum inter caetera aptissimum putavit ad Dei existentiam evincendam. Neque vis probandi illi abiudicari potest; sed tamen notari debet, probationem istam iam contineri in argumento cosmologico, quia omnis quoque motus contingens est, et in argumento physico-theologico, quia motus quoque corporum, qui iuxta leges naturae pathologicas contingit, optime ordinatus est.

§. 31.

IV. Argumentum historicum.

1. Omnibus temporibus et omnibus in locis homines persuasi fuerunt, numen aliquod supremum existere. Errarunt quidem in agnoscenda vera natura Dei, sed tamen Divinitatem aliquam semper agnoverunt. Hunc consensum iam antiquissimi Philosophi testati sunt. Plato inter alia argumenta ad Dei existentiam probandam affert «graecorum, barbarorumque omnium consensum, Deos esse, fatentium (1)». M. T. Cicero: «Nulla gens, ait, neque tam immansueta, neque tam fera est, quae non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat (2)». Seneca: «Veritatis argumentum est, inquit, aliquid omnibus videri. Tamquam Deos esse, sic inter alia colligimus, quod omnibus de iis opinio insita sit, nec ulla gens usque adeo extra mores, legesque proiecta, ut non aliquos Deos credat (3). Plutarchus: «Si totum, ait, peragraveris orbem, invenies quidem urbes muris, litteris, regibus carentes; urbem vero sine templis, et sine Diis nemo vidit unquam, — et facilius arbitror urbem sine solo, quam sine Deorum persuasione consistere posse (4). Idem testantur Heraclitus, Aristoteles, Quintilianus, aliique (5). Consonant quoque auctorum christianorum testimonia. — Tertullianus: «Animae, inquit, a primordio conscientia Dei dos est eadem nec alia et in Aegypticis, et in Syris, et in Ponticis (6)». Lactantius scribit: «Neque difficile sane fuit paucorum

(1) Dial. 10. (2) L. 1, de leg. c. 8.
(3) Ep. 177. (4) Adv. Colot. Epic.
(5) Vid. Hug. Grot. de iure belli, l. 1.
(6) L. 1, c. Marcion. c. 10.

hominum prave sentientium redarguere mendacia testimonio populorum, atque gentium in hac una re non dissidentium (1) ». S. Augustinus: « Haec est, ait, verae divinitatis vis, ut creaturae rationali iam ratione utenti non omnino ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum huius mundi fatetur auctorem (2). » S. Hieronymus dicit: « Totius mundi haec una vox est: Deus est (3). »

2. Haec autem universalis persuasio demonstrat, ipsum sensum communem, seu rationem etiam incultam ad Dei agnitionem pervenire, ita quidem, ut non possit illius existentiam non statuere. « Omni autem in re, ut recte animadvertit Tullius, consensio omnium gentium lex naturae putanda est. Opinionum enim commenta delet dies, naturae iudicia confirmat (4).» Nisi ergo rationis dignitatem penitus destruere velimus, illius effata originalia, et universalia, seu communem hominum sensum ceu veritatis criterium agnoscere debemus. Valet hic quoque Senecae effatum: « Nemo omnes fallit, omnes neminem. » — Quare cum communis hominum sensus divinitatem vere existentem statuat, certe ergo Deus existit.

Nota. Argumentum historicum egregie elaborarunt Daniel Huetius, Io. Alb. Fabricius, Valsecchi, Gazzaniga, et alii, illiusque probandi vim ostenderunt. Quae opponi solent, haud difficulter solvuntur.

Obi. 1. Tum antiquioribus, tum recentioribus temporibus inventi sunt populi, nullam prorsus Divinitatem agnoscentes. Ita Bayle.

Resp. a) Quoad tempora antiquiora nonnullorum assertis opponimus testimonia iam citata celeberrimorum Philosophorum, et historicorum. Certe qui diversos populos velut atheos traducunt, eos non inviserunt, sed falsis rumoribus decepti sunt, ex eo quod vel idola non colerent, vel numina diversa ab iis, quae illi colebant, adorarent: hac de causa Iudaei quoque, et Christiani ceu athei proclamati sunt. b) Recentioribus temporibus nonnulli, qui itinera instituerunt, se in America, Africa, et Australia populos sine cognitione, et cultu Dei invenisse, testati sunt. Hi autem saepe rem debita diligentia non inquisiverunt, saepe ignorantia idiomatis decepti fuere. Sic e. g. Hottentotti a nonnullis athei dicebantur, sed Boevingius, qui decem annos in illis regionibus transegit, cum aliis testatur, ipsos unum Numen supremum, et multos Deos inferiores colere. Idem de Incolis Novae Angliae, quibus eadem nota atheismi inurebatur, testantur Ant. de Herrera, Ios. Acosta, et Winslovius.

Obi. 2. Si omnium gentium consensus ad Dei existentiam evincendam valeret, eodem modo etiam valeret ad veritatem Polytheismi et idololatriae confirmandam; maxima enim pars hominum polytheismo, et idololatriae olim dedita fuit.

Resp. a) Polytheismus nec ratione temporis, nec ratione loci ita universalis fuit, ut persuasio de existentia Divinitatis. Nullo namque monumento ostendi potest, iam ante diluvium plures Deos agnitos fuisse, et idololatriam viguisse. Post diluvium quoque non omnes gentes huic superstitioni adhaeserunt: populus israëliticus unum Deum coluit. Neque etiam praeter Iudaeos defuere unius Dei cultores, ut Iob, Ninivitae, aliique. Praeterea ubique locorum homines sapientiores, ratione duce, unitatem Dei agnoverunt: hinc

(1) L. 1 div. inst. c. 2. (2) Tr. 106 in Io. (3) Ep. ad Nep (4) Tusc. Q. l. 1, c. 13.

illud Antisthenis: « populares Deos multos, naturalem unum esse » b) Inter ipsos Polytheistas fere omnes unum Deum caeteris eminentiorem agnoscere consueverunt, et sic etiam ipsi id confirmant, quod ratio cuilibet homini dictat, existere unum Ens supremum.

Obi. 3. Communis de existentia divinitatis persuasio sat probabiliter fuit vel a Legislatoribus ad populos in officio continendos introducta, vel a Sacerdotibus lucri causa propagata.

Resp. a) Dei cognitio etiam in iis efferatis populis inventa est, quae nullis legibus coercebantur. Et nisi prius in populis viguisset persuasio existentiae Dei, uunquam potuissent legislatores eo medio uti ad populos in officio continendos. b) Multo minus illa persuasio a fraude Sacerdotum repeti potest: alias deberent prius supponi Sacerdotes, quam Deus, ad cuius cultum Sacerdotes instituti sunt, quod est absurdum. Sublata enim idea Dei, nullum iam locum habere potest sacerdotium, quod ad Deum honorandum assumitur (1).

§. 32.

V. Argumentum ontologicum.

1. Quidquid cogitari potest, utpote notas repugnantes non continens, id a nobis ceu possibile concipitur, et quidem necessario sic concipitur, quia fieri non potest, ut notae simul sibi repugnent, et non repugnent.

2. Sed ens realissimum, infinitis perfectionibus praeditum, a nobis cogitari potest, et in illius conceptu nullam notarum repugnantiam deprehendimus; ergo hoc ens vere est possibile.

3. Ast in idea entis realissimi, et infinite perfecti etiam existentia cogitari debet, quae est vera realitas, qua deficiente, ipsa notio entis perfectissimi destrueretur.

4. Si ergo ens realissimum cogitamus possibile, eoipso cogitamus existens. Sed ens realissimum necessario cogitamus possibile, ergo necessario cogitamus existens.

Nota. Argumentum hoc post S. Anselmum, et Cartesium varii Theologi, et Philosophi elaborarunt, magnique fecerunt. Alii vero omnem vim probandi illi abnegarunt. Leibnitius animadvertit, nos stricte loquendo possibilitatem entis realissimi seu infinite perfecti a priori diiudicare non posse; cum enim infinitum perfecte non concipiamus, infinitarum quoque realitatum convenientiam perspicere non valemus. — Kant negavit, existentiam veram realitatem esse: cum enim in ente perfectissimo ipsae perfectiones ceu existentes concipi debeant, nuda existentia nova, seu distincta realitas non est. Idem asserit, a logica possibilitate non posse ad realem concludi. Etiamsi enim admittatur, inter realitates recenseri existentiam, attamen ex eo, quod ens realissimum necessario cogitem possibile, non sequitur, nisi quod etiam eius existentiam ceu possibilem cogitare debeam. — Id autem hoc argumentum praestat, ut ostendat, nobis ideam de ente supremo, et infinite perfecto inesse, quam a creaturis haurire non possumus (2).

§. 33.

VI. Argumentum ex postulato rationis practicae.

1. Finis hominis est — harmonia moralitatis, et felicitatis innixa veritati. Ratio practica iubet nos ad hunc finem tendere, seu dictam harmoniam perficere. Et cum ratio practica ceu praeco veritatis impossibilia praecipere, vel statuere non

(1) V. Perrone t. II.

(2) V. Staudenmaier, Encycl. t. I. p. 171 etc.

possit, omnino necesse est, ut asseratur, praedictam harmoniam actu perfici posse.

2. Id autem sine Deo, realiter existente, fieri nequit. Harmoniam enim inter moralitatem et felicitatem actu producere non potest homo ipse, cuius vires undique limitatae sunt, neque id potest coeca natura ratione carens.

3. Ut ergo praedicta harmonia perfici possit, debet existere *Iudex iustissimus*, qui velit, *omnipotens*, qui possit, *omniscius*, qui sciat moralitati correspondentem semper felicitatem tribuere. Ergo ratio practica *postulat* Dei existentiam, sine qua sibi ipsi contradiceret, et sic tota destrueretur.

Nota a) Kant, caeteris argumentis repudiatis, hoc unicum ad probandam Dei existentiam assumsit. Sed ne huic quidem vim rigorosae demonstrationis attribuit, quia assensus, quem producit, non est obiectiva (i. e. ex perfecta obiecti cognitione proficiscens) convictio, sed fides seu assensus, sufficientibus argumentis, nimirum postulatis rationis practicae nixus: istam autem fidem moralem ad tranquillitatem animis nostris instillandam sufficere dicit, quia non tantum cum iis, quae ratio theoretica docet, optime consentit, sed ea quoque confirmat, iuvat et defectus eorum supplet (1). b) Non desunt autem, quae huic argumento opponi possint. Kant enim in ratione practica absolutum imperativum, seu transcendentalem legem moralitatis assumit, sed non probat, et non potest probare; quia contradictorium est, rationem practicam sibi ipsi legem ferre, simulque imperantem, et subditam esse. Cum ergo ipsum rationis practicae imperativum solido fundamento non incumbat, sed facili modo negari possit, ideo, et ea, quae iuxta Kant ex illo derivantur, uti existentia Dei, libertas et immortalitas animae eodem modo dubia redduntur. Absonum pariter est ut autonomia rationis practicae statuatur, Deum ceu Legislatorem negare, et tamen illum ceu Iudicem seu Remuneratorem assumere. c) Kant praecipue in eo aberravit, ut diceret, rationem theoreticam, quae tamen ad veritatem cognoscendam destinata est, Deum nec cognoscere, nec probare posse, sed solum credere debere. — Huic aberrationi plane oppositam viam ingressi sunt nonnulli recentiores Philosophi, qui immediatam visionem, seu intuitionem Absoluti (Dei) statuerunt, ac ideo argumenta pro Dei existentia supervacanea dixerunt, quia ratio, seu intellectus Absolutum (Deum) immediate intuetur. Sed in declaranda, et extollenda hac intuitione Absoluti nimium progressi esse videntur. Non potest enim concedi intuitio, seu cognitio Absoluti (Dei) prout est in se, ita adaequata, ut quasi totum obiectum exhauriat; nam quod infinitum est, a ratione limitata perfecte, et adaequate comprehendi non potest. Ac praeterea nullam rem, extra nos existentem cognoscere possumus, nisi quatenus in nos agit, seu prout se nobis repraesentat. Quare etiam de Absoluto (Deo) immediatam intuitionem, seu cognitionem nullam aliam habemus, nisi quatenus in nos agit et prout se nobis repraesentat. Agit autem Absolutum (Deus) in triplicem nostram facultatem cognoscendi, appetendi, et sentiendi, et se nobis repraesentat ceu prima veritas, ceu suprema sanctitas, et ceu summum bonum. Et quia Deum sic in nobismetipsis intuemur, exinde optima contra dubia Criticorum et errores Pantheistarum argumenta pro Dei existentia deducere licet.

(1) V. Likawetz metaph. §. 165.

§. 34.

VII. Argumentum ex idea Veritatis.

1. Ex sensu intimo persuasi sumus nos obiecta varia cognoscere, et vera a falsis secernere posse. Ut autem obiecta recte diiudicemus, principiis cognoscendi nobis opus est. Sic e. g. ut possimus iudicare, hoc corpus esse album, et rotundum, idea albi, et rotundi necessaria est nobis. Non enim obiecta ideo hoc, vel alio modo constituta sunt, quia spiritus noster sic illa cogitat; neque quia obiecta ita vere constituta sunt, ideo semper spiritus noster de illis recte cogitat, quia aberrare potest, et actu saepe aberrat. Quoniam ergo cognitio recta rerum neque a solo spiritu, neque a solis obiectis repeti potest, ideo principia cognoscendi requiruntur, iuxta quae spiritus noster diiudicet, an de obiectis recte cogitet, nec ne. — Ex omnibus autem principiis (quorum series infinita repugnat), unum primum, et summum, ideoque per se notum esse debet, sine quo ratio nostra nunquam ad veram quietem pervenire posset, ad quam tamen actu pervenit, uti patet in evidentiis. Sine dubio ergo datur primum, ac summum principium cognoscendi.

2. Primum, quod omnes cognitiones supponunt, principium, est idea veritatis. Ut enim iudicem, aliquid verum esse, quid verum sit, prius noscam necesse est. Ideam autem veritatis non acquirimus *per sensus*, qui solummodo obiecta repraesentant per rationem diiudicanda, neque *per verba*, ex quibus nihil disceremus, nisi iam veritatem in illis apprehenderemus, neque *per abstractionem*, quae fieri haud posset, nisi iam vera obiecta cognosceremus. Idea ergo veritatis, quae actu in nobis existit, cum nullo modo acquisita sit, per se, seu immediate nobis nota est.

3. Summum ergo cognoscendi principium est per se nota *Veritas*, et quidem *simplex*, quia a ratione quidem percipitur, sed semper, et ubique *una* cognoscitur *Veritas prima, ac suprema*, quia nihil supra illam, unde vera sit, a ratione videtur; *Veritas necessaria, et immutabilis;* ratio enim nonnullas propositiones necessario, et immutabiliter veras esse cognoscit; non potest autem propositio certior esse, quam principium, ex quo deducitur; *Veritas aeterna, et increata*, quod enim necessarium, et immutabile concipitur, aeternum quoque, ac ideo increatum dicendum est; *Veritas omnipraesens*, nam ubique locorum homines in summis principiis de vero, bono, pulcro etc. consentiunt, ergo ad eandem regulam, seu ad idem principium respiciunt; *Veritas infinita;* ratio enim semper unam veritatem videt, iuxta quam omnia diiudicat: omnia ergo, quaecunque diiudicari possunt, ab hac una veritate dependent, seu in illa continentur, iuxta quam diiudicari debent.

4. Omnia vera sunt, quatenus existunt: esse, et verum esse, idem est. Cum ergo homo in se videat primam, summam, necessariam, immutabilem, aeternam et immensam veritatem, eo ipso in se videt Esse, seu Ens primum, summum, necessarium, immutabile, aeternum, et immensum, i. e. Deum, et sicut de illa veritate, ita de Dei existentia dubitare non potest.

Nota a) Ex hac argumentatione prodit, nullum inter principia evidentia e. g. idem non potest simul esse, et non esse, nil fit sine ratione sufficiente etc. esse primum, et supremum fontem cognitionum: ut enim haec principia vera esse cognoscamus, iam antea, quid verum sit, nobis notum esse debet. b) Seu

Deus est sicut principium essendi, ita et primum principium cognoscendi: omnia ergo in Deo cognoscimus, quia omnia diiudicamus iuxta regulam veritatis, quae lucet rationi nostrae, sicut sol lucet oculo, ut obiecta corporea videre possit. Id iam antiqui Philosophi, duce Platone, et SS. Patres, praecipue S. Iustinus M., Clemens Alex. et S. Augustinus docuerunt (1).

§. 35.

VIII. Argumentum ex imperio legis moralis.

1. Certum est, dari legem moralem; nonnullas enim actiones iustas, bonas, praeceptas, alias vero malas ac vetitas iudicamus. Et cum nihil fiat sine ratione sufficiente, huius quoque iudicii, seu huius sensus moralis ratio sufficiens, seu causa suprema existat, necesse est.

2. Haec ratio sufficiens, seu causa suprema non est *in ipsa natura, seu essentia actionum* sita, ac si aliae a se, et per se bonae, aliae a se, et per se malae existant. Nam quaelibet actio est aliquid contingens; ergo nihil a se, vel per se, sed quidquid est, a sua causa est; et ideo moralitatis praecepta sentimus, priusquam ipsae actiones fiant: lex ergo actiones praecedit, et nobis antea nota est ut iuxta illam has iudicemus.

3. Neque ratio sufficiens huius discriminis inter bonum et malum inveniri potest in *praevisione consectariorum actionis*, ac si ex eo solum ratio actiones vel approbet, vel reprobet, quia bona, vel mala consectaria ex positis actionibus oriunda praevidet. — Saepe enim actionem illicitam agnoscimus, quae nobis magna emolumenta afferret. Dein ne ratio quidem satis exculta omnia consectaria actionis praevidet, et de eorum complexu iudicare potest, cum tamen etiam ratio minus culta de moralitate actionum saepe primo intuitu iudicium ferat. Tandem quaestio superesset, cur actiones suscipere debeamus quae bona, et omittere illas, quae mala consectaria annexa habent? — Proprio ubique commodo studere, nullatenus nobis semper probatur. Non ergo consectaria actionis quae nondum existit, sed lex praecipiens, vel vetans, quae iam existit, et nobis nota est, facit actionem iustam iniustamve.

4. Nullo quoque modo dici potest, discrimen inter bonum, et malum oriri *ex naturali propensione, vel aversione voluntatis*. Saepe enim actionem praeceptam cognoscimus, a qua voluntas aversionem sentit, et e contra. Et cum nulla actio sine praedominanti propensione voluntatis suscipiatur, si propensio bonas, sicut aversio malas faceret actiones, nulla unquam actio peccaminosa dicenda esset. Ast ipsas propensiones voluntatis vel bonas, vel malas discernimus — iuxta legem, cui ipsa voluntas subdita est.

5. Neque *ratio* ipsa sibi est lex. Ratio enim non est nisi facultas iudicandi, seu inquirendi veritatem; iudicare autem non potest sine praeviis principiis; ergo ex his solummodo actiones vel ut bonas approbare, vel ut malas reiicere potest. Dein ratio inquirit legem moralem, circa quam errare potest; legem vero agnitam mutare nequit. Ipsa ergo ratio a cognita lege morali dependet, cuius praeco iure appellatur. Tandem ratio ultima, seu suprema causa moralitatis non est, quia quaestio moveri potest, cur rationi obtemperandum sit; cum enim ratio non sit ens a se, ideo a se, vel propter se re-

(1) V. Iuvenalis Anan. lib. Sol intelligentiae: Philibert: der göttliche Friede, Staudenmaier Enzykl. S. 208, B 1.

verentiam, et obsequium postulare non potest.

6. Non potest quoque discrimen inter bonum, et malum unice repeti *ab institutione, et educatione humana*, quae sensum moralem evolvere, acuere, et dirigere, non autem producere potest. Sane homines etiam barbari, et inculti bonum faciendum, malum vitandum esse, illud praemium, hoc poenam mereri agnoscunt, nec per verba humana de contrario persuaderi possent. Ideo sensus moralis, quamvis educatio varia sit, tamen quoad summa principia ubique consentit. Atque si multi in officiis agnoscendis aberrant, omnes tamen officia dari cognoscunt, quibus non se solum, sed et alios homines, imo ipsos quoque legislatores humanos subiectos esse sciunt.

7. Cum ergo ratio sufficiens, seu causa ultima moralitatis, seu discriminis inter bonum, et malum neque in ipso homine, neque in institutione humana inveniri queat, altius quaerenda est. — Haec nimirum ratio sufficiens non potest esse nisi *ens realiter existens*, quia in animam nostram agit, cui legem moralem dictat; *ens omnibus hominibus superius*, quia omnes obligat; *ens independens*, et propter se ipsum aestimatione, et obsequio dignum, quia ratio quae semper ad causam ultimam tendit in hoc ente ita quiescit, ut, cum legem ipsius audit, ulterius non inquirat, cur ipsi obediendum sit; *ens bonum*, *sanctum*, *iustum*, quia ex conformitate cum illius lege seu voluntate intelligimus actiones nostras bonas, sanctas, iustas fieri. Et cum causa huius entis nulla cognoscatur (et generatim iam series infinita causarum repugnet), ideo hoc ens etiam independenter, seu a se bonum, sanctum, et iustum est. Voluntas ergo huius entis primi non ideo bona, sancta, iusta est quia cum lege aliqua sibi superiori concordat, sed ipsa *prima bonitas*, *originalis sanctitas*, et *fons omnis iustitiae* i. e. Deus est.

8. Nos autem, quia nihil sumus a nobismetipsis, sed in omnibus dependemus, semper ad hanc primam bonitatem, et independentem sanctitatem respicere debemus, ut bene, et sancte agamus. In ipsa ergo lege morali, cui nos omnes subiectos cognoscimus, et quam mutare non valemus, sanctitatem et iustitiam originariam, independentem, ac immutabilem i. e. Deum videmus, qui se facultati appetendi ceu summus legislator repraesentat.

§. 36.

IX. Argumentum ex desiderio felicitatis.

1. Omnes homines plene, perfecte, et semper felices esse desiderant. Ingens hoc felicitatis desiderium non potest expleri ab homine ipso undique limitato. Stimulus ergo felicitatis tendit ad ens extra hominem existens, quod sit ita *perfectum*, ut nullo bono careat, quia alias desiderium hominis ad omne bonum cognitum tendentis non expleretur, et quod pariter sit *independens*, ut nobis abripi nequeat, *immutabile*, ut non minuatur, *aeternum*, ut nunquam deficiat. Ad huiusmodi entis possessionem, seu fruitionem omnes actu stimulum sentimus.

2. Cum autem nihil sit volitum, nisi cognitum, ens tale cognitum nobis esse debet. Ideam ergo entis perfectissimi, infiniti, independentis, immutabilis, et aeterni in nobis habemus. Cum autem hanc ideam neque ex nobismetipsis, neque ex caeteris entibus creatis, et finitis haurire possimus, dubium superesse nequit, ens istud immediate se intellectui nostro repraesentare, et in nobis desiderium sui excitare. Et quia

agit in intellectum, et voluntatem, ergo actu existere, seu ens reale esse debet. — Cognoscitur ergo a nobis, et actu existit Deus.

3. Neque opponi potest, nos saepe desiderare bona, quae non existunt, uti e. g. avarus sibi montem aureum, qui non existit, desiderare potest. Magnum enim discrimen intercedit; nam idea montis aurei componitur ex ideis obiectorum actu existentium, nimirum montis, et auri. Sed idea entis infiniti, aeterni etc. ex tota natura hauriri non potest. Ergo iam ens infinitum, et aeternum existere, et in nos agere debet, ut de illo idea habeatur.

a) Deus ergo nobis iam per se notus est, non ita quidem ac si eius Esse absolutum perfecte, et intime comprehendere possimus, sed quia ipse se nobis immediate repraesentat ceu Veritas prima, ceu Sanctitas suprema, et ceu summum bonum. b) Ratio nostra, quae semper ad causam primam, et finem ultimum progreditur, ut quiescere possit, et in omnibus ad unitatem tendit, in qualibet inquisitione ad idem ens primum, et absolutum pervenit, in quo omnium rerum contingentium et ordinis pulcherrimi in mundo conspicui, ac perfectissimam harmoniam veritatis, sanctitatis, et felicitatis videt. c) Nemo ergo Deum inculpate ignorare potest, cuius existentiam agnoscere debet, sive entia extra se, sive seipsum consideret. Egregie ideo s. Augustinus dicit: « Deus ubique secretus, ubique publicus est, quem nulli licet ut est, cognoscere, et quem nemo permittitur ignorare(1). » — d) Hinc patet, quaenam censura ferenda sit de Atheismo, qui nullum Deum agnoscit, et de Pantheismo, qui omnia Deum esse dicit.

(1) Enarr. in Ps. 74.

ARTICULUS III.

§. 37.

A. Censura Atheismi.

I. *Atheismi notio.* Athei generatim vocantur illi omnes, qui Deum vel ignorant, vel negant: illi *negativi*, isti *positivi* dicuntur. Positivi vocari solent *theoretici*, qui ex principiis rationis sibi persuadere conantur, Deum non existere, *sceptici*, qui uti de aliis, ita etiam de Dei existentia dubitant, et *practici*, qui ita vitam suam gerunt, ac si Deus non existeret. — Theoretici iterum dividuntur in *non systematicos*, seu *plebeios*, qui coeco solummodo impetu Deum non existere dicunt, et in *systematicos*, seu *philosophicos*, qui excogitato systemate entium contingentium existentiam sine Deo declarare contendunt.

Nota. Non iam de atheismo negativo, sed de positivo, neque de practico, sed de theoretico, atque sceptico hic nobis sermo est.

II. *Insania* Atheismi *theoretici* ex eo apparet, quia nullo argumento probari potest, non existere Deum. Id enim probari non potest a priori, quia nihil Deo prius statui potest, nec a posteriori, quia omnis potius effectus causam supponit: neque in ipso conceptu Dei contradictio ostendi potest, quia infinitae perfectiones a nobis perfecte comprehendi non possunt. — Insaniam autem Atheismi *sceptici* ostendunt argumenta pro Dei existentia allata. Neque certitudini officit, quod fere omnia argumenta ab uno, vel altero Philosopho impugnata fuerint. Plerique enim non de ipsa veritate, sed de argumentorum pondere, vel de modo illa proponendi disputant, et pro Dei existentia unitis viribus, licet non iisdem armis pugnant. Neque praedicta dissensio ex argumentorum, sed potius ex hominum vitio oriri solet.

Cum enim sint, qui singularibus, ac insolitis delectentur, ideo fit, ut novandi studio illecti argumenta nova libenter adoptent, atque ita collaudent, ut vetera contemnant. Alii e contra solitis, ac tritis assueti, dum aegre ferunt contemni vetera, damnant nova. Porro si teste Tullio nil tam stultum est, quod non aliquis Philosophus docuerit, mirum nemini videri debet, si nihil tam certum sit, quod non aliquis Philosophus impugnaverit. Tandem dubia, quae a nonnullis contra varia pro Dei existentia adducta argumenta proposita sunt, solide iam soluta fuere.

III. *Causae* invalescentis Atheismi, et incredulitatis in veritatibus Religionis variae assignari possunt.

1. *Mala educatio* persaepe fundamenta ponit, dum vel ex industria malis principiis puerorum mens imbuitur, vel in institutione religiosa aut sola memoria torquetur, aut intellectus tantum excolitur, aut Religio sub tristi semper aspectu ceu onus durum, et formidandum proponitur.

2. Hinc inde ansam Atheismo praebet *Superstitio*. Nam si iuvenes maturescentes deprehendunt, sibi in pueritia superstitiosa, quasi ad Religionem spectent, communicata fuisse, ideo omnia, quae pueri didicerunt, suspecta habent, et superstitiosa eradicare studentes, omnia religiosa evellenda esse putant.

3. Incredulos quandoque progignit *Philosophiae studium mancum, et imperfectum*, quod equidem dubitare docet, et difficultates proponit, sed non solvit, quia veritatis inquirendae laborem refugit. Ideo adagium dicit: « Philosophia leviter gustata abducit a Deo, sed penitus exhausta reducit ad eum. »

4. *Inordinatum scientiarum naturalium studium* non raro efficit, ut, qui ausu temerario in arcana naturae involant, atque intra naturae cancellos, et limites omnia nituntur constringere, causae primae nullam amplius rationem habeant.

5. Incredulos etiam producit *immodesta sese efferendi, et ab aliis distinguendi libido*, qua multi, vesanis praeiudiciis capti, seu status dignitatem tueri, seu Philosophi nomen acquirere affectant.

6. Haud pauci in atheismi, seu incredulitatis abyssum praecipitantur, quia *incredulorum sermones* audire, et *scripta* legere non erubescunt, sed pro illis, qui Religionem tum verbis, tum scriptis defendunt, nec aures, nec oculos habent.

7. *Turpis ignorantia, vel corrupti mores* Deum profitentium, praesertim eorum, qui alios in Religione instituere, iisque bono exemplo praelucere deberent, nonnullis scandalo sunt, per quod ipsis omnis Religio suspecta fit.

8. Praecipua vero Atheismi, et incredulitatis causa est *effraenis vitae depravatio propria*, morumque licentia in omne malum effusa, moderatorem recusans, et iudicem reformidans.

9. Neque reticeri potest alius scopulus, nimirum *nimia speculatio* nonnullorum, qui Deum infinitum comprehendere vellent, quod dum non perficiunt, saepe id, quod est incomprehensibile homini, impossibile in se reputant (1).

IV. *Impietas* Atheismi talis est, ut maior cogitari non possit. Atheismus enim est a) *ingratissimus erga Deum*, quem ceu creatorem, et conservatorem non agnoscit, imo de medio tollere conatur; — b) *maxime iniquus erga semetipsum*, quia sibi spem immortalitatis, et summum bonum eripit, Legislatorem sapientissimum ceu optimam suae vo-

(1) V. Cl. Frint. tom. I. §. 180 - 220.

luntatis regulam negat, seque ad conditionem brutorum deprimit; c) *perquam perniciosus Reipublicae;* negato enim Deo, fides nulla, nulla iustitia, nullum iuriiurando robur, pactis nulla stabilitas, nulla aequitas a principibus, nullum obsequium a subditis, nisi quantum vi coguntur, expectari potest (1).

§. 38.

B. Censura Pantheismi.

I. *Pantheismi notio, et historia.* Pantheistae dicuntur, qui Deum ab hac rerum universitate non distinguunt, sed omnia ad substantiam divinitatis pertinere, et illam constituere asserunt. Antiquissimus est hic error a temporibus usque Stratonis Lampsaceni. *Parmenidis* adagium erat: Ἓν καὶ πᾶν, Unum, et Omnia. *Stoici* autem dictitabant: Iupiter est, quodcunque vides, quodcunque movetur. — Eundem errorem geometrica methodo demonstrare conatus est *Ben. Spinoza.* Quatuor propositiones illius systema comprehendunt: 1. praeter Deum nulla substantia datur; 2. Una haec substantia omni perfectionum genere est donata, maxime vero extensione, et perceptione (seu facultate cogitandi). 3. Omnia totius Universi entia nihil aliud sunt, quam huius unius substantiae modificationes, et attributa 4. Cum haec substantia (quam Spinoza divinam vocat) necessaria sit, omnia debent in mundo absoluta necessitate evenire, nullaque proinde est contingentia, nulla libertas. —De Pantheismo etiam varii inter recentiores philosophos haud immerito accusantur. *Fichte* enim in homine statuit to Ego primum, ultimum, et summum, cuius reflexione, ac consideratione omnia, quaecunque hoc in mundo conspicit, obiective, et subiective in se ipso habet, continetque: omnia vero externa in illum nihil agunt, quia nonnisi apparitiones sunt, quae suis in ideis obiective ab ipso homine practica ratione sua producuntur, et in illius anima ortae sunt, quibus hinc ideis suis nonnisi homo ipse proprium obiectivum creat, producitque mundum. Hic autem Idealismus non est nisi spiritualis Pantheismus, seu Autotheismus. Nam in Idealistarum systemate Deus ceu ens distinctum a spirituum ordine, seu a spirituali intelligentiarum mundo, nullatenus admittitur (2). — *Schelling* Deum dicit universum absolutum, in quo finitum, et infinitum, ideale, et reale unum est. Deus ergo ab universo non distinguitur: porro iuxta Schelling Deus ipse ex eodem caliginoso principio seu chao *(dunklem Grund)* evolvitur, ex quo reliquae creaturae prodeunt; ergo a natura non differt, a qua et ipse progreditur. Quis theoriam hanc a Pantheismo vindicabit? — *Hegel* se ceu Pantheistam, seu Atheum satis clare ostendit, dum negat, Deum personaliter existere, sed talem solummodo adstruit, qui in hominis ratione sui conscius fit. Tandem *San-Simoniani* Pantheismum, seu autotheismum universalem totius generis humani praedicant, quod unire satagunt in unam familiam aequalium personarum, exclusa omni inaequalitate, vel privilegio orto ex nativitate. Ideo societatem, et mundum ipsum Deum dicunt (3).

II. *Absurditas Pantheismi,* quem Spinoza cum aliis docet, ex variis rationibus apparet: a) Certum enim est, actiones, et passiones proprie modificationibus non tribui, sed subiectis. Quare si Deus est unica substantia, et si reliqua omnia non sunt

(1) V. Storchenau, philosophie der religion b. 1, n. 2.

(2) Cf. Fejér, inst. dogm. t. I. §. 45.
(3) V. Perrone, t. II. p. II. c. I. §. 233.

nisi huius substantiae modificationes, nihil de hominibus, animalibus etc., sed omnia de Deo praedicari possunt, et debent, e. g. scelera, furta, latrocinia etc. Porro, cum ipsa ratio dictet, non posse duas modificationes contrarias uni individuo subiecto convenire, tamen iuxta systema Spinozae de Deo dici poterit, quod sit eodem tempore tristis, et laetus, calidus, et frigidus, reus, et iudex etc. quo quid absurdius? — Iam s. Augustinus haud absimili commento Pythagorae, et aliorum veterum Philosophorum asserentium, Deum esse animam mundi, quae omnia vivificet, corpus vero Dei mundum esse, eodem fere modo respondit. « Quod si ita est, ait, quis non videat, quanta impietas, et irreligiositas sequatur, ut quod calcaverit quisque, partem Dei calcet, et in omni animante occidendo pars Dei trucidetur? nolo omnia dicere, quae possunt occurrere cogitantibus, dici autem sine verecundia non possunt. — Iam vero partes Dei fieri lascivas, iniquas, impias, atque omnino damnabiles, quis ferre possit, nisi qui prorsus insaniat? (1)» — b) Si, ut Spinoza docet, omnia ferrea necessitate eveniunt, non dantur ergo in homine actiones liberae, ideoque nec bonae, nec malae, nec praemium, nec poena; talis autem conclusio tum sensui intimo, tum rationi adversatur. c) In Substantia Spinozae, cuius attributa sunt extensio, et intelligentia, nihil infiniti habetur. Tam enim corpora extensa, quam etiam vires agendi, seu ipsae cogitationes humanae plures, et maiores esse, ideoque augeri possunt; nullatenus ergo infinitae sunt. d) Si omnia, etiam entia contingentia, ad unam substantiam pertinent, quae Deus dicitur, ergo haec una substantia tempori est subiecta; quomodo autem hoc posito aeterna status potest? Anne series momentorum praeterlapsorum infinita est, an non? si infinita est, quomodo momenta nova continuo accedere possunt? si vero infinita non est, (quia generatim numerus infinitus repugnat) ergo initium habet. Si autem illa una substantia incipit, quomodo origo illius declarabitur? seipsam sane producere non potuit, quia debuisset esse, ut produceret, et non esse, ut produceretur. Necessario ergo statuitur ens a substantiis tempori, et spatio subiectis, prorsus distinctum, a se, et in se personaliter existens. e) Denique sicut Atheismus, ita et Pantheismus tum antiquior, tum recentior solide confutatur per argumenta pro Dei existentia adducta. Argumentum enim cosmologicum ostendit, Deum ut ens a se, et aeternum ab entibus contingentibus prorsus distinctum, et non partem, sed supremam causam eorumdem esse. (§. 28). Non ergo ex natura evolvitur, explicatur, seu progreditur Deus, qui illam fecit, et sapientia infinita disponit, regit, et gubernat, ut fert argumentum physico-theologicum. Non confutandus, sed deridendus esset, qui diceret architectum evolvi, aut progredi ex aedificio, vel unum esse cum aedificio, quod dexterrime construxit; nam a nobis quidem ex aedificio optime constructo architecti dexteritas cognoscitur, quae autem iam ante aedificium in mente architecti exstitit, et ab illo penitus distinguitur (§. 29). Porro mundi visibilis motus non a materia neque a spiritu contingente, et finito, sed solum ab Ente spirituali, aeterno, omnipotente, et infinito, quod ab entibus motis penitus distinguatur, repeti potest (§. 30). Plurimi quidem populi falsos de Divinitate conceptus habuerunt, sed tamen communi consensu Deos a rebus terrenis distinxerunt, iisdem intellectum, volunta-

(1) L. 4. de civ. Dei c. 12 et 13.

tem, et actiones personales adscripserunt, quos idcirco etiam colendos, timendos, et invocandos esse arbitrati sunt. Consensus ergo populorum sicuti atheismum, ita et pantheismum rectae rationi repugnare ostendit (§. 31). Ratio practica existentiam Iudicis iustissimi, omnipotentis, et omniscii postulat, qualis in systemate Pantheistarum assignari nequit. Admisso ergo Pantheismo, actum est de omni moralitate, praecipue cum etiam sublata libertate ineluctabilis per illum necessitas adstruatur (§. 33). Denique ad confutandum pantheismum Hegelii optime inserviunt tria ultima argumenta (§. 34 et seq.) in quibus ostenditur, Deum ut aeternam veritatem menti nostrae lucere, ut supremum Legislatorem nobis leges dictare, et ut summum bonum desiderium sui excitare: quis haec considerans rationem personalitatis Deo denegabit? quis dicere non erubescet, Deum in homine tantum sui conscium fieri? — Nil profecto a vera Philosophia longius recedit, quam Pantheismus, qui supra limitatam naturam et rationem propriam se extollere non valet, qui certis principiis reiictis apparentia sophismata congerit, et obscuro ac fallaci verborum involucro obtecta venditat, qui omnia confundit, et nullius rei rationem sufficientem assignat! - (1).

Nota. Pantheistae ad errorem suum propugnandum variis sophismatibus utuntur, quae iam proponere, et solvere decet.

Obi. 1. Substantia, ait Spinoza, nihil aliud est, quam id, quod est in se, et per se concipitur; hoc est, id cuius conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debet. Sed una solummodo substantia per se, et in se existens, et ab omni alia independens cogitari potest.

Resp. Falsum Spinoza conceptum de substantia in genere proponit, quam distinguere oportet. Substantia, quae est a se et per se existit undequaque independens, et caeterorum entium causa, una solummodo esse potest: sed dari possunt, et vere dantur substantiae contingentes, et finitae, quae in hoc tantum sensu in se, et per se existunt, quatenus non indigent alio subiecto, cui inhaereant, et sic ab accidente, et modificatione distinguuntur, quorum proprium est, alteri inhaerere subiecto, ut e. g. dulcedo in melle, albedo in lacte est. In hoc autem sensu plures substantiae finitae, et contingentes vere dari possunt, prout plures homines in se existentes, et ab aliis hominibus independentes vere dantur. Primum ergo Spinozae principium, ex quo totum systema deducitur, prorsus falsum est, et sublato hoc fundamento tota superstructa moles ruit.

Obi. 2. Substantia, quae tantum cogitat, non potest producere substantiam materialem, et extensam, cum cogitante nihil commune habentem.

Resp. Substantia infinitae potentiae quaecumque intrinsece impossibilia non sunt, producere potest, sive illa sint corporea, sive non. Neque semper necessarium est, ut causa attributum suae naturae communicet effectui, uti in sagitta, et vulnere palam elucescit.

Obi. 3. Mundus hic procul dubio continet perfectiones plurimas: si statueretur, Deum esse ab hoc mundo distinctum, sequeretur, dari perfectiones, quibus Deus careat, aut quod idem est, Deum non esse infinite perfectum.

Resp. a) Perfectiones, quae uni insunt, non impediunt perfectiones

(1) v. Perrone, tom. II. p. II. c. I. §. 259.

alterius, sic ex eo quia Petrus doctus est, non sequitur, Paulum hac vel illa doctrina carere. b) Perfectiones, quae mundo insunt, Deus continet — non *formaliter*, ut Scholae loquuntur, sed *eminenter*, i. e. sublimiori, excellentiori, et infinito modo; habet enim e. g. esse perfectissimum, vitam beatissimam, intellectum omniscium etc. etc. c) Neque Deus, ceu ens simplicissimum et infinitum, potest continere formaliter id, quod finitum est: omnes autem mundi perfectiones sunt finitae. d) Creaturae omnes, utcunque perfectae, non sunt verum *Esse*, sed perpetuum *Fieri*. Unde in illis duo consideranda sunt — τὸ *Fieri*, quod non est vera perfectio, sed potius limitatio, et dependentia quaedam, — atque τὸ *Facere*, *Producere*, *Conservare*, quod est perfectionis: hoc autem totum est Dei, qui, sicut Creator, ita et Conservator est omnium. In hoc sensu dici potest, et debet: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (1).

Obi. 4. Deus est unica, eademque infinita substantia; igitur extra Deum nulla substantia datur: alias Dei substantia desineret, ubi haec substantia inciperet, sicut si corpus unum daretur mole infinitum, extra illud corpus nullum dari posset.

Resp. Hoc argumentum falsa laborat hypothesi, quasi esset Deus eo sensu unica, et infinita substantia, quod esset complexus, et aggregatum quodpiam rerum omnium sive corporearum, sive incorporearum, cum potius existimandum sit, esse Deum substantiam simplicissimam, et infinitam, prorsusque tum quoad essentiam, tum quoad existendi modum distinctam ab entibus contingentibus, et finitis, quae per ipsum, et in ipso constant. — Neque obstat adiectum de corpore infinito exemplum. Revera enim, etsi ponatur corpus mole infinitum, praeter illud admitti tamen possunt alia, quae extensione careant, e. g. spiritus, cogitatio, volitio. Itaque praeter res corporeas, atque incorporeas, quanquam hae infinitae ponantur, dari potest substantia ab his distincta, eademque perfectissima, ita ut nequidem substantiae nomen cum reliquis commune habeat, quemadmodum Theologi non minus quam Philosophi observarunt, Deum supersubstantialem nominando (2).

(1) Rom. cap. 11. v. ult.

CAPUT III.

DE SUBIECTO RELIGIONIS SEU DE HOMINE

§. 39.

Ut theoria Religionis solide proponatur, demonstrata iam existentia Dei, ipse homo, ceu Religionis subiectum considerandus venit. Indagare nimirum oportet a) *naturam hominis*, ut appareat, qualium moralium relationum capax sit, et b) *finem hominis*, ut innotescat, quales relationes morales perficere debeat.

§. 40.

A. Natura hominis.

Cum homo ex corpore, et anima constet, natura ipsius duplex est, *sensualis*, et *rationalis*. Natura autem hoc loco nobis non est nisi principium internum, et stabile passionum, et actionum hominis, et quidem sensuale ad res, quae sub sensus cadunt, rationale vero ad res, quae supra sensus positae sunt. Haec vero nobilior natura hominis in triplici facultate hominis *cognoscendi*, *sentiendi*, et *appetendi* se exserit.

1. Dum enim conscientiam nostram reflexione expendimus, in illa deprehendimus *cognitiones*, i. e. rerum materialium, quas ope sensuum

(2) Cf. S. Thom. Aq. l. 1. c. Gent. c. 25. Perrone l. c. Fejér inst. dogm. t. II. §. 11.

percipimus, repraesentationes, et rerum invisibilium, quas ratio contemplatur, ideas. Habemus ergo facultatem, non solum nos ipsos, sed etiam entia extra nos existentia cognoscendi, eaque iuxta nota nobis principia, seu veritatis criteria diiudicandi. Quisquis enim rationis usu potitur, intime percipit, a) esse aeternam, ac incommutabilem *veritatem*, ad quam, quidquid datur, diiudicare, et aestimare cogimur, (§. 34) et b) esse quoque aeternam aliquam, et absolutam *legem*, cui omnes actus ex nostro arbitrio pendentes conformari oporteat. Ratio ideo dividi solet in *theoreticam*, quae iuxta aeternae veritatis normam ea, quae sunt, perscrutatur, et in *practicam*, quae liberam hominis activitatem ad aeternam legem expendit. Illa relationes, in quibus homo versatur, agnoscit; haec ex relationibus cognitis officia deducit. — Errant autem, qui rationem theoreticam, et practicam ita distinguunt, ut quasi duplicem rationem, realiter distinctam in homine adstruere videantur. Una enim est hominis ratio, quae autem varie operatur, et varia dictat (1). Et haec una ratio se ad veritatem cognoscendam destinatam sentit, quam naturali nisu sectatur, nisi malarum turbine passionum abripiatur.

2. Praeter cognitionem datur aliud adhuc percipiendi genus, quo nempe nos ipsos ab obiectis certo modo affectos persentiscimus. Quando enim res vel materiales, vel spirituales percipimus, et cogitamus, oritur in nobis grata, vel ingrata sensio, prout nobis res vel iucunda, vel molesta videtur. Adest ergo in nobis *facultas sentiendi* —*sensualis*, quae ex materialibus, et *rationalis*, quae ex spiritualibus obiectis gratam, vel ingratam sensionem percipit. — Facultas haec cum magno, et vehementi stimulo coniuncta est, gratas sensiones percipiendi, ingratas vero refugiendi. Nullus enim hominum est, qui non impetu naturali versus iucunda, iucunditatisque adminicula animo repraesentata se stimulari, ab oppositis autem vehementer se retrahi sentiat. Nemo unus est, qui possibilis summae, atque perdurantis iucunditatis, seu felicitatis desiderio non afficiatur. — Nativus hic impetus, et innata iucunde, beateque vivendi cupiditas— *stimulus felicitatis* dicitur, et tendit in statum ab omni malo remotum, et omni bono refertum.

3. Licet obiecta cognita vel iucunda nobis, vel ingrata esse sentiamus, nihilominus — absolute loquendo — iucunda respuere, et molesta amplecti possumus, prout nobis sensus intimus testatur. Praeter facultatem sentiendi est ergo in nobis *facultas* quoque *appetendi*, eligendi, seu volendi. Haec facultas — negative immunitatem a necessitate interna, et coactione externa, et positive potentiam se ipsum determinandi importat, ac *libertas* dicitur, quae sese exserit tum in deliberatione, tum in electione, tum in decreto capiendo. Licet autem haec libertas sit in homine, non tamen, quaecunque illi placent, eligere, et velle potest, neque semper stimulum iucunditatis sequi aut necessarium, aut licitum est. Saepe enim, quae iucunda apparent, interno monitu reiicienda, quae vero molesta sunt, eligenda esse cognoscimus. Turpia enim, licet iucunda, reiici; honesta vero, licet molesta, perfici debere, interna quaedam vox ita dictat, ut vix ullo modo illam non audire possimus. Facultas ergo appetendi subest legi, quae honesta eligenda, et inhonesta refugienda praecipit, i. e. *legi honestatis*. seu *moralitatis*. Et

(1) V. Frint R. H. t. I. §. 30 - 33.

haec lex maioris dignitatis, et gravitatis est, quam stimulus felicitatis, quia remorsum conscientiae sentimus, et nos male egisse cognoscimus, si illa lege neglecta, stimulum iucunditatis fuerimus secuti.

Nota. Ex hactenus dictis sequentia corollaria fluunt: a) Naturae nostrae tres facultates cognoscendi, sentiendi, et appetendi cum correspondentibus stimulis, et legibus *ab ipso naturae Auctore insitae* sunt, quod illarum existentia a prima iuventute, universalitas in omni loco, et tempore, ac indelebilitas post omnes eventus ostendit. b) Facultas cognoscendi in veritatem, sentiendi in felicitatem, appetendi in moralitatem tendit; finis enim cognitionum veritas, sensionum felicitas, et appetitionum virtus est, ad quos fines triplex nostra facultas tum per leges suas naturales, tum per stimulos originarios dirigitur. c) Natura ergo hominis iuxta originariam suam institutionem tendit in veritatem, in felicitatem, et in moralitatem: exinde autem finem hominis determinare licet.

§. 41.

B. Finis hominis.

Quilibet sapiens artifex operi, cui perficiendo insudat, finem praefigit, ad quem promovendum omnes illius partes ordinantur. Certe ergo Deus quoque, Creator sapientissimus, nobilem homini finem proposuit, ad quem promovendum tota ipsius natura dirigatur. Talis ideo hominis finis statuendus est, ut nulla ipsi facultas frustra insita sit, sed omnes eius facultates cum suis legibus, et stimulis illum promoveant. Quapropter finis, seu destinatio hominis est *harmonia moralitatis, et felicitatis veritati innixa.* Haec autem harmonia in eo consistit, ut homo veritatem cognoscens, moralitatem perfectam sectetur, et per hanc felicitatem veram, et perdurantem consequatur. Ad hanc harmoniam perficiendam homo omnibus viribus, et toto vitae suae tempore tendere debet (1).

Nota. Circa finem hominis errant *Eudaemonistae*, et *Puristae.* a) Eudaemonistae pro supremo hominis fine statuunt felicitatem, ceu primam agendi regulam praescribunt: Tende ad summam, quantum potes, felicitatem: ipsamque moralitatem nonnisi ut medium venerantur acquirendae felicitatis. — Sed cum finis hominis debeat esse consentaneus eiusdem facultatibus, et stimulis, non potest talis finis statui, in quo stimulus nobilior honestatis subordinandus esset stimulo minus nobili felicitatis. Porro si felicitas suprema esset hominis destinatio, quidquid utile, et iucundum esset, etiam honestum esse, et ad officia hominis pertinere deberet, et ratio non posset praecipere honestum, si molestum, nec vetare turpe, si iucundum foret: contrarium autem ratio dictat, et sensus intimus contestatur. Et sane moralitas propter semetipsam aestimationem meretur, licet felicitatem ceu consectarium coniunctam habeat (2). b) Puristae, duce *Kantio*, moralitatem ita pro fine hominis statuunt, ut omnem ad felicitatem respectum excludant: summum in ipsorum systemate principium est: Tende ad moralitatem ex absoluta aestimatione legis moralis; quia, ut aiunt, corrumpitur actio, si cum respectu ad felicitatem peragatur, neque actio moralis, sed mere legalis dicenda foret. — Ast — non potest talis finis hominis admitti, quo posito facultas quaedam ipsi concessa prorsus superflua, et stimulus cum

(1) V. Dobmayr, t. II. §. 28. Frint, t. I. §. 1-48.
(2) V Frint, §. 17-28 tom. 1.

ipsa coniunctus noxius dicendus esset. Si autem ita moralitas finis hominis est, ut omnis ad felicitatem respectus interdicatur, ad quid homini stimulus felicitatis insitus est, si ad felicitatem tendere illicitum sit? Stimulus hic moralitati subordinari debet, exui non potest. – Ipsa sane experientia ostendit, homines ignavos, et desides fieri, nisi spe felicitatis ad recte agendum incitentur. Sicut ergo prudens pater filios suos propositis praemiis ad bonum allicit; ita Deus homines obtinendae felicitatis desiderio ad recte vivendum incitat. Ideo ipsis stimulum felicitatis indidit, et quis illo ceu medio ad moralitatem uti, illicitum dicet? — Errat profecto Kantius, dum moralitatem ex absoluta legis moralis aestimatione exercendam praecipit; ipsa enim lex moralis nonnisi propter Deum, illius auctorem, aestimationem, et obedientiam meretur, atque ideo actiones morales propter Deum tum sapientissime praecipientem, tum benignissime remunerantem suscipiendae sunt.

CAPUT IV.

DE RELIGIONIS POSSIBILITATE ET NECESSITATE

§. 42.

Relationes inter entia activa, et libera mutua actione perficiuntur. Ut ergo relationes inter Deum, hominemque innotescant, actiones Dei, et facultates activae hominis considerandae sunt.

1. *Deus* agit in hominem non solum *physice*, quia eundem sicut caeteras creaturas et creat, et conservat, et gubernat (§. 28 et 29) sed etiam *moraliter*, seu spiritualiter, quia homini ceu creaturae rationali se repraesentat ceu prima veritas, ipsi tamquam legislator supremus legem dictat, et ut summum bonum desiderium sui excitat (§. 34, 35 et 36). Actio ergo moralis Dei in hominem est amplissima, utpote quae omnes hominis facultates spirituales in omni tempore, et loco afficit.

2. *Homo* non quidem eo sensu in Deum agere potest, ac si ipsi dare quidpiam, vel felicitatem eius augere possit; sed homo facultates suas spirituales ad Deum referre a) cum liber sit, *potest*, et b) quia dependens est, *debet*, atque ideo Religio non solum possibilis, sed vere etiam necessaria iure statuitur.

§. 43.

A. Religio est possibilis.

Relationem moralem hominis ad Deum, seu religionem possibilem esse, ex ipsa recte considerata natura hominis patescit. Homo enim potest ad Deum referre

a) *facultatem cognoscendi*, Deum infinitis perfectionibus praeditum, caeterorum entium Creatorem, Gubernatorem etc. considerando;

b) *facultatem appetendi*, Deum ceu supremum Legislatorem venerando, ipsiusque legi obtemperando;

c) *facultatem sentiendi*, Deum ceu summum bonum desiderando, et de illius perfectione gaudendo;

d) *facultates inferiores et exteriores* saltem mediate, quibus internae cognitiones, appetitiones, et sensiones non solum exprimi, sed et excitari, atque promoveri possunt.

Homo ergo omnes facultates suas moraliter ad Deum referre potest, atque ideo Religio pro ipso vere possibilis est.

Nota. Dum facultates nostras praefato modo ad Deum referimus, omni iure Deum colere dicimur; quamobrem Religio recte *cultus Dei* nominatur (1). Male autem ratiocinantur, qui dicunt, offendi Deum a nobis non posse, igitur neque coli. — Verum enim omnino est, intrinse-

(1) V. Klüpfel inst. theol. dogm. §. 5.

cam Dei perfectionem, et felicitatem neque per peccata nostra minui, aut turbari, neque per cultum nostrum augeri. At falsum prorsus est, hominem, libertate donatum, non posse facultatibus suis relate ad Deum aut male, aut recte uti; atque in hoc sensu Deus a nobis vel offendi, vel coli potest (1). Religionis possibilitatem negare non possunt, nisi qui vel ipsum Deum negant, vel hominem ad conditionem brutorum deprimunt (2).

§. 44.

B. Religio est necessaria.

Religio necessaria dicitur — non iam Deo, qui nullius rei indigens in se felicissimus est — neque homini eo in sensu, ac si homo pathologice ad Religionem necessitetur, sed sensus propositionis est, hominem ad facultates suas ad Deum referendas *teneri*, quia ratio - ceu praeco summi Legislatoris hoc praecipit, quod probatur

1. *ex consideratione hominis.* Ratio enim hominem iubet ad finem suum tendere, facultates suas rite adhibendo, ac perficiendo. Iubet ergo *primo* tendere ad cognitionem veritatis, sed veritas prima, sine qua nihil verum est, realitas absoluta, quae omnes perfectiones continet, Deus est, cognitu ergo dignissimus, et maxime necessarius. *Secundo* ratio hominem iubet tendere ad perfectissimam moralitatem: cum autem ratio non sit sibi ipsi absolutus, et independens legislator, pro facultate appetendi regula aliqua sublimiori opus est: regulam autem perfectissimam sequi iubet ratio, quae perfectissimam moralitatem exigit. Regula autem perfectissima non potest esse, nisi ipsa Sanctitas infinita, seu voluntas entis perfectissimi, et absoluti, iuxta quam proinde facultas appetendi dirigi debet. *Tandem* ratio hominem iubet tendere ad veram, et perfectam felicitatem, quam cum non inveniat neque in se, neque in aliis creaturis, iubet tendere ad ens increatum ceu summum bonum. Omnes ergo hominis facultates, ratione dictante, ad Deum referri debent, et sic Religio homini necessaria est.

2. *ex consideratione Dei - entis perfectissimi.* Ratio sana praecipit, ut quodlibet ens secundum dignitatem naturae et aestimemus, et amemus. Deus autem est ens primum, absolutum, perfectissimum, infinitum: ergo supra omnia alia entia, et propter semetipsum aestimari, et amari meretur. Summa vero aestimatio facultatem cognoscendi, et summus amor facultatem appetendi, et sentiendi Deo penitus subiicit.

3. *ex consideratione Dei Creatoris, et Gubernatoris.* Ratio pro beneficiis acceptis gratum animum referre iubet, et quidem eo magis, quo plura, atque maiora beneficia obtenta fuerunt. Deus autem Creator et Gubernator noster est, — omnem ergo a nobis aestimationem, amorem, reverentiam, et obedientiam pleno iure exigit. Imo quia - quidquid boni habemus, a Deo accepimus, omnia pariter grato animo ad Deum referenda sunt. Praeclare in hanc rem disserit Cl. Genuensis: « Haec dependentia, ait, inter nos, et Deum necessariam relationem constituit, ex qua porro fit, ut illi nos servitutem, et religionem debeamus. Quocirca ut nequit esse homo nisi a Deo, ita absurdum est, ut sine auctoris sui cognitione, et cultu vivat. Uno verbo: Religio nostra erga Deum naturam Dei, et nostram necessario consequitur (3).

4. *ex consideratione totius Uni-*

(1) Ibid. §. 4.
(2) Klee t. I. § 3.
(3) Metaph. p. 7. c. 5. §. 20.

versi. Totum Universum attente consideranti facile patet, omnia, quae in illo reperiuntur entia Opificis sui perfectiones manifestare, eiusque gloriam promovere. Id autem certe non ex alio fine contingit, nisi ut homines, ratione praediti, Creatoris sui omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, omnipraesentiam, providentiam etc. cognoscant, ipsumque debito modo colant. Quis ergo non agnoscet gravissimum Religionis exercendae officium, ad quam homo per omnes, quas conspicit, creaturas provocatur?

5. *ex consensu gentium*. Sicut enim omnes gentes divinitatem aliquam admiserunt, sic etiam ubique locorum persuasae fuerunt, inter Divinitatem, et homines relationes morales dari, illamque summi aestimandam, timendam, colendamque esse. Ideo apud omnes, licet barbaros populos, species quaedam Religionis inventa est. Ex isto autem universali consensu apparet, rationem ipsam, naturali lumine illustratam Religionis praeceptum dictare.

Ratio, cum sit ens contingens, propter semetipsam aestimationem, et obsequium non meretur, sed quia est praeco summi, et absoluti Legislatoris, cuius nobis voluntatem manifestat. Deus ergo ipse per rationem nobis Religionem praecipit, sine qua ad finem nostrum felicitatemque perennem pervenire non possumus.

Nota 1. Ex dictis apparet, Religionem sub triplici praecipue respectu necessariam esse. Deus enim a nobis colendus est 1. quia est *in se perfectissimus*, 2. quia est *Creator, et Gubernator omnium*, 3. quia est *ultimus Finis noster*, quem per solam Religionem attingere possumus.

Nota 2. a) Falsum ergo est, dicere cum *Kantianis*, Religionem solummodo necessariam esse ceu medium requisitum pro moralitate, quia sine Religione nec omnes relationes, nec omnia officia, nec sufficientia motiva cognoscerentur. Moralitas enim Religionem supponit, ab hac illa imperatur, et in hac illa continetur: autonomia autem rationis practicae admitti neutiquam potest (§. 35). b) Falsum pariter est, asserere *cum Eudaemonistis*, Religionem ex eo tantum necessariam esse, quia est medium necessarium ad felicitatem. Deus enim non solum, quia nobis bonus, sed etiam quia in se bonus est, a nobis coli debet. c) Falsum tandem, et maxime impium est, dicere cum *Machiavelli*, Religionem non requiri nisi ut medium necessarium ad securitatem externam in statu civili obtinendam. Contrarium sane allata iam argumenta evincunt.

CAPUT V.

DE SPIRITU RELIGIONIS

§. 45.

Religio est relatio moralis hominis ad Deum. Sicuti autem totus homo a Deo pendet, sic etiam totus homo ad Deum referendus est, per liberum voluntatis actum, qui cognitionem, seu fidem supponit, et felicitatem moralitati correspondentem meretur. In hoc consistit verus Religionis spiritus, qui 1) praecipue quidem *interius residere*, 2) sed *exterius quoque se manifestare debet*. Religio ergo, ut completa sit, finique suo satisfaciat, non solum *interna*, sed etiam *externa* sit oportet.

§. 46.

I. De religione interna.

Ut Religio non in hypocrisin, aut mechanismum degeneret, in mentis, animique actibus praeprimis consistere debet. Imo ut perfecta moralis unio cum Deo obtineatur, homo o-

mnes facultates suas, et *quidquid rerum externarum ipsum afficit, ex puro motivo* ad Deum referre debet.

1. *Facultas* ergo *cognoscendi* eo semper tendere debet, ut complexum veritatum, et officiorum, relationes Deum inter, et homines determinantium usque melius cognoscat. Ratio ideo vel maxime adhibenda est ad Dei perfectiones, opera, beneficia, legesque considerandas. Haec enim cognitio non solum in obiecto suo dignissima, sed etiam ad moralitatem, et felicitatem, maxime necessaria est, et non immerito *basis*, seu *fundamentum Religionis* dici potest. — *Facultas appetendi* se totam Deo ceu supremo legislatori subiicere, et voluntatem eius, seu legem moralem in omnibus adimplere debet. Ad hoc enim cognitio, seu fides tendit, quae inutilis esset, si moralitatem non procrearet. Illa ergo liberae voluntatis subiectio, et quae exinde oritur moralitas est quasi *anima*, seu *vita Religionis*. — *Facultas sentiendi* Deum ceu summum bonum appetere, ceu ultimum finem suum exspectare, seu sperare debet. Deus enim, qui moralitatem cum correspondente felicitate homini pro fine praefixit, posita ab homine moralitate, certissime etiam felicitatem inexplicabilem, i. e. se ipsum fruendum concedet: et haec ipsa Dei fruitio, ceu intima cum Deo unio est *Religionis consummatio*. — *Facultates animae inferiores* sicuti a superioribus regi, his subesse, et inservire debent ex ipsa natura sua, sic etiam in Religionis negotio has in suis erga Deum functionibus recte persolvendis adiuvare tenentur, et sic mediate ad Deum referuntur. Idem quoque dicendum est de viribus corporis, quarum exercitium a voluntate pendet.

2. Praeterea cum nihil existat a se, sive absolute, sed omnium rerum Deus ipse et creator, et finis sit, ideo omnes res, quae extra Deum, hominemque existunt, ad unum absolutum referre Religio iubet.-Quidquid ergo homo percipit, a Deo creatum, et dependens esse sciat, et sic in omnibus unum Creatorem, et Gubernatorem agnoscat, cuius perfectiones admirari, et laudare et in minimis, et in maximis decet.— Nihil creati propter se appetat mens humana, neque in re limitata, et contingenti ultimum suum finem, seu supremam felicitatem constituat; sed omnia aestimet, et diligat ceu opera Dei, neque illa eligat, vel respuat, nisi iuxta voluntatem Dei. — In omnibus demum eventibus homo sapientissimum Dei decretum agnoscere, ac illi se humiliter submittere debet.

3. Homo facultates suas, et quidquid rerum externarum ipsum afficit, ad Deum referre debet *ex puro motivo*, nimirum *ex amore benevolentiae*, quia Deus est in se perfectissimus, ideoque omni gloria, et obsequio propter se dignissimus; *ex amore gratitudinis*, quia Deus est Creator, et Gubernator, cuius beneficia numerari non possunt; *ex amore amicitiae*, quia Deus est ultimus ipsius finis, ad quem ceu ad infinitum bonum tendit, et quo unice satiatur stimulus felicitatis. Ex hisce enim motivis, et sub his respectibus Religio homini necessaria probata fuit.

4. Ex hactenus dictis haud difficile est, verum Religionis internae spiritum declarare. — Verus nimirum Religionis spiritus non consistit in frigida, et mortua speculatione, quae nihil operatur, neque in effervescente mysticismo, qui solis sensionibus, seu phantasiis regitur, sed consistit in clara, et solida *cognitione*, quae moralitatem producit, et felicitatem expectat, seu consistit in *fide* viva, spei, et charitati unita.

— Spiritus porro Religionis non consistit in sola pietate, seu in sterili devotione sine virtute, seu sine operibus bonis, neque in sola virtute sine pietate, et devotione, quae inter primaria officia erga Deum recenseri debet, sed consistit in vera, libera, et activa *charitate*, quae fidem supponit, et spem producit. — Spiritus demum Religionis non est Spiritus crassioris, aut subtilioris Eudaemonismi, qui solummodo seipsum quaerit, neque stoicae insensibilitatis, et asperitatis, quae omnem sensum, et omnem ad felicitatem respectum exuere iubet, sed est spiritus *spei* in felicitatem immortalem, cuius fundamentum fides, conditio charitas, seu moralitas est. — Breviter dici potest: Spiritus Religionis est spiritus *fidei* vivae in Deum veritatem primam, *charitatis* fervent is in Deum sanctitatem absolutam, et *spei* bene ordinatae, ac firmae in Deum summum bonum. — Sic ipsa ratio agnoscere, et probare valet, cum quanta sapientia a discipulo Christi dictum sit: *Nunc manent fides, spes, charitas tria haec: maior autem horum est charitas.* Nullus sane Philosophorum melius quid proferre potest (1).

Nota. Non desunt, qui propositam de Religione theoriam nullatenus admittere volunt. Assertionem, omnia ad Deum referenda esse, ceu absonam respuunt. Deus, aiunt, non est ceu princeps, amore proprio plenus, vel ut tyrannus, qui, cum nulla re egeat, cuncta tamen in suum commodum pertrahere conetur. Qui talia de Deo asserit, ipsi putidum amorem proprium adscribit, vel, ut dicit *Hegel*, divinum egoismum, omni iure detestandum, praedicat. — Ast, quod isti effutiunt, non minus impium, quam falsum est: a) quantae etenim temeritatis est, per rationem humanam finitam, et infirmam ea diiudicare velle, quae ens sapientissimum, et undequaque infinite perfectum ordinavit, et sanxit? — Quidquid tale ens - absolutum, et independens, vult, et decernit, iam eo ipso optimum, et sanctissimum est; nullatenus ergo homini licitum est investigare, cur Deus cultum exigat, cum voluntas eius per rationis sanae lumen ipsi innotescat. b) Comparatio cum Principe hic applicari nequit. Si enim princeps terrestris homines sibi quoad dignitatem originariam aequales, ceu mera felicitatis suae instrumenta adhibeat, absque dubio iniuste agit; ens autem absolutum, et omnium creator de creaturis suis pro libitu disponere potest. c) Nihil porro magis insipidum est, quam ens supremum, et infinitum de putido amore proprio accusare, cum ipsa sana ratio ens infinite perfectum non aliter, nisi infinite se amans concipere possit. — d) Caeterum per Religionem Dei commodum, perfectionem internam, et felicitatem non augeri, manifestum est. Commodum ex Religione ipse homo refert, qui per unionem cum Deo ad veram dignitatem, et perfectam felicitatem pervenit.

(1) Cf. Sailer Grundl. d. R. 5 Vorlesung, Dobmayr, t. II. §. 45.

§. 47.

II. De Religione externa.

A. *Notio.* Religio externa dicitur complexus signorum externorum, seu sensibilium, quibus cultus Dei internus exprimitur, ac promovetur. Signa haec possunt esse vel *naturalia*, quibus affectiones internae suapte natura se exprimere solent, vel *statutaria*, quae ex conventione hominum, vel a potestate altiori ad Religionis sensus tum exprimendos, tum promovendos ordinata sunt.

B. *Necessitas.* Omnes homines ad

14097

cultum externum obligari, non est difficile probare. Nam

1. Homo obligatur ad cultum Dei internum: atqui externus cultus ex interno nascitur. Ita enim a natura comparati sumus, ut sensus, et affectiones animae exterius manifestare gestiamus. Quare si internos erga Deum sensus nunquam exterius manifestaremus, ipsi naturae, a Deo conditae, obsisteremus, atque contra ipsam Dei voluntatem rebellaremus, quod manifeste illicitum est.

2. Homo tenetur ad cultum Dei internum, ergo tenetur ad ea perficienda, quae ad cultum internum utilia, et necessaria sunt. Sed cultus externus non solum utilis, sed et necessarius est ad promovendum cultum internum. Homo enim sensibus alligatus, et corpore onustus ad obiecta mere spiritualia attentionem suam difficillime diutius retinet, nisi rebus sensibilibus, et signis externis excitetur, et adiuvetur. Religio ergo externa ceu necessarium medium ad Religionem internam statuenda est.

3. Sicuti homo se ad religionem obligatum cognoscit, sic eandem obligationem in aliis quoque hominibus negare non potest. Imo cuilibet persuasum est, neque se, neque alios homines sine Religione ad perpetuam felicitatem pervenire posse. Charitas ergo, quam tum Deo, tum proximo suo, eadem dignitate ornato debet, exigit, ut cultum Dei, seu Religionem in aliis quoque promoveat. Id autem perficere non potest, nisi Religionem suam signis externis manifestet, et per exempla, atque sermones alios ad Religionem colendam excitet. Ad religionem itaque externam homo ceu civis regni divini moralis obligatur.

4. Praeceptum rationis de cultu Dei externo confirmatur ex consensu populorum. Ubicumque enim obtinuit aliqua Religio, ibi obtinuit etiam cultus Dei externus, licet vario modo ordinatus.

C. *Finis.* Ex dictis inferri potest, cultum externum proxime ordinari 1. ad Religionem internam tum intellectus, tum voluntatis *exprimendam*, 2. ad eandem Religionem internam tam *in se ipso*, quam etiam 3. *in aliis* excitandam, sustinendam, atque vivificandam. Ultimo Religio externa, sicut interna tendit ad gloriam Dei, hominumque salutem.

D. *Modus* cultus externi sequentibus regulis determinari potest: a) Illi soli actus externi adhibendi sunt, qui ad Religionem internam exprimendam, et promovendam idonei censentur: b) Cum signis externis semper coniungenda est Religio interna, ut illa Deo placita sint, qui hypocrisin detestatur. c) Ut cultus externus pro scopo suo publicae aedificationis medium fiat, requiritur *locus* certus, i. e. templum, in quo, *tempus* determinatum, quo omnes conveniant, et *ritus externi*, qui ab omnibus intelligantur. d) Cultus externus eo perfectior est, quo aptior fit ad cultum internum exprimendum, et promovendum. Et quoniam artes generatim circa hoc versantur, ut vitam hominis interiorem, i. e. ipsius sensus, et affectus exterius manifestent, vel etiam excitare, et vivificare iuvent, ideo artes tum liberales, tum mechanicae ad Religionem referri, et ad ipsius servitium adhiberi possunt, ac debent. Religioni certe maximopere inserviunt — *Architectura*, quae templa ad cultum religiosum apta aedificat; ars *sculptoria*, quae per statuas, et *pictoria*, quae per imagines vitam Religionis internam exprimit, excitat, et adiuvat; *poësia*, quae sacris canticis, et *rethorica*, quae per sacros sermones sensus Religionis internos prodit, et producit; *musica*, quae per sonos harmonicos conce-

ptus animae exprimit, et vivificat; demum *artes mechanicae*, quae vestes ministrorum sacrorum, ornamenta templorum, vasa sacra etc. apto modo conficiunt ad maiestatem cultus divini promovendam (1).

Nota. Contra Religionem externam longe plures hostes insurrexerunt, quam adversus internam, qui veritatem propositam variis sophismatibus impugnant, quae autem facile diluuntur.

Obi. 1. Deus non eget cultu externo, ait *Thomasius*.

Resp. Deus etiam interno cultu non eget, utrumque autem exigit, non quia ipsi, sed quia nobis prodest, uti *S. Augustinus* observat.

Obi. 2. Pueri-non viri egent ritibus.

Resp. Officium cultus externi in natura hominis, et religionis fundatur, quae natura in pueris aeque ac in viris obtinet. Arctissimus inter corpus, et animam nexus semper firmus manet, quamdiu in hac vita sumus. Accedit, quod viri multo magis quam pueri aliis bono exemplo praelucere debeant.

Obi. 3. Cultu externo facile abutuntur homines rudiores, ut ab officiis moralibus se eximant.

Resp. Abusus hic corrigi debet, sed non propter eum rectus usus tolli.

Obi. 4. Religio moralis repraesentationis sensibilis nec capax, nec indiga est.

Resp. Signis externis veritates, et officia Religionis sicut caeterae cogitationes, et affectiones internae exprimi, et adiuvari possunt, uti iam experientia docet.

Obi. 5. Si Deus cultum externum exigeret, illum etiam determinaret, et eosdem ritus omnes homines doceret: maxima autem diversitas inter populos circa cultum externum obtinet.

Resp. Cultus externus non exigitur nisi tamquam medium Religionis internae exprimendae, et promovendae: pro varietate autem temporum, et locorum variis quoque ritibus hic finis obtinetur, et ideo diversitas cultus externi oritur (In Religione revelata revera plures ritus praescripti ab ipso Deo fuerunt).

Obi. 6. Indignum Deo est, pasci humanis laudibus, mulceri mortalium votis, ac suae celsitudinis quadam zelotypia duci.

Resp. Indignum Deo non est, exigere a natura, rationis compote, quam condidit, totque beneficiis augere in dies non desinit, signa naturalia amoris, gratitudinis, fiduciae, reverentiae, et subiectionis, quae quidem affectiones seriae, ac sincerae si sint, non possunt ob intimum corporis cum anima commercium diu intus latere, quin externis signis se prodant.

CAPUT VI.

DE RELIGIONIS UTILITATE

§. 48.

Religio praestantissima, atque utilissima est

1. *homini individuo*, quia eius dignitatem ostendit, cum arctissimam ipsius cum supremo Numine coniunctionem perficit; vitia resecat, quorum Deus vindex agnoscitur; virtutes autem promovet, quarum Deus auctor, testis, et remunerator existit, et sic ipsas quoque tribulationes leviores, et dulciores efficit, vitamque per spem aeternae retributionis vere laetam et beatam facit: uno verbo — Religio sola hominem ad finem suum perducit (2).

2. *Statui* quoque, seu hominibus

(1) Cf. M. Sailer, Beiträge zur Pastoral II. B. S. 98.

(2) Cf. Frint, t. I. §. 152-167. Staudenmaier Encyclop. t. I. p. I. §. 214.

in societate colligatis Religio utilissima est. Religio enim hominum societates firmiores, securiores, et feliciores reddit, quia principibus leges praescribit, iuxta quas potestate sua in bonum subditorum uti debent; subditos autem ad reverentiam, et obedientiam principibus exhibendam obligat. Sublata Religione, omnia replentur fraudibus, iniustitiis, et delictis, actumque erit de omni securitate, et societate. — Qui ergo Religionem spernit, et multo magis, qui illam persequitur, non solum in seipsum, sed et in universum genus humanum crudelis est (1).

CAPUT VII.

DE RELIGIONIS UNIVERSALITATE SEU DE REGNO DIVINO MORALI

§. 49.

Cum ad Religionem colendam totum humanum genus obligetur, oritur inde *Regnum divinum morale*, cuius explicanda est

1. *Notio.* Regnum generatim loquendo dicitur quaelibet coniunctio plurium entium, aut virium ad magnum aliquem finem obtinendum — sub regimine supremae potestatis constituta. Regnum ergo divinum morale est coniunctio hominum ad moralitatem, et felicitatem facilius collatis viribus obtinendam sub Dei auctoritate, et regimine constituta.

2. Existentiam huius regni ratio poscit. Nam regnum divinum morale reale fieri debet, si omnes homines ad unum finem nobilissimum sub Deo rectore, iunctis viribus, tendere obligantur. — Atqui — sicut omnibus hominibus eadem ratio, et una natura, ita etiam idem finis, et eadem obligatio competit, cuius auctor, rector, et vindex Deus est, qui omnibus hominibus, ratione praeditis, ceu veritas praelucet, ceu legislator legem moralem promulgat, ceu supremus iudex moralitati correspondentem felicitatem promittit: exinde iam apparet universalitas Religionis. Quod autem homines etiam iunctis viribus finem Religionis promovere teneantur, probatur 1. *ex natura rei.* Homines enim obligantur ad ea, quae divinum cultum mire promovent, et sine quibus brevi deficit. Atqui homines, teste experientia, aliorum bono exemplo, et consortio plurimum ad pietatem excitantur, illoque deficiente tepescunt. Sic e. g. nisi statutis diebus Religionis causa conventus fierent, publicaeque caeremoniae adhiberentur, divinus cultus - praesertim a rudioribus, et imperfectis cito negligeretur, experientia teste: et hoc idem de aliis officiis religiosis, atque moralibus dicendum est. Ergo homines ad societatem religiosam, et ad cultum publicum obligantur, ut mutuo se exemplo ad pietatem excitent. Haec obligatio illustratur 2. *paritate.* Homines enim rerum temporalium causa in societatem civilem coalescunt, ut securitatem externam, et felicitatem terrenam obtineant: ergo multo magis ad finem Religionis, qui est multo nobilior, hoc idem perficere tenentur; quod confirmatur 3. *historia*, seu consensu populorum: ubique terrarum apud gentes, non omnino efferatas, et more pecudum viventes, fuerunt non solum templa, altaria, et caeremoniae publicae, sed etiam societates religiosae, quae per sacerdotes, aliosve praesules regebantur.

3. *Indoles.* Regnum divinum morale, si iuxta categorias philosophiae criticae considerandum sit,

quoad qualitatem totum est morale, praecipue quidem internum, et spirituale, sed necessario etiam externum seu visibile;

quoad quantitatem unum est in

(1) Cf. Frint. l. c. §. 168-179

fine, et legibus; universale autem pro omnibus hominibus;

quoad relationem Deo subest, a quo regitur, et cui libere inservire debet, *Cives* illius se in fine ultimo acquirendo impedire prohibentur, imo se mutuo adiuvare obligantur; *Statum civilem* origine, et dignitate praecedit, non solum autem illius securitati, et felicitati non repugnat, sed potius illum firmat, sacrat, et promovet; *regnum naturae*, quatenus inferius est homine, non adhibet, nisi ceu medium, ad finem suum ultimum obtinendum;

quoad modalitatem non solum possibile est; sed actu existens, imo quoad essentiam necessarium, et immutabile.

4. *Constitutio* cuiuslibet regni apta esse debet ad finem principalem societatis promovendum. Ideo constitutio regni divini moralis, ut huius fini accommodata sit, requirit

a) *Symbolum*, seu summam veritatum de Deo auctore, rectore, iudice, et remuneratore, de homine libero, et immortali, et de aliis principiis credendis, quibus totum regnum innititur, et unde omnium civium officia deducuntur;

b) *Codicem*, qui leges contineat, officia civium, qui ad Religionem tum internam, tum externam obligantur, determinet, et media ad illa rite adimplenda assignet;

c) *Hierarchicon*, quod de speciali ministrorum sacrorum statu agit, eorum potestatem determinat, et officia praescribit. Licet enim Deus ipse supremus huius regni monarcha, et rector existat, attamen, ut hoc regnum visibile fiat, requiruntur ministri, sacra potestate instructi, qui nomine Dei de negotiis regni curam gerant. Experientia enim teste probatum est, quamlibet societatem sine imperio, et subordinatione nec diu persistere, nec ordinem servare, nec finem suum assequi posse. — Regnum divinum morale — quatenus est coniunctio hominum visibilis, et religiosa, sub sacro imperio constituta — speciali nomine *Ecclesia* dici solet.

Nota. Ideam regni divini moralis cum maximo eruditionis apparatu declaravit, et propugnavit Cels. Ep. et P. Bernardus Galura, et post ipsum cl. Marianus Dobmayr, qui praeter requisita pro constitutione illius regni iam adducta *Rituale* quoque exposcit. Sed ritus praescripti vel cives universos, vel solos ministros sacros concernunt. Primi generis ritus in codice continentur, qui officia non solum internae, sed et externae Religionis praescribit; secundi generis ritus in Hierarchico pertractantur.

Sectio II.

THEORIA RATIONIS DE REVELATIONE

§. 50.

Momentum, et nexus doctrinae.

Dum homini innotuit; necessariam sibi esse Religionem, ut ad finem suum pervenire queat, maximum ipsius studium esse debet, ut veritates, et officia cognoscat, quibus totum Religionis negotium absolvitur. Strenuum ergo conatum adhibere debet, ut sufficienter intelligat symbolum, codicem, et hierarchicon regni divini moralis, cuius dignus civis fieri obligatur. Ad istam autem cognitionem per solos sensus, seu per experientiam perveniri non potest, quia Religio obiectum empiriae non est; sed ad illam obtinendam duplex via ostendi solet, — *ratio*, et *auctoritas*, quia homo vel propria inquisitione ex rationis principiis veritates et officia Religionis deducere, vel ab alio, debita cognitione sufficienter praedito, eadem addiscere potest. Auctoritas autem duplex est,

humana, quae falli, et fallere potest, et *divina*, quae nec falli, nec fallere potest. — Complexus veritatum, et officiorum ope rationis, vel solius auctoritatis humanae cognitus *Religio naturalis* dici consuevit. Complexus autem veritatum, et officiorum, ad Religionem pertinentium, ope auctoritatis divinae extraordinario modo se manifestantis adprehensus *Religio supernaturalis*, seu *revelata* vocatur. — De hac Revelatione divina iam modo agere, eiusque a) *notionem* explicare, b) *possibilitatem*, et c) *necessitatem* probare, d) ac *characteres*, quibus vera Revelatio a falsa, et spuria secernitur, assignare oportet.

Nota. Theoria rationalis de Revelatione magni profecto momenti est nostro aevo, quo plurimi contra Revelationem insurrexerunt, rectam illius notionem perturbando, et non solum necessitatem, sed et possibilitatem eiusdem denegando. Tales impios conatus iam Pseudophilosophi in Gallia Voltaire, Rousseau et alii adhibuerunt, et etiam Philosophi critici in Germania duce Kant et Fichte se revelationis supernaturalis adversarios ostenderunt.

CAPUT I.

REVELATIONIS NOTIO ATQUE DIVISIO

§. 51.

1. Revelatio, prout in isto tractatu sumitur, est actio divina, qua Deus hominibus veritates ad Religionem pertinentes extraordinario, seu supernaturali modo manifestat. — In hac definitione quinque occurrunt notae probe attendendae; considerari nimirum debent: a) *Deus*, ceu auctor Revelationis, cuius perfectiones in ista, uti in aliis operibus elucere debent; b) *Homo*, cuius indigentiae et capacitati Revelatio accommodari debet, ut recipi, agnosci et applicari queat; c) *Actio*, qua fit Revelatio, seu *forma*, quae ut Revelatio sit supernaturalis, in miraculo, seu in singulari eventu supra consuetas naturae leges constituto, et ad Revelationem expresse destinato consistere debet, ut secernatur a Revelatione naturali, seu a cognitione veritatis per media naturalia, quorum etiam Deus auctor est; d) *Veritas*, quae revelatur, seu *materia*, quae tum theoretica, tum practica, et utraque vel rationalis, vel positiva esse potest; e) ac denique *relatio* ad religionem naturalem ac harmoniam moralitatis et felicitatis, — seu *finis*, qui proximus et ultimus secerni debet: ideo enim Revelatio supernaturalis a benignissimo Deo conceditur, ut proxime homo veritates et officia Religionis facilius perfectiusque cognoscat, et sic ultimo gloria Dei animaeque salus promoveatur (1).

Nota. Ideam Revelationis, extraordinario modo divinitus factae ad homines edocendos, antiquissimam esse, et inter omnes fere populos viguisse, historia testis est. — Origo autem huius ideae non potest repeti, uti nonnulli recentiores volunt, ex ignorantia, seu stupiditate populorum, qui effectus omnes, quorum causas non cognoverunt, influxui Divinitatis adscripsisse putantur. Nam a) ab effectu naturali, etsi miro, ad immediatum et extraordinarium influxum Divinitatis concludere, pro rudi populo nimius saltus est, qui iam ideam de influxibus divinis extraordinariis supponit. b) Praeterea idea, seu persuasio populorum est factum historicum, cuius causa et origo non per meram speculationem, sed potius ex authenticis monumentis determinanda est. Monumenta autem antiquissima (libri Moysis) mature a Deo — immo primis iam

(1) Cf. Dobmayr, t. II. §. 106.

parentibus factam Revelationem ostendunt: ex hoc ergo facto, cuius notitia — licet valde hinc inde corrupta — per oralem saltem traditionem ad populos propagata fuit, idea universalis Revelationis divinae repetenda est (1). Quodsi id non admittatur, omnino dicendum erit, praedictam ideam in ipsa ratione originem habere, quae naturali suo lumine extraordinariam divinam institutionem Deo omnipotenti et benignissimo maxime convenientem, homini summopere necessariam, et ad huius finem promovendum utilissimam cognoscit (2).

2. Revelatio quoad modum, quo perficitur, est vel *immediata*, vel *mediata*. *Immediata* dicitur, quando Deus cum ipso homine loquitur, ipsumque instruit aut *interne*, extraordinario modo in illius animae facultates agendo, aut *externe*, adhibendo sonos, vel alium modum sensibilem praeter ordinarium naturae cursum. *Mediata* Revelatio obtingit, quando Deus cum hominibus loquitur, ipsosque instruit — vel per ministros a se instructos, vel per librum sua auctoritate conscriptum. — Quodsi materia spectatur, Revelatio dividitur in *formalem* et *materialem*. *Formalis* dicitur, quando a Deo nobis tales veritates manifestantur, ad quarum cognitionem — absolute loquendo — per propriam rationem pervenire possumus: *materialis* autem dicitur, si Deus veritates tales manifestat, ad quarum cognitionem sola ratio humana pervenire non potest, et quarum intrinsecum nexum perspicere non valet.

Nota. Dantur nonnulli, qui verbis Revelationem admittere videntur, re autem negant. Ad hos referendi sunt inter Protestantium theologos illi, qui Revelationem in *supernaturalem* et *rationalem* dividunt, illaque reiecta, hanc solam admittendam esse censent. Per Revelationem supernaturalem eam intelligunt, qua Deus ceu causa supernaturalis rerum naturae, legumque, nonnunquam his sublatis in natura operatur, et quidem eo consilio, ut certam Religionis doctrinam cum certis hominibus communicaret. Persuasionem de tali Revelatione *Supernaturalismum* nominant, cui proprium esse dicunt, secluso rationis usu, fidem ab hominibus exigere. Per Revelationem rationalem eam intelligunt, qua Deus, quin sublatis naturae legibus quid operetur, nonnullos homines prae caeteris excitat ad verae Religionis principia cognoscenda, aliisque tradenda. Persuasionem de Revelatione sic comparata *Rationalismum* vocant, quem distinguunt a *Naturalismo*, qui omnem Dei efficaciam in Religionis cognitione communicanda, ideoque omnem revelationem, quae humani ingenii non sit, reiicit. Circa Revelationem sic conceptam rationi plenum ius adscribunt illam diiudicandi, eiusque argumentum iuxta leges, rationi insitas, exponendi atque probandi (3). — In hac theoria multa sunt, quae erronee proponuntur. Falso enim asseritur, per Revelationem supernaturalem omnem usum rationis interdici; nam in illa invenienda, illustranda atque defendenda rationi iura conceduntur, licet etiam debiti limites praescribendi sint. Nullatenus enim admitti potest, ut ratio humana limitata et infirma ea, quae ratio infinita et infallibilis revelat, ad suam trutinam exigat. Deus certe tales etiam veritates revelare potest, quae rationis limitatae sphaeram transcendunt, et ideo ab hac diiudicari non possunt. — Negatis porro

(1) Cf. cl. Frint, t. II. §. 309-311.

(2) Cf. Fejer, instit. theol. gener. §. 27, n. 3 et 4.

(3) Wegscheider, inst. dogm. §. 9 etc.

miraculis, seu signis externis, quibus Deus influxum suum ostendit, medium sat securum non habetur, quo homines de facta revelatione debitam certitudinem acquirant, sed dolis et fallaciis ianua aperitur. — Generatim in Protestantium theoria revelatio in sensu nostro omnis — vel saltem materialis — prorsus de medio tollitur, et ideo falsum ipsorum systema per ea, quae mox dicenda sunt, satis refutatur.

CAPUT II.

POSSIBILITAS REVELATIONIS SUPERNATURALIS ET IMMEDIATAE

§. 52.

Inter Revelationis adversarios, seu incredulos sunt nonnulli, qui possibilitatem quamcunque divinae Revelationis inficiantur; alii vero admittunt, Revelationem in se possibilem esse, contendunt autem, Deum nihil revelare posse, quod rationis captum superet, seu quod ratio, consultis intimis et intrinsecis rerum principiis, verum agnoscere, comprehendere et probare non possit. Negant illi, omnem etiam *formalem*, isti solummodo *materialem* Revelationem possibilem esse: ideo utriusque possibilitas ostendenda, et contra adversariorum sophismata vindicanda venit.

§. 53.

A. Possibilitas revelationis formalis.

1. *Logica* in dubium vocari nequit. Conceptus enim Revelationis supernaturalis, et immediatae (§ 51) a ratione formari potest, quia notae, quae huic conceptui insunt, sibi non contradicunt, sed in mente sana optime coniungi queunt. Ipsi Philosophi critici fatentur, Revelationis huiusce impossibilitatem logicam demonstrari haud posse, quia nec infiniti, nec finiti perfectas notiones habemus (1).

2. *Physica* revelationis formalis possibilitas clare apparet ex parte *Dei*, qui infinita Sapientia et Omnipotentia praeditus, et tanquam Dominus naturae universae, et Creator Rectorque spirituum omnium, certe non per solam rationem, sed etiam aliis modis extraordinariis sive externis, sive internis homines edocere potest. Quodsi homines suam praesentiam suamque activitatem aliis ostendere possunt, quis Omnipotenti denegabit facultatem de immediato suo influxu homines certiores reddendi? — Nec quid huic possibilitati obstat ex parte *hominis*, qui facultate cognoscendi praeditus, sicut ab aliis hominibus, ita multo magis ab ipso Deo erudiri potest. Nec dubitari potest, hominem de obtenta hac eruditione certo sibi conscium fieri posse. Generatim enim homines cognitionum suarum adventitiarum originem perspicere solent, et declarare valent, an hanc et illam veritatem per institutionem oralem, an per librum, an per sensus externos, an per reflexionem rationalem didicerint. Quare homo non poterit certo cognoscere, se ab ipso Deo erudiri, qui tum miris modis externis, tum extraordinariis illustrationibus, et sensionibus internis homini praesentiam, et operationem suam ostendere, eumque ab omnis erroris periculo praeservare valet. — Hanc possibilitatem negans, infinitam Dei Sapientiam et Omnipotentiam inficiatur, Deumque ipsum e medio tollit, aut hominem ad conditionem brutorum deprimit (2).

3. *Moralis* possibilitas manifesta fit consideranti, Revelationem formalem esse *hominibus* exoptatissi-

(1) V. Frint, tom. III. §. 345
(2) Klee, t. I. cap. 3, §. 2. Drey Apologetico art. V. §. 30 §. 38.

nam, quorum plerique auctoritate reguntur, cui, si infallibilis sit, tuto acquiescere possunt: *Religioni* utilissimam, cuius veritates firmiores, leges graviores, promissiones certiores fiunt, si ab ipso Deo extraordinario modo proponantur; *Deo* dignissimam, qui per illam suam Omnipotentiam, Sapientiam et Bonitatem manifestat, seque Dominum ac Rectorem regni sui moralis ostendit.

Nota. Auctor, qui theoriam criticam Revelationis scripsit, huius moralem impossibilitatem arguit. Kantius etiam hoc ex obtutu revocavit revelationem ad statuta, legumque ethicarum adminicula, et ad statum proin vehicularem restrinxit, ne quid autonomia rationis practicae pateretur (1). In systemate Hegelii omnis prorsus revelatio divina impossibilis dicenda est. Cum enim Deus ipsi non sit, nisi ratio impersonalis, seu lex mundi necessaria, et impersonalis, ideo actio personalis et libera, quae ad ideam Revelationis requiritur, illi adscribi non potest: neque enim scientiam homini communicare potest, qui conscientiam sui nonnisi in homine obtinet (2). Ab aliis quoque revelationis formalis possibilitas vario modo impugnata fuit, atque ideo difficultates, quas movent, dilucidare oportet.

Obi. 1. Deus — ceu ens simplicissimum, immensum, et aeternum in spatio et tempore agere non potest, quod tamen ad perficiendam Revelationem requireretur, quae in certo loco et tempore fieri debet.

Resp. Deus sine dubio nec spatio, nec tempori subiectus est. Sed cum Deo agente, seu cum causa confundi non debet effectus, qui a Deo producitur, et a divina essentia, a qua prodit, distinguitur, et ideo spatio et tempori omnino subiectus esse potest. Etiam Deus creans spatio et tempori subiectus non fuit, et tamen mundus creatus utrique subest. Sic ergo Deus quoque revelans spatio et tempori subiectus non est, et tamen Revelatio, quam efficit, in certo loco et tempore fieri potest.

Obi. 2. Admissa revelatione Deus mutabilitatis arguendus esset, ac si, cum primum rationem ad veritatem inquirendam et cognoscendam destinasset, postea, facti veluti poenitens, aliam viam substituisset.

Resp. Si Deus hominibus rationem ad inquirendam et cognoscendam veritatem concessit, non ideo se iure privavit ac facultate, illos etiam immediate, vel mediate per se, et extraordinario modo circa veritates summi momenti instruendi. Quodsi tantum beneficium ipsis, quocunque demum tempore praestare dignatus est, illud aeterna ac immutabili voluntate decrevit. Admissa ergo etiam revelatione, nulla tamen mutabilitas in Deo occurrit.

Obi. 3. Deus inutilia non facit, sed legem parsimoniae observat. Ad quid ergo revelatio extraordinaria supponitur, si homines per rationem easdem veritates inquirere et cognoscere possunt? —

Resp. Deus - ens primum et independens - legem sibi praescriptam non habet, sed legem parsimoniae observat, quia vult, et quomodo vult, neque ingenio humano consilia divinitatis diiudicare licet. Caeterum revelatio formalis inutilis haud est, sed hominibus maxime proficua, imo, ut inferius probabitur, necessaria, quia, licet homines, absolute loquendo, has veritates inquirere et cognoscere possint, attamen nonnisi post multum tempus, labore magno, quem multi adhibere nequeunt, et nutante saepe certitudine multae ve-

(1) De rel. i. sphaer. rat. sect. 3.
(2) Staudenmaier Enc. t. I. p. II. 2. 388 etc.

ritates cognoscuntur, quae per institutionem divinam citius, facilius, atque certius addisci queunt.

Obi. 4. Divinam dedecet maiestatem, se eo usque demittere, ut creaturas tam miseras, uti sumus nos homines, alloquatur.

Resp. Quid Deum deceat, vel dedeceat, finita nostra ratione non semper diiudicare valemus. At quod Deum dedeceat hominem affari et alloqui in iis potissimum, quae conferunt ad eius bonum et felicitatem, nemo dixerit, nisi insanus et impius. Deum non dedecuit hominem condere, et quidem ad felicitatem; eum propterea nec dedecet viam tutam eidem homini indicare, qua ad optatam beatitatem possit pervenire.

Obi. 5. Sensus humani ex materia compacti immediatum entium mere spiritualium influxum percipere nequeunt: idem ergo de Dei, Spiritus perfectissimi immediato influxu ad Revelationem requisito dicendum erit. Sensus humani non sunt apti ad illum percipiendum; ergo revelatio formalis ex parte hominis impossibilis dicenda est.

Resp. Proposita obiectio ignorantiam quidem nostram modi, non impossibilitatem revelationis realem commonstrat. — Concedimus quidem, non posse a sensibus nostris influxum spiritus immediate percipi, sed hoc fieri potest mediate per signa, sonos etc. etc. Si enim homines hisce modis internas spiritus sui cogitationes invicem manifestant, anne Deus omnipotens idem non poterit? — Neque media externa ad concedendam nobis Revelationem necessaria sunt, cum Deus etiam immediate in animam agere, et sic eam illustrare possit, ut veritates sine erroris periculo cognoscat. Plures obiectiones solvunt Fejer et Perrone (1).

(1) L. c. §. 29 et 30, — T. I. c. 1.

§. 54.

B. Possibilitas revelationis materialis.

Revelatio materialis tales proponit veritates, quas ex suis principiis evolvere non potest ratio humana, et quae etiam facta revelatione ita sunt humanae intelligentiae imperviae, ut, quamquam, quid sibi subiectum et praedicatum velint, intelligamus, quo tamen modo praedicatum subiecto conveniat, nulla ratione assequi possimus. Ac istius generis propositiones appellantur *mysteria* revelata, seu theologica (2). Tria itaque ad veri nominis mysterium revelatum requiruntur: 1. ut cognitas habeamus notiones subiecti et praedicati, seu ut sciamus, quid et de quo praedicetur; 2. ut subiecti cum praedicato nexum intrinsecum per rationem perspicere et comprehendere non valeamus, sed 3. de huius nexus realitate per auctoritatem Dei revelantis certi reddamur. Talium mysteriorum revelatio rationi nullatenus contradicit, sed illa omnino possibilis est

1. *logice.* Mysteria enim nullam in terminis contradictionem involvunt, neque cum evidentibus rationis principiis pugnant. In ipso regno naturae cogitari possunt, et actu dantur veritates, quarum subiectum et praedicatum cognoscimus, nexum vero non perspicimus. Certi sane sumus, corpus in animam, et animam in corpus agere, quin tamen modum, quo id fiat, capere et declarare valeamus. Ipsi Philosophi critici fatentur, logicam mysteriorum impossibilitatem demonstrari haud posse (3).

2. *physice.* Mysteria actu, seu realiter a Deo revelari posse, apparet *ex consideratione Dei*, cuius omniscientia, seu intellectus infinitus plura profecto cognoscit, quam intel-

(2) Klüpfel proleg. §. 95.
(3) V. Frint, p. I. t. II. §. 513.

lectus noster limitatus, et quae cognoscit, pro sua omnipotentia etiam eloqui, seu patefacere potest; *ex consideratione hominis*, qui infirmitatem rationis suae in ipsis rebus naturalibus, et multo magis in transcendentalibus optime sentit, sed tamen circa veritates, quarum nexum intrinsecum non perspicit, instrui potest, uti in phaenomenis naturalibus, et in factis historicis passim contingit; *ex consideratione Religionis*, quae sine mysteriis esse non potest; ipse enim Deus, quem colit, summum mysterium est, et omnia eius infinita attributa perfecte a nobis comprehendi non possunt (1).

3. *moraliter*. Revelatio mysteriorum non solum finibus eorum, ad quae refertur, non obstat, sed illos maxime promovet. Mysteria enim revelata convenientissima sunt *Deo*, qui in eorum revelatione omniscientiam, sapientiam et bonitatem suam clare manifestat; *Religioni*, cuius spiritus in subiectione hominis erga Deum consistit; per revelata autem mysteria non solum voluntas, sed etiam intellectus Deo, falli et fallere nescio, in obsequium fidei perfecte subiicitur; *Revelationi*, cui, cum in ipsa origine et forma supernaturalis sit, omnino congruum est, ut materiam quoque supernaturalem contineat; *Rationi humanae*, quae in suis functionibus theoreticis et practicis non impeditur, sed sicut ex una parte infirmitatem suam agnoscit, ex altera parte novis cognitionibus locupletatur, quas alias sibi comparare non posset; *Voluntati humanae*, quae novis relationibus cognitis perfectius ad moralitatem tendere potest. — Revelatio ergo materialis non solum possibilis, sed etiam convenientissima et utilissima est.

(1) Cf. Klüpfel proleg. §. 95. Dobmayr, t. II. §. 125-125.

Nota. Revelatio mysteriorum plurimos nostro praecipue aevo adversarios nacta est. Post Tolandum, Baylium, Rousseauvium et alios, Kant quoque et Fichte revelationem materialem impugnarunt, quorum obiectiones audire et diluere oportet.

Obi. 1. Quae a ratione non comprehenduntur, ait *Bayle*, cum ratione non conveniunt; quae cum ratione non conveniunt, pugnant cum ipsa (sicuti veritati non consentanea eidem opposita sunt); quae autem cum ratione pugnant, ab hac admitti non possunt; nequeunt ergo mysteria admitti.

Resp. Inter rationi non convenire et rationi repugnare medium datur, rationem superare nempe. Talia sunt certe varia problemata mathematica quoad ingenium puerorum et rudium. Mysteria theologica ita sunt rationi dissentanea, ut eam superent, quin ei contradicant. Secus est quoad veritates: in harum regno inter convenientiam et disconvenientiam nullum potest medium cogitari; regnum enim veritatis omnes veritates complectitur; ratio autem humana non est vis illimitata ad omnes veritates cognoscendas. Dantur ergo veritates, quae cum ratione infinita conveniunt, et ab hac, non autem a limitata comprehenduntur, et istae quoque admitti debent.

Obi. 2. Est pugna in terminis, ut mysteria sint revelabilia; mysterium enim rem incomprehensibilem denotat; ergo deberet comprehendi, ut fiat revelatio, et non comprehendi, ut sit mysterium.

Resp. Sic foret pugna in terminis, si diceretur, mysteria per revelationem quoad nexum intrinsecum comprehensibilia fieri: id autem nullatenus adstruitur. Revelatio enim solummodo efficit, ut certo sciamus, subiecto cognito praedicatum aliquod convenire, quin rationem intrinse-

cam huius convenientiae percipere valeamus. De veritate ergo per auctoritatem Dei revelantis certi reddimur, quin illam comprehendamus. Similia in naturalibus quoque contingunt; sic homini rudiori dicere possum, quadratum hypotenusae esse aequale quadratis reliquorum duorum laterum, quin ideo rationem intrinsecam intelligat, aut probationem instituere possit.

Obi. 3. Deus non potest revelare mysteria: vel enim ad hoc utitur terminis nobis notis, vel terminis nobis incognitis. Si primum, nihil novi discemus, si secundum, nihil intelligemus; ergo in utroque casu nulla Revelatio fiet.

Resp. a) Obiectio haec supponit, Revelationem divinam solummodo externe fieri posse, cum tamen interne quoque fieri possit, ita nimirum, ut Deus immediate in animam hominis agat, novas in illa ideas excitando, et de influxu suo per eventus singulares, seu per miracula eandem certiorem reddendo. Sane spiritum omnipotentem in spiritum a se penitus dependentem agere posse, nullo modo negare licet, etiamsi modus agendi non intelligatur. — b) Sed Revelatio materialis etiam externe fieri potest 1. *per novas compositiones terminorum nobis iam cognitorum*, sic e. g. addiscimus, Deum unum in essentia esse trinum in personis, in qua propositione termini singuli sufficienter nobis cogniti sunt, licet, quo demum modo in Deo coniungendi sint, ratione nostra non comprehendamus; 2. *per voces tropicas*, quibus homines semper usi sunt, ad insensibilia aliquo modo declaranda; sic e. g. peccatum mors animae appellatur; 3. *per novos terminos* ad rem denominandam recenter inventos, ac per voces cognitas declaratos, hoc enim ab inventoribus novarum rerum semper factum est, et tali modo linguae ad suam perfectionem pervenerunt (1). Hisce mediis homines veritates antea incognitas sibi invicem manifestant: quare id Deus revelans non poterit? c) Tota autem difficultas evanescit, si natura mysteriorum rite attendatur. In mysteriis enim cognitum nobis debet esse subiectum et praedicatum, uti ex tradita notione patescit: utrumque ergo per terminos iam notos exprimi potest, et licet non comprehendamus, quomodo subiectum cum praedicato cohaereat, hic tamen nexus per usitatam iam copulam exprimi potest.

Obi. 4. Deus nobis concessit rationem, ut illa uteremur, et illius ope de iis, quae credenda et agenda sunt, iudicaremus. Cum ergo rationis sit omnia diiudicare, nihil ergo credere oportet, nisi quod a lumine naturali verum probatur. Ita Rousseau.

Resp. Fatemur, nos nil credere debere, quod rationi aperte repugnat; Deus enim auctor et rationis et revelationis sibi repugnantia revelare non potest. Fatemur etiam, nos nihil credere debere, nisi quod a ratione ceu verum probatur. Hoc autem duplici modo fit — vel per evidentiam intrinsecam, vel per argumenta extrinseca, quae sunt — testimonium sensuum, et auctoritas divina, vel humana. Ast auctoritate Dei revelantis mysteria ab ipsa ratione vera esse probantur, licet evidentia intrinseca desit.

Obi. 5. Quaelibet institutio clara et perspicua esse debet, ut efficax fieri possit. Ipsa etiam Revelatio ideo necessaria dici solet, quia multae veritates, ad Religionem spectantes, a ratione obscure solummodo proponuntur. Sed, si mysteria traduntur, quae comprehendi nequeunt,

(1) Frint, t. II. §. 323 et seq.

institutio clara et efficax esse non potest. Ita idem in suo Aemilio.

Resp. Ut propositio quaedam clara sit, requiritur, ut subiectum et praedicatum cognoscatur, et - hoc cum illo connecti - certitudo habeatur, non autem ut etiam modus intrinsecus huiusmodi nexus perspiciatur: illa enim claritas iam sufficit, ut cognitio efficax atque utilis fieri queat. Sic e. g. venenum, quod non ab experientia, nec per rationem, sed ex sola auctoritate mortiferum cognoscimus, sumere recusamus, licet ignoremus, quo demum modo corpus trucidet. Talis vero claritas quoad subiectum et praedicatum etiam in mysteriis habetur, quae ad efficaciam sufficit. Sic e. g. sufficit scire, Christum in Eucharistia vere praesentem esse, ut illum adorare et possimus et debeamus.

Obi. 6. Revelationem materialem physice impossibilem esse, Kant sequenti dilemmate probare conatur. Veritates, ait, supra-rationales vel nostris cogitandi legibus, seu categoriis applicari possunt, vel non. Si primum conceditur, veritates supra-rationales ad ordinem veritatum rationalium, seu naturalium detruduntur, atque mysteria esse desinunt: si vero secundum adstruitur, tunc tales cognitiones nobis nullo modo inhaerere possunt, quia nil cogitare valemus, nisi quod categoriis applicari queat.

Resp. a) Totum dilemma etiam ad multas Religionis naturalis veritates applicari potest, et ideo omnis Religio (naturalis quoque) impossibilis dicenda foret; quod tamen ipse Kant non admittit. Quare - si de Deo cogitare possumus, et ideae de Deo, ente infinito, cuius naturam nunquam perfecte comprehendimus, sub categoriis continentur, quin tamen summa haec veritas ad ordinem veritatum naturalium et sensualium detrudatur, cur non poterit idem de aliis veritatibus supernaturalibus revelatis propugnari? — b) Sicut oculus corporeus illa, quae ob distantiam percipere nequit, ope telescopii videt, quod radios colligit, propiusque admovet; sic etiam humana ratio ea, quae ex propriis principiis evolvere nequit, per testimonium alterius et, si de mysteriis agitur, per auctoritatem Dei revelantis addiscit: inest enim nobis etiam facultas credendi, et si testimonium auctoritatis infallibilis habetur, ipsa ratio assensum praestare iubet. c) Categoriae ex natura sua intellectuales sunt, et sicut ipsas mundo sensibili propter sensationes, ita mundo transcendentali propter rationem, vel legitimam auctoritatem applicare possumus. d) Ex mysteriorum natura, recte considerata, tota iterum difficultas facillime solvitur. — In mysteriis enim ideas subiecti et praedicati perspectas habemus, quae ideo cogitandi legibus non obsistunt; ipsas coniungendas esse non ex rationis principiis, sed ex auctoritate Dei revelantis cognoscimus; modum autem coniunctionis, seu nexum intrinsecum non perspicimus, qui ideo ad ordinem veritatis naturalis, i. e. rationi humanae comprehensibilis, non detruditur (1).

Obi. 7. Revelatio materialis pugnat cum lege continuitatis, quae saltum in natura non admittit. Saltus autem fieret in functione cogitandi, si ratio elevaretur ad cognoscendas veritates, quae sphaeram activitatis ipsius transcendunt.

Resp. a) Revelatio est opus Dei, qui ceu auctor naturae legibus ipsius non subest. b) Sed et in ipsa Revelatione materiali potest lex continuitatis observari, cum per revelationem primum veritates ordinis natu-

(1) Cf. Frint, tom. II. §. 529 etc. Dobmayr t. II. pag. 544.

talis declarentur, dein ratio ad uberiorem indignationem excitetur, et tandem veritates ordinis supernaturalis - cum praedictis cohaerentes - manifestentur: quod si talis gradatio nobis non appareat, id, si de revelatione materiali agitur, hebetudini mentis nostrae adscribendum est. c) Demum aliud est *scire*, aliud *credere:* scientia, in sensu philosophico sumpta, non potest haberi sine praeviis cognitis principiis; fides autem auctoritati nixa haberi potest, quin praevie intrinsecae rationes cognoscantur.

CAPUT III.

NECESSITAS REVELATIONIS

§. 55

Plurimum interest rationi in functione theoretica et practica, ut inquirat, an Religio naturalis, i. e. ex sola ratione hausta, sufficiat ad homines ad finem suum, i. e. ad veritatem, moralitatem et felicitatem perducendos, vel an ad id Revelatio divina, extraordinario et supernaturali modo concessa, necessaria sit. — Momentum et officium huius indagationis patet tum *ex natura rei*, quae omnium gravissima est ad cognitionem aeque ac exercitium Religionis pertinens, tum *ex diversitate opinionum* hac de re vigentium, tum *ex genio temporis* in Naturalismum tendentis. — Finis autem huius examinis non est, ut necessitas revelationis *ex parte Dei* ostendatur, qui liberrimus est, et nihil hominibus debet, - sed ut exploretur, an et qualis indigentia *ex parte hominis* detur. — Sunt non pauci, qui Revelationem positivam necessariam esse negant, et isti *Naturalistae* dicuntur *crassiores*, qui revelationem omnino reiiciunt, quod vel impossibilis, vel conficta, vel inutilis, aut damnosa sit: *subtiliores*, qui eam ceu temporarium pro infirmis adminiculum admittunt, et donec plene humanum genus maturescat, caute adhibendam esse censent. — Ast tum illi, tum isti aberrant: fatendum enim omnino est, rationem, sibi relictam, non sufficere ad homines ad finem suum ultimum perducendos. Nullatenus quidem omnis veritatum et legum moralium cognitio rationi denegari potest, sed dicendum est, gravissimum Religionis negotium a ratione inchoari quidem posse, at Revelatione firmari ac perfici debere. — Sicuti autem duplex revelatio *formalis* et *materialis* distinguitur, utriusque necessitas probanda venit.

Nota. Originem Naturalismi, qui ad genium aevi nostri pertinet, repetit Cl. *Dobmayr* a) ex iniusta olim rationis suppressione, b) tum ex principiis Protestantismi, c) ex ardentiori quoque philosophandi studio, d) ac demum ex idea aequalitatis et libertatis civilis latius divulgata (1).

§. 56.

A. Necessitas revelationis formalis.

Ut homines ad finem suum perducantur, quem per solam Religionem attingere queunt (§. 44.), debita huius notitia praediti sint, necesse est. Debent ergo relationes suas, in quibus versantur, et dimanantia exinde officia cum requisita claritate et certitudine cognoscere, motivaque sufficientia nosse, quibus ad recte agendum impellantur. — Talis autem religionis notitia per solum rationis lumen obtineri non potest: licet enim ratio absolute loquendo ad omnes veritates ordinis naturalis clare, firme et efficaciter cognoscendas pertingere posset, id tamen praestare non valet habito respectu ad praesentem hominum statum, atque ideo altiori instructione,

(1) Tom. II. §. 89.

seu divina revelatione etiam quoad veritates ordinis naturalis opus est. Hoc ipsa *ratio* philosophice reflectens cognoscit, et *historia* omnium temporum confirmat.

§. 57.

I. Argumentum philosophicum.

Ratio, philosophice reflectens, Religionis naturalis insufficientiam, ac Revelationis necessitatem agnoscit

1. *ex consideratione hominis*. Facultas enim, qua homo ad Religionis notitiam venit, non solum *limitata* est et continuo in cultura progressu perfici debet, sed etiam praedominio sensualitatis supra rationem turbata est, quod omnes, etiam probi et culti, per omnem vitam experiuntur. Requisitae ergo Religionis notitiae obstant impedimenta *interna* a sensualitate et phantasia, a propensione ad malum, a proclivitate ad pigritiam, et *externa* a mole rerum externarum, qua mens obruitur, a necessitatibus physicis, quae magis urgent, a praeiudiciis, et genio temporis vel rudiori, vel subtiliori. — Hisce impedimentis, quibus cognitio, et multo magis efficacia Religionis retardatur, universe superandis, impar fere est ratio hominis, utpote quae, sibi relicta, lento admodum gressu ad inspectabilia enititur, tum vero per multas errorum ambages vagatur, et saepe uti arundo vento agitata fluctuat. Itaque indigentia altioris cuiusdam instituti ad rectam Religionis notitiam acquirendam *ex ipsa hominis conditione*, non quidem essentiali et substantiali, attamen naturali, universali, ac stabili prodit, quoniam homo in praesenti statu cognitiones religiosas vel non debita extensione, vel non requisita certitudine, vel non debito tempore acquirere potest, ita ut, quemadmodum *Lactantius* recte observat, « vel ipsi Sapientes senectute confici deberent, priusquam constituerent, quomodo vivi deceat (1).» Institutum vero illud, ut homini satisfaciat, debet a ratione, hominibus superiore et infallibili, cui homo tuto credere possit, proficisci, ideoque necessaria ipsi est Revelatio divina (2).

2. *ex consideratione populi*, i. e. maximae illius hominum multitudinis, quae pro physicis humani generis indigentiis laborat, et temporalibus occupata negotiis Philosophiae, et scientiis insudare non potest. — Iam vero populus iste cognitiones religiosas sufficientes non potest haurire ex *empiria;* religio enim in tota sua extensione non est obiectum empiriae, cum veritates religiosae sensibus subiici, et per sensus diiudicari non possint: neque populus istas invenire, et detegere potest *per rationem;* ratio enim communis nimis inculta, tenebris, passionibus et praeiudiciis obvoluta esse solet: ad rationem vero, per philosophiae studium debite excolendam, multis ingenium, pluribus voluntas, plerisque tempus et occasio deest.— Remanet ergo auctoritas ceu unicus fons, ex quo populus debitam Religionis notitiam hauriat; sed *auctoritas humana* non sufficit, quia homines, etiam doctissimi, falli et fallere possunt, quare nemo sine examine illis fidem habere plenam nec potest, nec tenetur; — et cum Philosophi ipsi saepissime in suis sententiis inter se discrepent, cuinam a populo fides habenda erit (3)? — Necessaria est ergo populo *auctoritas divina*, per quam circa Religionem scitu sibi necessaria addiscat, et cui sine erroris periculo acquiescere possit.

3. *ex consideratione universi ge-*

(1) L. de fals. sap. c. 14.
(2) Cf. Frint, t. I. §. 250-271.
(3) Cf. Fejér inst. theol. gen. §. 21.

neris humani, ceu unum corpus spectati, quod in negotio Religionis divinam revelationem exigit *in sua origine*, quia primi homines, aliorum institutione destituti, necessitatibus physicis occupati, et reflexionis incapaces, saltem quoad plurimas veritates, sine divina institutione ad notitiam Religionis non pervenissent: Kant in sua Antropologia, et Fichte in iure naturae (1) fatentur, primos homines a spiritu sublimiori erudiri debuisse. Necessaria est porro revelatio humano generi *in sua propagatione:* homines enim, ni auctoritate divina stimulentur, pro sua pigritia in perpetua ignorantia versarentur, vel pro sua malitia praeiudicia et errores pro veritatibus amplecterentur, vel saltem pro ingeniorum diversitate continuis dissensionibus agitarentur, et ideo nunquam unitas aliqua in Religione progrederetur, quae tamen necessaria est, ut homines ad finem suum unitis viribus tendant.

4. *ex consideratione Ecclesiae*, seu regni divini moralis, quod, ut universale fieri possit, divinam auctoritatem exigit: neque enim alias omnes unum symbolum, unumque codicem amplectentur, et circa cultum externum pro nota humanorum ingeniorum varietate atque inconstantia, unitas et firmitas nulla habebitur. Denique - licet ex imperio rationis, et conventione hominum Hierarchicon construi possit, difficillime tamen pro innata hominibus libertatis et independentiae libidine in regno morali, ubi vis physica abesse debet, vera, constans et moralis dependentia habebitur, nisi positiva auctoritas divina intercedat (2). Sic ipsa ratio, philosophice reflectens, Revelationem divinam non solum exoptatam, sed hominibus in praesenti statu vere necessariam agnoscit.

(1) P. I. pag. 52.
(2) Cf. Dobmayr, l. II. § 99-105.

§. 58.

II. Argumentum historicum.

Cum facultates viresque hominis non ex statu ipsius ideali, sed ex statu eius empirico determinandae sint, optime ideo *Historia* consulitur, ut cognoscatur, quid ratio sibi relicta in gravissimo religionis negotio possit, quidve non possit. Indagandum proinde est, 1) quid *Gentes* - divina Revelatione destitutae, et 2) quid *Philosophi* per solum rationis lumen praestiterint.

1. Inter *gentes* eminent Graeci et Romani, qui, licet in aliis scientiis, disciplinis et artibus floruissent, et non ad mediocrem culturae civilis gradum pervenissent, tamen circa Religionem in maximis tenebris et erroribus cubuerunt. — *Symbolum* ipsorum Deos proponebat Deasque, quibus non solum origo, dependentia, aliaque attributa humana, sed turpissima quoque crimina adscribebantur; Elysium et Orcum exhibebat, sed non ceu moralem retributionem considerabat; omnia ineluctabili fato subiiciebat. *Codex* eorum non ad religiosum Dei hominumque amorem, sed ad caeremonias partim vanas, partim obscoenas, partim crudeles ordinatus erat: dii nimirum deaeque templis includebantur, conviviis alebantur, ludis et choreis recreabantur, peccatis et sceleribus tum colebantur, tum placabantur. Inimicos et extraneos odisse, nefas non erat. — *Hierarchicon* non continebat institutum aliquod ad religiosam et moralem educationem, ac populi emendationem destinatum, sed ad fines politicos, et lucrum sacerdotum fere unice tendebat. — Graeci ergo et Romani prima quidem elementa Religionis habebant, ast non solum valde imper-

fecta, sed etiam depravata, erroribusque referta. Cum ergo nationes, etiam maxime cultae, sine revelatione ad rectam Religionis cognitionem non pervenerint, omnino dicendum est, rationem sibi relictam insufficientem esse ad illam hominibus comparandam, ac proinde omnino necessariam esse institutionem, seu revelationem divinam (1).

2. Si debita Religionis notitia per solam rationem haberi potuisset, illam certe obtinuissent *Philosophi*, qui, perspicaci ingenio praediti, maxima diligentia veritates Religionis naturalis inquisierunt. At si isti sive *inter Ethnicos*, sive *inter Christianos* considerentur, facile patet, ipsos per solum rationis lumen nec sibi, nec aliis debitam Religionis notitiam comparasse.

a) Multi sane fuerunt, qui in Graecia et Latio doctrina floruerunt, praeclaraque scripta reliquerunt. Sed etiam maximi isti viri multas Religionis veritates ignorarunt, alias dubitanter solum docuerunt, et in pluribus capitibus tum partis theoreticae, tum partis practicae, turpiter aberrarunt. Sic *Socrates* docuit, Deum non esse distinctum ab hoc universo, de animae immortalitate fluctuavit, neque humanas victimas improbavit: doctrina ipsius moralis, licet multa praeclara contineat, tamen defectibus non caret; in ipsa etenim praeceptum de filiali Dei, et universali hominum amore desideratur, immo contemtus, et odium inimicorum commendatur: moriens Aesculapio gallum mactari iussit. — *Plato*, vulgo divinus, Deum ceu mundi animam proposuit, Deo supremo inferiores addidit, et fidem immortalitatis addita metempsychosi corrupit; ebrietatem in Bachanalibus, infantium deformium expositionem, imo et procurationem abortus approbavit, totamque Religionem practicam cultu patrio Deorum, iustitia erga cives, et temperantia erga se absolvi putavit. — *Aristoteles*, vir maximae subtilitatis hucusque non reperit, a quo solide vindicaretur a polytheismo; aeternitatem materiae asseruit, providentiam divinam ad coelestia restrinxit, et de immortalitate animae dubitavit: in parte practica falsa magistri sui asserta defendit, et virtutes non tam morales quam potius politicas insinuavit. — *Zeno*, scholae stoicae auctor, Deum, hominesque fato subiecit, virtutis austeritatem, et neglectum felicitatis praecepit, atque nihilominus horrendum incestum licitum declaravit, immisericordiam, ac illatae iniuriae vindictam commendavit, ut refert Sextus Empir. (2). — *Pythagoras* sidera coluit, aeternitatem materiae, et metempsychosin propugnavit, occultas discipulorum societates, fini Religionis haud convenientes instituit, arcana adamavit, et politica potissimum consilia ostendit. — *Pyrrhonii* de omnibus dubitarunt, et *Epicuraei* mundum ex fortuito atomorum concursu, Deos hominum incurios statuerunt, et in morte omnia finiri putavere, virtutem vero in felicitate prudenter sectanda constituerunt. *M. T. Cicero*, maximus inter Philosophos romanos, plures Deos admittere videtur, praescientiam Dei negat, animae immortalitatem optat potius, quam agnoscit, neque alienus videtur a metempsychosi; virtutem partim stoicam, partim civilem docet, mendacium, et periurium hinc inde excusandum putat (3), ac in Tusculanis Autochiriam approbat. — Errores istos celeberrimorum inter Ethnicos Philosophorum indigitasse sufficit; plurimi alii adduci possent, cum ipse Tullius scribat, nullam esse sententiam tam absurdam, quae non

(1) V. Perrone t. I. cap. II. prop. 4.

(2) L. 3. c. 34. (3) L. 3. de off. c. 29.

placuerit alicui Philosophorum (1). — Itaque Philosophi tum graeci, tum romani multa quidem egregia docuerunt; nullus tamen fuit, qui integrum verae religionis systema proferret, sed omnes defectibus, dubiis, et erroribus laborarunt. Ipsi ergo sufficientem Religionis notitiam non habuerunt, et multo minus populo illam tradere potuerunt - propter defectum *unitatis*, quia inter se consentientes non fuerunt; propter defectum *auctoritatis*, quia se ab omni errore immunes ostendere et populi assensum absolutum exigere non potuerunt, et propter defectum *sanctionis*, quia propria auctoritate vel praemia, vel poenas praeceptorum suorum observatoribus, vel transgressoribus proponere non valuerunt (2). — Ipsi etiam Philosophi antiqui insufficientiam suam ad religionem rite proponendam fassi sunt. Socrates de se honorificentius non iudicabat, nisi quia aliis melius, se nihil scire cognoscebat. Plato in Epinomide ait, neminem posse hominibus tam exoptandam pietatem docere, nisi Deus ipsi illuceat, ipsumque dirigat; et (3) ardenti animo exoptat, et orat, ut e coelo divinitas aliquem mittat, quo hominis caligines, et tenebrae dissipentur. — Legislatores quoque vetustissimi fere omnes necessitatem auctoritatis divinae agnoverunt: ideo Minos a Iove, Lycurgus ab Apolline, Zaleucus a Minerva, Numa a Nympha Egeria se inspiratos iactitabant (4). — b) Post promulgatum Evangelium in primis saeculis Christiani, doctrina excellentes, Philosophiae insudarunt, non ut veritates Religionis, iam satis patefactas per Christum, invenirent, aut diiudicarent, sed solum ut illas illustrarent, debito modo pertractarent, et contra adversarios defenderent. Philosophia ideo ceu Theologiae famula considerabatur, et haec illi longe praeferebatur. Id contigit praecipue in medio aevo, quo scientiarum studia fere solum a Clero tum saeculari, tum praecipue regulari suscipi consuevere, quoniam Laicis vel iugo servitutis oppressis, vel belli tumultibus impeditis tum tempus, tum librorum apparatus, tum voluntas studiis vacandi defuit. Reddita autem maiore orbi quiete, et inventa Typographiae arte, etiam Laicis concessum est, ut scientiarum studiis incumbant. Mox autem opinio invalescere coepit, Philosophiam sine Theologia pertractandam, et veritates Religionis sine respectu ad Revelationem divinam investigandas esse. Ast in temerario isto conamine factum est, ut Philosophi Revelationis facem deserentes, ac soli rationis suae lumini fidentes non iam Religionis naturalis veritates clarius invenirent, aut melius illustrarent, sed potius illas obfuscarent, ethnicorum Philosophorum errores sub alia forma in lucem proferrent, et antiquum *materialismum*, *scepticismum*, *pantheismum* et *atheismum* regenerarent. *Materialismum*, cui ansam praebuit theoria Io. Lokii, qui omnes ideas a sensibus repetiit, in tota sua enormitate excoxit Auctor impii libri: *de systemate naturae*, quem nonnulli secuti sunt, spiritualitatem, et immortalitatem animae negantes. Pyrrhonicorum *Scepticismum* renovarunt *Dav. Humius* ac *Baylius*. Pantheismi restaurator *Ben. Spinoza* fuit; et post irrisiones satyricas *Voltairii* et *Rousseauvii* cavillationes plurimi in horrendum incredulitatis, irreligionis, vel etiam atheismi barathrum prolapsi sunt. Sic illi, qui, Revelatione contemta, se solam rationem ducem se-

(1) L. 2. divin.
(2) Perrone t. I. c. II. prop. IV.
(3) Dial. sec. Alcib.
(4) V. Stollberg. Gesch. d. R. I. Chr. II. B. I. Beil

qui profitebantur, ac ideo de Philosophi nomine gloriabantur, vix non omnem Religionem, etiam naturalem, de medio sustulerunt. *Kant* equidem meliorem viam ingredi visus est. Sed cum, statuta autonomia rationis practicae, Deum tantum ut Remuneratorem, non autem ut supremum Legislatorem admitteret, et officia erga ipsum immediata penitus negaret, hac ipsa paradoxa assertione rectam Religionis ideam subvertit. — Qui ex Philosophia critica prodierunt, *Fichte*, *Schelling*, *Hegel* etc. sic de Deo locuti sunt, ut non theismum, sed *autotheismum*, *pantheismum* vel *atheismum* propugnare videantur (§. 38). Talia praeterea placita proponunt, quae sunt omnibus revelatae Religionis mysteriis incomprehensibiliora, utpote quae rationem non solum superant, sed illi aperte contradicunt: sic e. g. *Fichte* statuit το Ego, quod se ponit, et non ponit, simul finitum, et infinitum, absolutum et relativum, dependens et independens est, et perveniendo ad punctum incognitum x sui compos fit etc. *Schelling* omni discrimine inter obiectum et subiectum sublato, absolutam inter omnia vera et realia identitatem defendit, qua statuta, verum est non solummodo A = A sed etiam A = B. Idem naturam, tempori subiectam, aeternam ponit, et ex illius obscuro abysso Dei originem seu evolutionem conspicit, et declarat! ! — *Hegel* principio contradictionis reiecto in sua Logica futili sophismate aliud principium probare tentat, nempe: esse est non esse, et non esse est esse! Praeterea id, quod personalitate caret, in entibus limitatis sui conscium fit, ac perpetuis vicissitudinibus obnoxium est, ceu Deum veneratur. — Moralis equidem doctrina a recentioribus Philosophis melius pertractatur sed hincinde aberrat circa ipsum finem nostrum, cum vel eudaemonismum, vel purismum sequatur (§ 41), quandoque non rite principia cognoscendi proponit, cum omnia vel ex solo empirismo, vel ex solo transcendentalismo, vel ex solo idealismo deducantur, ac demum est admodum frigida quoad praecepta ethica, horumque exequendorum motiva (1). Si ergo, ut ex dictis liquet, ne ipsi quidem Philosophi solo rationis lumine ad debitam Religionis naturalis notitiam pervenerunt, manifestum est, Revelationem formalem hominibus perquam necessariam esse, ut ad finem suum perducantur.

Nota. Negari haud potest, a Philosophis tum antiquioribus, tum recentioribus, varias ad Religionem spectantes veritates cognitas et egregie pertractatas fuisse. Ast non omnia praeclara, quae Philosophi docuerunt, ceu meri partus humani ingenii consideranda sunt, quia multa ex Revelatione iam facta depromta fuerunt. Nam Revelatio mature iam hominibus concessa partim se per traditionem conservavit, partim gentibus ex commercio cum Iudaeis innotuit, partim ex libris sacris Iudaeorum, praecipue post captivitatem babylonicam, ab Ethnicis hausta fuit. In specie Philosophi antiqui itinera instituerunt ad novas cognitiones acquirendas, ubi certe Iudaeam non neglexerunt. — Omni iure observatum fuit, Philosophos, qui post Evangelium promulgatum scripserunt, e. g. Senecam, Epictetum, M. Aur. Antoninum, minus errasse et puriorem doctrinam tradidisse, certe non alia ex causa, nisi quia doctrina Christi ipsis incognita non fuit: in ipsorum enim scriptis ipsissima verba S. Scripturae hincinde adhiberi, ostendit Cl. *Mosheim*. — Apposite ad hanc rem, et eleganter loquitur Ludovicus de Vives l. 1. de

(1) Cf. Fejer inst. theol. gen. §. 19

vera fide: « Apertis, ait, semel a Christo thesauris veritatis eae deinceps rationes ab iis, qui doctrinae illi coelesti paruerunt, inventae sunt tam liquidae, apertae, validae, efficaces, inexpugnabiles, ut miremur, non incurrisse illas in oculos eorum, qui inter gentes sapientiam profitebantur. Sed nimirum lux addita est rebus a Christo... adhibita autem rebus luce, facile est, quid quaeque res, et cuius modi sit dicere; et pro iis quae dixeris argumenta congerere. Parit autem rationem cognita veritas, et veritatem confirmat adhibita ratio (1)».

§. 59.

B. Necessitas revelationis materialis.

Ratio agnoscit nonnullarum veritatum notitiam sibi necessariam ad Deum rite colendum, et ad finem suum ultimum obtinendum, quam tamen per propriam activitatem sibi comparare non potest. Ideo revelationem materialem non solum exoptatam, sed sibi necessariam iudicat. Ad veritates autem, scitu necessarias, et rationi impervias, tres praecipuae referri solent:

I. *Corruptionis nostrae internae causa et remedium.* Corruptionem nostram internam, qua fit, ut ratio praeiudiciis, et erroribus praeoccupetur, tenebrisque veluti involvatur, voluntas autem malignarum vi passionum, et praedominio sensualitatis depravetur, omnes antiqui Philosophi teste S. Augustino (2) agnoverunt, prouti nunc quoque eandem nos omnes sentimus. a) *Causam* vero huius corruptionis nullus Philosophorum determinare potuit, qui in ista inquisitione in maximos potius errores prolapsi sunt, ita, ut vel cum Tullio et Plinio naturam ipsam ceu novercam hominum accusarent, vel cum Pythagoreis metempsychosin, vel cum Platonicis aliam vitam, huic terrestri praecedentem statuerent, vel cum Manichaeis duo summa principia, seu Deum bonum et Deum malum defenderent. Neque homines absque revelatione veram suae corruptionis causam unquam detexissent, cum ratio hanc neque ex suis principiis, neque ex monumentis mere humanis deducere potuisset. — Maximi autem momenti est hanc causam cognosci, ne homines vel in Deum ipsum culpam refundant, ipsumque sibi malevolum, aut crudelem putent, vel saltem inordinatos sensualitatis stimulos a Deo insitos, ac bonos credentes, illis potius fortioribus, quam imperio rationis debiliori obtemperandum esse censeant. — Neque cum Voltairio dici potest, de causa pugnae inter sensualitatem, et rationem quaerendum non esse, cum illa prorsus naturalis sit non minus ac naturale est homini partes habere corruptioni obnoxias. Nil enim futilius dici potest; nam naturale quidem est, partes e variis materialibus elementis coagmentatas corrumpi, et dissolvi posse; sed partem hominis nobiliorem, et superiorem ab ignobiliori, ac inferiori in suis functionibus perpetuo impediri, a fine suo retrahi, et veluti dominari — naturale dici nequit, cum de reliquo in natura optimus ordo conspiciatur ita ut inferiora ceu media fines superiores mira harmonia promovere soleant. b) Maioris autem necessitatis est, *remedium* nosse, quo tristis haec corruptio emendetur, ne homo a fine suo retardetur, ac impediatur: tale vero remedium ab homine ipso determinari non potest. Ratio enim ipsius, ignorantiae tenebris involuta, aliena luce indiget, et voluntas debilitata, ac depravata sibi subvenire nequit,

(1) Cf. Stollberg, Betracht. der heil. Schrift. 1. B. A. Waibels Dogmatik 1. B. Seite 45 ecc.

(2) L. 4. c. Iulian. c. 12.

sed alienam opem exposcit, quam solum a Deo creatore et gubernatore omnium exspectare licet. Qua autem ratione ab ente supremo homini depravato subveniendum sit, ratio humana diiudicare non valet, sed hac in re ab ipso Deo instrui debet.

2. *Modus placandi Deum post commissam culpam.* Certum est, homines persaepe a lege morali, et divina aberrare, i. e. peccare, et sic Deum offendere - enti perfectissimo debitum cultum, ac supremo legislatori requisitam obedientiam denegando. Ob commissum autem peccatum ipsa ratio hominem poena dignum pronuntiat, Dei amore ac felicitate indignum declarat, ipsique satisfaciendi obligationem imponit. Maxime ergo necessarium est homini, ut cognoscat modum Deum placandi post culpam, sine quo nec Deum debito modo colere, nec finem suum consequi valet. — Modum autem istum humana ratio, sibi relicta, determinare non valet, tum quia ad offensum spectat determinare, qua conditione offensas remittere, et quam satisfactionem exigere velit, tum quia homo, cum omnes vires suas semper ad Deum referre teneatur (§. 44), nullas superstites habet, quibus Deo pro cultu, et obsequio neglecto satisfaciat, tum denique quia Deus offensus infinitus, homo vero reus undequaque finitus est. — Necessaria est ergo homini revelatio divina, et institutum positivum, ut modum addiscat, Deo pro offensis satisfaciendi.

Nota. Non desunt qui huic argumento contradicant.

Obi. 1. Deus, inquit Barthius, nec offendi potest, nec irasci: ergo non est cogitandum de satisfactione, nec timendum de poena.

Resp. Deus equidem in eo sensu offendi non potest, ac si felicitas, et infinita perfectio ipsius vel minuatur, vel turbetur; sed offendi dicitur, cum ipsi ab homine cultus et obsequium denegatur: haec autem denegatio, licet Deo innocua, in homine tamen magnam malitiam supponit, quae iuxta ipsius rationis sanae dictamina poenam meretur. —Sic pariter Deus non irascitur more humano, sed irasci dicitur dum iustas poenas infligit. Quamvis enim clementissimus sit, tamen etiam iustissimus est, neque infinita clementia infinitam iustitiam aut minuit aut laedit.

Obi. 2. Homo peccator, ait Kantius, debet emendare sensus suos, quibus mutatis fit alius homo, qui Deo displicere non potest. Cum autem ista sensuum suorum emendatio fieri nequeat sine multis pugnis, et abnegationibus, istae, quas homo emendatus non meretur, possunt Deo offerri pro homine vetere, i. e. in satisfactionem pro peccatis patratis.

Resp. Contra hoc ratiocinium plura excipi possunt. Nam a) Sensus quidem hominis mutati Deo non displicent, sed reatus culpae praeteritae, qui Deo placere nequit, remanet. b) Ad pugnas, et abnegationes pro emendatione necessarias homo vitiosus iam per se tenetur; quare illas suscipiendo nunc quidem officium suum implet, sed nil supererogatorii facit, quod in satisfactionem pro culpis praeteritis offerat. c) Et si illas offerre posset, quis ipsum sine revelatione certum reddet, per istos conatus hominis finiti pro offensa Dei infiniti ita satisfieri, ut reatus poenae penitus tollatur? —

3. *Status vitae futurae, et animae immortalitas.* Pro homine infirmo, variisque passionibus agitato valde necessarium est, ut cognoscat, quid post mortem vel sperandum, vel timendum sit, ut per spem praemiorum ad bonum incitetur, et per poenarum metum a malo deterreatur. Incerta, et obscura harum rerum co-

gnitio haud sufficeret ad hominem impellendum, ut certam huius vitae voluptatem semper postponeret legi morali, et pro virtute omnia ardua perferret. — Ratio autem sibi relicta de statibus alterius vitae, et de animae immortalitate sat certas cognitiones praebere non valet. Equidem dum iustos in hac vita saepe tribulationum pondere opprimi, iniquos vero deliciis affluere cernimus, iure inferimus, aliam vitam dari, in qua Deus iustos remuneretur, malos autem puniat. Modus autem, et mensura tum praemiorum, tum poenarum a liberrima Dei voluntate dependet, nec a mente humana determinari potest: et multo minus ratio demonstrare valet, praemia, vel supplicia pro actibus finitis aeterna esse debere. Insitum quidem perfectae, et sempiternae felicitatis desiderium ostendit, Deum immortales nos esse velle, verum perfecta felicitas perfectam moralitatem exigere videtur (§. 41) ceu necessariam conditionem. Quot autem sunt homines, qui perfectae moralitatis sibi conscii sunt? quid de minus perfectis fiet? quid de peccatoribus dicendum erit? an etiam perpetuo a Deo conservabuntur, cum ob neglectam moralitatem iure ipsorum felicitatis desiderium fallatur? — Hisce, aliisque dubiis ratio sibi relicta sufficienter respondere haud valet, et ideo non desunt, qui affirmant, immortalitatem animae per solam rationem sat firmis argumentis probari haud posse. Cuius rei antiqui Philosophi testes existunt. Nam sapientiores quidem omnes immortalitatem animae optaverunt, atque rationi convenientem existimarunt; verum ad firmam certitudinem non pervenerunt. Sic *Socrates* moriturus de statu futuro, animaeque immortalitate haeret (1) quem *Plutarchus* (2) ita loquentem inducit, « mortem non esse timendam, quod aut similis somno, aut peregrinationi futurae sit, aut tandem post mortem cuncta destruantur. » *Cicero* (3) laudat quidem, quae *Plato* de immortalitate animae scripsit; fatetur tamen, quod convictus non fuerit, et ait: « solutionem huius quaestionis Diis relinquendam esse. » Etiam *Antoninus Imperator* (4), ambigue de futuro vitae statu loquitur. *Seneca* (5) de immortalitate animae loquens ait: « Credebam facile opinionibus magnorum virorum rem gratissimam promittentium magis quam probantium. » Quae testimonia clare ostendunt, rationem sibi relictam sat luculenta, et firma pro immortalitate animae argumenta non suppeditare (6). Necessaria est ergo Revelatio materialis, quae nobis veritates scitu necessarias, et rationi impervias manifestet.

Nota. Quo magis, nostris praecipue temporibus rationis iura extolluntur, eo plures difficultates contra Revelationis tum formalis, tum materialis necessitatem moventur.

Obi. 1. Religio naturalis Deum habet auctorem, ergo imperfecta non est, sed homini sufficit.

Resp. a) Omnia opera Dei in suo genere perfecta sunt, non autem ideo ad omnia sufficiunt, sic e. g. sol in se perfectus est, sed tamen noctis tempore pro lumine non inservit. Nil obstat, quo minus dicatur, Deum voluisse nos duplici modo i. e. per rationem, et revelationem ad Religionis cognitionem perduci. b) Perfectior erat ratio, cum e manu Creatoris processit, quam nunc est, postquam per culpam hominis corrupta fuit.

(1) Plat. Apolog. in fin.

(2) In consul. ad Apollon.
(3) In quaest. Tuscul. lib. 1. c. 11.
(4) L. 4. c. 21. (5) Epist. 102.
(6) Cf. com. de Stollberg hist. relig. l. Christ t. 6, § 75, n. 65.

Obi 2. Deus non plura ab homine exigit, nisi quanta ipsius vires ferunt: quae si praestet, sufficit; ergo sufficit quoque, si homo Religionem taliter teneat, qualem per vires suas naturales cognoscit.

Resp. Ob neglectum praeceptorum, quae ex ignorantia invincibili non adimplentur, nemo quidem a Deo punitur positive: sed datur etiam poena negativa, dum bonum, quod nemini absolute debetur, ob non adimpletam conditionem denegatur. Perfectae autem felicitatis conditio est perfecta moralitas, quae supponit praeceptorum divinorum claram, completam, et solidam cognitionem. Ad hanc autem neque quoad veritates ordinis naturalis homines pervenire posse, argumenta (§. praec.) allata probant, nisi Revelatione illustrentur, qua ergo indigent ad finem suum obtinendum. Voluntas quoque, seposita Revelatione materiali, sufficientia motiva non habet ad legem moralem ubique fideliter adimplendam. Demum-quidquid de indigentia hominis dicatur, id sana ratio dictat, omnia praecepta divina adimplenda esse, sive per rationem, sive per revelationem intimentur. Necessarium ergo semper homini manet, indagare, an revelatio facta sit, et quid illa credendum, et faciendum praescribat.

Obi. 3. Revelatio necessaria dicitur, quia homines sine illa non omnes veritates, et multas non sine magna difficultate, vel solum dubitanter agnoscerent, neque sufficienter vel a malo arcerentur, vel ad bonum impellerentur. Ast-facta etiam revelatione a plerisque non omnia doctrinae capita cognoscuntur; neque de his maior certitudo haberi potest, cum principia rationalia certitudinem metaphysicam, monumenta vero externa moralem tantum pariant. Tandem mores nunc quoque corruptissimi sunt; quare nova revelatione opus esse, dicendum foret, si argumenta allata valerent.

Resp. a) Licet non omnia revelationis capita ab omnibus cognoscantur, tot tamen facile cognosci et possunt, et debent, quot sufficiunt ad recte vivendum. Negari sane non potest, post promulgatum Evangelium homines etiam plebeios, mulierculas, pueros, et puellas meliores Religionis notiones tam theoreticas, quam practicas habere summis Ethnicorum Philosophis. b) Quod gradum certitudinis attinet, dicendum est, rationem firmam parere certitudinem in summis, et evidentibus rationis principiis, non autem circa veritates, et officia, quae ex illis deducuntur, in quibus diiudicandis per praeiudicia, et passiones nimis facile decipitur. c) Praeterea homines multo facilius auctoritate, quam propria ratione dirigi, experientia testis est. Moralis vero certitudo ad talem gradum pervenire potest, ut omnem umbram dubii excludat; sic. e. g. nemo dubitare potest, existere urbem Romam etc. d) Demum si mores etiam post factam revelationem corrupti sunt, id ex eo tantum fit, quia Revelationis documenta non audiuntur, motiva non ponderantur, et media negliguntur. Mores autem multorum populorum per revelationem Christi vere emendatos fuisse, historia testatur.

Obi. 4. Plurimi divina revelatione destituti, rationis suae lumina secuti optimam vitam duxerunt, uti Iob, Cornelius etc.; inter Ethnicos praeclara extiterunt exempla virtutum; Sinensium mores maxime celebrantur etc.

Resp. a) Qui de bene acta vita laudantur, haud recte semper divina revelatione destituti dicuntur. Hanc enim vel ex orali traditione, vel ex commercio cum Iudaeis, aut Chri-

stianis discere potuerunt, vel etiam interna gratia divina ita eos illustrare potuit, ut revelatione externa opus non fuerit. b) Si revelatio necessaria dicitur, non ideo rationi omnis veritatum, et officiorum cognitio denegatur, quam rite adhibentes laudabiles profecto actus ponere queunt: non autem ideo perfecta, et ad salutem sufficiens moralitas exsurgit. Ipsi, qui inter Ethnicos laudari solent, virtutis actus plerumque in motivo, vel in circumstantiis vitiati fuerunt. c) Falsum persaepe est, quod de bonis Ethnicorum moribus narratur; sic e. g. nonnulli cum Voltairio in odium Christianorum maxime extulerunt Sinensium mores, quos tamen Rousseau, et alii, qui de illis optimam notitiam habuerunt, valde corruptos describunt.

Obi. 5. Ipsa humanae mentis natura, et summi Numinis idea recte efformata omnem excludunt supernaturalis revelationis necessitatem; — quemadmodum enim omnia alia animantia iis viribus praedita sunt, quibus naturae suae fines attingere possint; ita procul dubio homines ratione sibi concessa praestant reliquis animantibus, eisdemque facultas data est, ea omnia intelligendi et observandi, quae ad summos humani generis fines obtinendos, scilicet ad officia tuenda, et ad religionem colendam spectant (1).

Resp. a) Natura rationis ea est, ut ad cognitionem veritatis non solum principia sua evolvendo, sed etiam auctoritati credendo pertingat. Quodsi homines in naturalibus plurima ex sola auctoritate cognoscunt, quis dicet, ipsos in supernaturalibus, seu in veritatibus, quae religionem, et salutem concernunt, omnia per solam rationem suam evolvere debere? quis indignum Deo putabit, ut homines duplici via-ratione, et revelatione ad finem nobilissimum perducere velit? — certe ergo neque natura mentis humanae, neque idea supremi Numinis necessitatem revelationis supernaturalis excludit. b) Animalia ad fines suos naturales obtinendos sufficientibus viribus naturalibus instructa sunt; quod idem de homine dici potest, qui ad actus naturales ponendos supernaturali auxilio non indiget. In ipsis vero animantibus e. g. equis varii fines obtineri non possunt, nisi ab homine dirigantur: an ideo absonum est, asserere, hominem in fine suo nobilissimo acquirendo a Deo ipso dirigi debere? — c) Non solum animalia, sed et reliqua entia sic comparata sunt, ut omnia ad ipsorum fines promovendos ordinentur; contrarium vero in homine cernitur; et hoc est problema, quod Philosophia solvere nequit, quare revelatio iure necessaria dicitur (2).

Obi. 6. In humano genere continua *perfectibilitas* admitti debet: si ipsi ergo divina revelatio necessaria fuit in statu impubertatis, et stupiditatis, modo tamen, cum ex hoc tristi statu egressum ad perfectiorem culturam pervenit, divina revelatione non amplius indiget.

Resp. a) Si homines circa artes, scientiasque naturales usque perficiuntur, non idem tamen de ipsis, si propriis viribus relinquantur, in negotio Religionis admitti potest. Multa enim sunt, quae huic perfectibilitati obstant. Non enim homo in abstracto spectari debet, sed in concreto, prout est malis cupiditatibus abstractus, et illectus, pessimis exemplis circumventus, praeiudicatis opinionibus, quas ab infantia hausit, imbutus, publica, atque universali apud suos agendi ratione quodammodo raptus. In hoc tristi statu homo circa Religionis cognitionem,

(1) Ita Wegscheider inst. theol. c. I. §. 11.

(2) V. Perrone l. I. cap. 2. prop. 3. obi. I

et exercitium, si sibi relictus sit, vix perfici potest. b) Idem historia confirmatur. Nam si continua perfectibilitas daretur, tunc quo populus adultior fit, eo fieret perfectior, magisque ad veritatem, et virtutem accederet: at experientia, monumentis historicis confirmata, contrarium ostendit; ex ea enim cognoscimus eo puriores sive quoad cultum, sive quoad mores fuisse populos, quo magis ad suam, ut ita dicam, infantiam accedunt, e contrario eo deteriores factos, quo magis ab ipsa recedunt. Sinenses profecto, quorum imperium antiquissimum est, quum neque artibus, neque scientiis sint destituti, debuissent summam perfectionem attingere; attamen in suis superstitionibus, et in morum pravitate permanent, imo et deteriores sunt, quam fuerunt tot retro saeculis, prout et in caeteris populis e. g. Graecis, Romanis etc. evenit (1). c) Si humanum genus in Religionis notitia continuo perfici posset, nunquam tamen ad talem culturae gradum perveniret, ut illas veritates per se detegeret, quae scitu quidem necessariae, sed rationi imperviae sunt: et ideo Revelatio - saltem materialis semper necessaria manet (2).

Obi. 7. Si revelatio esset necessaria, ab initio mundi extitisset, omnibusque gentibus concessa fuisset; Deus enim in necessariis non deest: atqui haud semper omnes populi revelationis beneficio gavisi sunt: ergo Deus ipse illam necessariam non iudicavit.

Resp. a) Revelatio non ex parte Dei, sed ex parte hominis necessaria fuit: erat autem hominibus indebita, qui etiam per aberrationes tanto beneficio indigni facti sunt. Potuit ergo Deus iustissimus Revelationem prorsus hominibus denegare, licet illam his necessariam cognoverit, vel potuit eam benignissimus concedere quibus voluit, et quando voluit: neque enim bonitas Entis primi, et absoluti legibus regitur, sed omnino independens est, ita, ut semper illud optimum sit, quod Deus decernit. b) Retorquere possumus argumentum. Iuxta Rationalistas necessaria est cognitio Religionis naturalis: verum ista quoque caruerunt plurimae gentes, neque illam per solam rationem sibi comparare poterant (§. 57. etc.) Quare hanc Deus ipsis non concessit? quare non saltem faciliorem reddidit? quare non prius illos Philosophos produxit, qui de perfecta Ethica, ex solis rationis principiis deducta gloriantur? — Si haec omnia non tollunt necessitatem Religionis naturalis, praedicta etiam obiectio non evertit necessitatem Revelationis. c) Si historiam revelationis inspiciamus, hanc iam primis hominibus factam, et ad posteros - saltem per traditionem propagatam fuisse comperimus: culpa populorum factum est, ut revelationis notitia corrumperetur, aut penitus in animis obliteraretur (3).

(1) Perrone l. c. n. 60 etc.
(2) Frint, t. I. §. 272 etc.
(3) Cf. Frint, t. I. §. 202 etc.

CAPUT IV.

CHARACTERES REVELATIONIS

§. 60.

1. Si Deus actu hominibus Revelationem largiatur, opus est, eam talibus insigniri notis, ut ceu vere divina cognosci, rationabili assensu acceptari, et congruo obsequio exerceri queat: secus enim finis factae revelationis obtineri nullo modo potest. Notae autem, quibus vera Dei Revelatio supernaturalis agnosci, et a spuria et falsa secerni potest, Revelationis *characteres*, seu *criteria* vocari solent.

2. Characteres isti, si Revelatio

pro toto genere humano destinetur, debent esse a) *perspicui*, ut facile ab omnibus intelligi queant, b) *certi*, ne in re omnium gravissima dubitationi locus relinquatur, c) *completi*, ut simul sumti verae tantum revelationi competere possint.

3. Characteres Revelationis sunt *interni*, et *externi*. Interni desumuntur ex Revelationis *materia*, seu ex ipsa doctrina, quae ceu revelata proponitur; externi autem petuntur ex *forma* Revelationis, seu ex modo quo manifestatio fit, ex circumstantiis, in quibus fit, et ex mediis, quibus doctrina manifestatur, et propagatur. Characteres tum interni, tum externi *negative* determinant, quaenam non possit esse vera revelatio supernaturalis, *positive* autem ostendunt, quaenam revelatio pro vere divina supernaturali habenda sit.

4. Cum revelatio supernaturalis ceu opus Dei sapientissimi, ac benignissimi ad finem hominis promovendum concipiatur, dubitari nequit, materiam, et formam Revelationis auctori, subiecto, ac fini ipsius omnino congruere: atque ideo characteres internos, et externos ex *conceptu Dei* - ceu *auctoris*, ex natura, et statu empirico *hominis*, seu *subiecti*, et ex relatione ad veritatem, moralitatem, et felicitatem, seu ex *fine* - ac proin ex completo Revelationis conceptu determinare oportet. Pro *canone* ergo *generali* statui potest: materia, et forma Revelationis triplici huic normae non repugnare, sed potius consentire debent. — Iuxta hunc canonem theoria rationalis characterum tum internorum, tum externorum construenda est.

Nota. Licet ratio humana, sicut Revelationis possibilitatem, et necessitatem ostendere, sic etiam sufficientes eiusdem notas, seu characteres assignare valeat, attamen limitum suorum memor esse debet; cum enim limitata sit, et infirma, profecto non omnes modos determinare valet, quibus Ratio infinita, Deus omnipotens, sapientissimus, ac liberrimus uti potest ad Revelationem supernaturalem hominibus ita concedendam, ut de illa omnino persuasi reddantur.

§. 61.

I. Characteres interni.

Characteres interni *negativi* determinant, quid a doctrina, quae revelata dicitur, abesse debet, et *positivi* ostendunt, quomodo doctrina divinitus revelata comparata sit oportet.

1. Iuxta sanae rationis dictamen illa doctrina ceu divinitus revelata haberi non potest, quae certis, et evidentibus rationis principiis contraria est. Deus enim, qui ad nos tum per rationem, tum per revelationem loquitur, sibi contradicere nequit. Aliud dicendum est de principiis minus certis, in quibus ratio corrupta, et debilitata saepe aberrat, et de systematibus philosophicis, in quibus non omnia ceu rationis dictamina considerari possunt, cum ipsi Philosophi in illis condendis sibi consentientes non sint. Porro - divina revelatio nihil continere potest veritati, moralitati, et felicitati contrarium, aut noxium, quia Deus hunc triplicem finem, quem in homine promotum vult, certe non impedit. Tandem divina revelatio tunc admitti nequit, si capita doctrinae propositae inter se pugnent, et sibi contradicant: talis enim contradictio in Deum ipsum refundenda esset. — Isti sunt characteres interni negativi, qui multo magis ad diiudicandam falsitatem spuriae, quam ad probandam veritatem genuinae Revelationis inserviunt.

2. Si de characteribus internis positivis agitur, rationis humanae non

est, Deo praescribere, quid ipsum revelare oporteat. Id tamen absque haesitatione statui potest, doctrinam revelatam *Deo dignam*, et *hominibus accommodatam* esse oportere. Doctrina enim, quae Deum auctorem habet, nonnisi undequaque vera, bona, et sancta esse potest. Et cum a Deo sapientissimo pro hominibus destinetur, certe horum *capacitati*, *fini*, ac *indigentiae* accommodata est. — Ut autem doctrina hominum *capacitati* accommodata sit, ea claritate proponi debet, ut ab hominibus percipi possit (1). Non autem requiritur, ut doctrina quoad rationes intrinsecas comprehendatur, sed sufficit, ut subiectum, et praedicatum cognoscantur, ac de eorundem nexu ex auctoritate divina certitudo habeatur (§. 54). Et doctrina revelata clara fieri potest vel per se, vel per magisterium authenticum, a sapientissimo Revelationis auctore constitutum. — Ut doctrina hominum *fini* accommodata sit, oportet, eam utilem esse ad cognitionem veritatis, ad exercitium moralitatis, et ad acquisitionem felicitatis promovendam. — Ut doctrina hominum *indigentiae* accommodata sit, ratio non quidem exigere, sed expectare posse videtur, ut quoad symbolum illae praeprimis veritates revelentur, quae scitu necessariae, sed rationi impervIae sunt (§. 59.); ut in codice non solum officia, in quibus statuendis facile aberratur, clarius, et solidius proponantur, sed etiam cultus externus saltem quoad summa capita ad uniformitatem aliquam obtinendam determinetur; et tandem ut in hierarchico imperium sacrum stabiliatur, cui in regno divino morali omnes subesse teneantur.

3. Ex characteribus internis tum negativis, tum positivis equidem apodicticum pro existentia divinae revelationis argumentum non exurgit, quia, absolute loquendo possibile est, ut quis doctrinam a contradictione liberam, Deo dignam, et hominibus accommodatam per vires suas naturales proponat. Ast-si probari possit, praeconem talis doctrinae - hanc neque a se, neque ab aliis hominibus, sed solum a Deo, supernaturali, et extraordinario modo agente, haurire potuisse, tunc positivum pro existentia divinae revelationis argumentum exurgit, quoniam alias ratio sufficiens illius doctrinae non haberetur.

(1) Fejer, l. c. §. 57.

§. 62.

II. Characteres externi.

Ex forma Revelationis, i. e. ex actione, modo, et circumstantiis, quibus doctrina annuntiatur, peti debent characteres externi, qui ad dignoscendum influxum divinum necessarii sunt tum legato divino, cui Revelatio immediate obtingit, tum iis, qui mediate Revelationem a legato divino percipiunt.

1. *Negative* a forma Revelationis abesse debet, quidquid Deo indignum, fini hominis, religionis, aut revelationis contrarium est, uti e. g. *violentia*, quae libertati praeiudicat, *fraus*, quam lex moralis prohibet;

2. *Positive* Revelationis veritas ostendi debet per eventus singulares, sensibiles, et supernaturales, quibus immediatus influxus Divinitatis omnibus sufficienter patefiat. Id autem fit per *miracula*, et *vaticinia*.

Nota. Miracula, et vaticinia certissimos divinae revelationis characteres constituere omnis retro antiquitas credidit, et praecipue fides Iudaeorum, et Christianorum ostendit. Rationalismus autem temporum nostrorum, sicut veritates supra-rationales ex materia, ita eventus supranaturales ex forma Revelationis exulare desiderans tum miracula,

lum vaticinia impugnat, quamobrem accuratior de istis characteribus positivis theoria rationalis proponenda venit.

ARTICULUS I.

De miraculis.

§. 63.

1. Miracula sunt effectus sensibiles, notis naturae legibus repugnantes, de quibus probari potest, quod non potuerint ab alia causa produci nisi ab ipso Deo extraordinario modo agente. Per traditam notionem miracula distinguuntur ab operibus gratiae interioris, quae sensibus haud subiiciuntur; ab opere divino Conservationis, in quo ordo naturae cum suis legibus retinetur; a portentis naturae, quae occultis ipsius viribus producuntur, et a prodigiis daemoniacis, quae a spiritibus homine superioribus, seu potentioribus perficiuntur.

2. Miraculum, spectato eventu, vel est *absolutum*, dum eventus sua ex natura omnes vires naturales superat, ut e. g. est suscitatio mortui, vel est *relativum*, dum easdem in modo superat, uti est aegroti graviter decumbentis curatio subitanea. — Altero respectu: si Deus eventum producat sola omnipotentia, vel mediis supernaturalibus, dicitur *immediatum*, si vero ministris, et rebus naturalibus singulariter praeformatis utitur, nominatur *mediatum*.

Nota 1. Miraculum in S. Scriptura vocatur *portentum* (1) vel *monstrum* (2) ob eventum insolitum, et causam occultam; *signum* (3), cui inest significatio praesentis et agentis Dei; *digitus Dei* (4) propter divinam, quae operatur, virtutem (5).

Nota 2. Nonnulli miracula admittere videntur, sed talem de illis notionem proponunt, ut ad ordinem eventuum naturalium detrudantur, ex quibus pro veritate Revelationis divinae argumentum non prodit. Sic e. g. iuxta *Lokium* miraculum non est nisi eventus sensibilis, qui superat spectatorum captum, et iuxta illos est contra cursum naturae, et accipitur tanquam operatio divina. Etiam *Kant* eventus, qui miracula dicuntur, repetit ex naturae legibus et viribus nobis incognitis. Idem fere sentiunt plerique Rationalistae, qui eventus vere supernaturales ceu impossibiles et fictitios reiiciunt. Quantum vero aberrent, ex dicendis apparebit.

(1) Ezech. 12, 6. (2) Eccli. 45, 24.
(3) Is. 7, 14 Io. 20, 30. (4) Ex. 8, 19.

§. 64.

Miracula sunt possibilia.

Duplex secernenda est miraculorum possibilitas, nimirum *obiectiva*, qua posita affirmatur, Deum in natura visibili producere posse effectus, qui huius vires superant, consuetisque legibus repugnant, et *subiectiva*, qua asseritur, nos de extraordinaria causalitate Dei in miro aliquo effectu producendo sufficienter certos fieri posse. Utraque iam contra adversarios propugnanda venit.

§. 65.

A. De obiectiva miraculorum possibilitate.

Miracula in se, seu obiective sumpta, possibilia esse, ipsa sana ratio docet.

1. *Logica* enim miraculorum possibilitas per se manifesta est, quia notio miraculi notas contradictorias non involvit, ac proin a ratione sana et culta optime concipi potest.

2. *Physica* quoque possibilitas in dubium vocari nequit. Nam ex una parte *Deus*, qui illimitata causalitate, seu omnipotentia pollet, uti continuo in naturam agit, ita etiam singulari actione eam afficere potest, legesque, quas ipse tulit, quibus au-

(5) Cf. Dobmayr, t. II. 2. 130.

tem ipse non subest, suspendere: et sane si nos in nostrum corpus agere, eiusdem vires suspendere, consuetamque activitatem mutare possumus, cur non posset idem Deus quoque et quidem circa totum Universum, cuius auctor et gubernator est? — Certe altera ex parte *natura*, quae tota a Deo dependet, illique paret, sicuti latas ab ipso leges observat, ita etiam certos recessus et receptiones ab eadem omnipotentia ad exigentiam finium moralium, secundum quos regitur, recipere potest. Generatim vis minor maiori cedere debet, an natura Deo omnipotenti resistere poterit? — Ipse Rousseau dubitat, an illum insipientem, an impium dicat, qui de physica miraculorum possibilitate dubium movet (1); omni iure autem dici potest, talem utraque nota inurendum esse (2).

3. *Moralis* possibilitas eodem modo clare apparet; miracula enim fines hominis, Revelationis, aut Dei non solum non impediunt, sed summopere promovent; sunt enim *homini* maxime accommodata, qui naturali stimulo in mira fertur, et factis potius quam argumentis erudiri ac persuaderi debet; sunt etiam *revelationi* consentanea, quae, cum Deum auctorem habeat, factis quoque divinis indiget, ut originem suam supernaturalem probet; sunt demum *Deo* dignissima, quia in patratione miraculorum varia attributa sua clarissime manifestat; ostendit enim suam omnipotentiam, cum totius naturae vires superat; suam independentiam, dum ipsas naturae leges vel suspendit, vel immutat; suam bonitatem, cum revelatam a se doctrinam pro salute hominum confirmat; et suam providentiam, ad quam melius cognoscendam et ruminandam hominem, operibus suis ordinariis iam assuetum, per eventus extraordinarios excitat. Quam in rem egregie disserit *S. Augustinus:* « Quia, ait, Deus non est talis substantia, quae videri oculis possit, et miracula eius, quibus totum mundum regit, universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano; secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quaedam, quae faceret opportuno tempore praeter usitatum cursum ordinemque naturae, ut non maiora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant (3). » Manifestissimum igitur est, miracula obiective possibilia esse.

Nota. Contra obiectivam miraculorum possibilitatem variae difficultates moveri solent.

Obi. 1. Si miraculum esset possibile, mutari possent et interrumpi naturae leges; atqui hoc fieri nequit. Nam leges naturae sunt immutabiles, quia sunt decreta Dei; sed decreta Dei mutari non possunt, cum voluntas divina immutabilis sit; ergo miraculum contingere nequit. — Sic post Spinozam Voltairius.

Resp. Leges naturae non sunt aeternae, necessariae, immutabiles per se, quia a liberrima voluntate Dei constitutae sunt, et ab illa dependent; neque immutabiles fiunt propter voluntatem divinam. Nihil enim impedit, quominus Deus ab aeterno decreverit, ut mundus iuxta quasdam leges uniformes regeretur, et simul ab aeterno voluerit, illas leges in quibusdam circumstantiis suspendi, seu interrumpi; qua in hypothesi mutabitur quidem ordo consuetus, nec tamen mutantur divina decreta, quae ab aeterno semper eadem manent. Egregie in rem loquitur S. Thomas Aq.: « Dicendum, ait, quod sic

(1) Lettr. écrite de la mont. p. 94.
(2) Cf. Storchenau Phil. d. B. 5. B. S. 6.
(3) Tract. 24. in Io.

Deus certum ordinem rebus indidit, ut tamen sibi reservaret, quod ipse aliquando aliter ex causa esset facturus: unde, cum praeter hunc ordinem agit, non mutatur (1).»

Obi. 2. Leges naturae optimae et perfectissimae sunt, ergo mutationi obnoxiae esse non possunt. Deo indignum est dicere ipsummet optimum in natura ordinem statuisse, et tamen, ubi hic ordo naturalis ipsius voluntati haud amplius satisfacere possit, miraculis patrandis ipsi quasi opem et medicinam ferre. Non potest Deo competere, quod nonnisi ineptis legislatoribus usuvenit, qui cum exigua mentis virtute sint instructi, totamque reipublicae regendae formam assequi nequeant, quoties graviores difficultates occurrunt, toties ad exceptiones confugere coguntur. Ita Wegscheider, Salvador et alii.

Resp. Leges naturae optimae et perfectissimae sunt quia a Deo sapientissimo constitutae, et respectu temporis et modi iuxta ipsius voluntatem servandae sunt. Quodsi hic idem Deus exceptionem adesse velit, ex eadem ratione haec exceptio optima et perfectissima est. Neutiquam enim Deus miracula patrat ut infirmitati naturae succurrat, aut illam corrigat, quasi quaedam male aut improvide essent constituta, quae emendatione egent: sed habet Deus fines alios maiestate ac sapientia sua infinita dignissimos, ad quos promovendos rerum ordinem immutat, et leges naturae suspendit, e. g. ut homines de religione a se revelata certos reddat. — Neque ideo Deum inepto legislatori comparare licet, qui ex defectu scientiae et capacitatis statuta sua mutare cogitur: Deus enim, omniscientia et omnipotentia praeditus, non ex superveniente necessitate, quam non praeviderit, aliquid mutat, sed uno aeternoque decreto tum leges naturae, tum exceptiones, seu mutationes liberrime ac sapientissime sanxit (2).

Obi. 3. Deus ipse, ut omnes passim fatentur, possibilia tantum perficere potest; possibilia autem sunt, quae nullas notas contradictorias continent, neque rerum essentiis repugnant. Miracula vero contradictionem involvunt, quia his positis res eodem tempore diverso modo comparatae esse deberent. Sic e. g. mons in aërem elevatus simul deorsum et simul sursum tendere, simul gravior et simul levior aëre esse, vel mons et aër essentias suas mutare deberent. Haec autem omnia sunt impossibilia: ergo neque a Deo perfici possunt.

Resp. Quae impossibilia sunt *metaphysice* i. e. quae talem contradictionem involvunt, ut sub nulla conditione existere queant, e. g. existere circulum quadratum, dari effectum sine causa sufficiente etc. etiam a Deo perfici nequeunt: aliter autem dicendum est de iis, quae *physice* solum impossibilia sunt; haec enim, licet a causis naturalibus non possint perfici, tamen a causis supernaturalibus et praecipue ab omnipotentia divina perfici posse, nemo negabit. In proposito exemplo contradictio adesset, si mons propria virtute sine causa externa elevari diceretur; nulla autem contradictio adest, si pro causa externa statuitur actus extraordinarius omnipotentiae divinae; tunc enim mons deorsum tendit vi propria naturali, et sursum elevatur vi supernaturali divina; quod si contradictionem involveret, impossibile pariter esset levem lapidem virtute brachii sursum proiicere.

Obi. 4. Si contingeret miraculum, e. g. si terra a motu regulari desi-

(1) P. I. q. 105. art. 6 ad 3.

(2) Cf. Perrone t. I. p. I. c. III. prop. I.

steret, totus mundi ordo mutaretur et perturbaretur, quia omnia entia, sicut rotae in horologio, intimo nexu cohaerent. Ita Voltaire.

Resp. Qui mundum creavit, illiusque ordinem stabilivit, potest etiam eadem facilitate hunc ordinem vel immutare, vel suspendere, vel posita mutatione in una parte in altera conservare, vel per aliquod tempus perturbatum restaurare: nam omnipotentiae divinae nil arduum est. Plurima miracula fieri possunt, quae in ordinem mundi non influunt. Sic e. g. resuscitatio Lazari mortui non magis perturbat ordinem Universi, quam sanatio aegroti per medicamenta peracta.

Obi. 5. Contra moralem miraculorum possibilitatem ita ratiocinatur Kant: Miracula, ait, finibus rationis repugnant; admissa enim eorum possibilitate nutant naturae leges, cum a ratione determinari nequeat, an effectus a viribus naturalibus vel supernaturalibus productus fuerit; et ratio, si ad immediatam causalitatem divinam recurrat, vires legesque naturae investigare negligit, et ignava redditur.

Resp. Per possibilitatem miraculorum nullatenus leges naturae nutantes aut incertas reddi, experientia docet; illi enim, qui miraculorum possibilitatem defendunt, certas tamen naturae leges agnoscunt, e. g. corpora gravia deorsum tendere etc.; imo ipsa possibilitas (subiectiva) miraculorum certas naturae leges nobis cognitas exposcit; et ideo ratio non ignava redditur, sed potius excitatur ad naturae leges viresque investigandas, cum nunquam liceat recurrere ad causalitatem immediate divinam, nisi constet, effectum certis naturae legibus repugnare, atque in illo naturae vires certo superari (1).

Obi. 6. Miracula non promovent finem Revelationis; nam non prosunt *legato*, qui, si bonus et sanctus est, illis non indiget, si malus, per facta externa non emendatur, nec fide dignus redditur; non prosunt *audientibus*; docti enim non ad facta externa, sed ad intrinsecas rationes attendunt; indocti vero per facta mira stupore abrepti ab excipienda doctrina detinentur; non prosunt *doctrinae*, quae si a ratione approbetur, miracula non exposcit; si vero falsa sit, nunquam rationi obtrudi potest.

Resp. Non omnis bonus et sanctus vir est etiam legatus divinus: qui bonus et sanctus videtur, hypocrita et mendax esse potest; ideo ad extraordinariam missionem divinam ostendendam semper miraculis opus est. — Docti in iis, quae ad revelationem formalem spectant, intrinsecas rationes perscrutari possunt; ast revelationem materialem excipere nequeunt, nisi illam a ratione superiore, i. e. a Deo descendere cognoverint, quod cognoscere nequeunt, nisi per miracula Deus immediatum suum influxum ostendat. Indoctos autem non ita stupore abripi, ut ab excipienda doctrina detineantur, dum facta mira observant, sed per ista potius incitari ad legatos divinos audiendos, historia ostendit. Doctrina tandem, si ad revelationem formalem spectet, a rudi populo, et si ad materialem pertineat, etiam ab eruditis debita certitudine excipi non poterit, nisi divina auctoritate fulciatur. Quis nescit, quam facile optima quoque doctrina, quae humana solum auctoritate proponitur, contemnatur et in dubium trahatur? — ideo si non necessarium, saltem utilissimum est, miraculis doctrinam divinitus revelatam confirmare.

(1) Cf. Frint, t. II. §. 412-417.

§. 66.

B. De subiectiva miraculorum possibilitate.

Ut ex miraculo patrato pro veritate factae divinae revelationis pro nobis argumentum exurgat, de obiectiva illius veritate certi esse debemus. Ad id autem tria requiruntur: Primo enim nosse debemus, factum, quod ceu miraculum proponitur, vere, uti narratur, contigisse; porro constare debet, in facto isto naturae vires vere superatas esse, et extraordinariam causalitatem divinam adfuisse; demum perspicuum fieri debet, miraculum in confirmationem doctrinae propositae patratum esse; seu brevius: ad probandam revelationem divinam certi esse debemus de veritate miraculorum *historica*, *philosophica* et *relativa*. — Sed hanc triplicem miraculorum veritatem certo et tuto cognoscere possumus, atque ideo admittenda est subiectiva eorundem possibilitas. *Deo* enim certe scientia et potentia denegari non potest, ut opera sua ab operibus creaturarum distinguat, et de supernaturali ac immediata sua causalitate homines certiores reddat: etiamsi ergo ratio humana limitata nullum valeret modum assignare, eius tamen possibilitatem negare non potest, nisi iustum de Deo conceptum tollat. *Nobis* autem facultatem inesse omnia cognoscendi, quae ad subiectivam miraculorum possibilitatem requiruntur, facile probatur.

1. *Veritatem* enim *miraculi historicam* certo nosse possumus. Nam si facto supernaturali *praesentes* fuerimus, illud ex propria experientia agnoscere valemus; nam sensus non minus sufficiunt ad factum insolitum, quam ad ordinarium rite observandum. Si vero *absentes* fuerimus, de facto, in aliorum praesentia patrato, horum testimonio authentico certi reddimur; quod si negetur, omnis pariter fides historica neganda esset.

2. *Veritatem miraculi philosophicam* satis certe ope reflexionis detegere licet. Ratio enim nostra effectum non potest admittere sine causa sufficienti: quare, si alicuius effectus causam sufficientem in viribus naturalibus, creatis et limitatis non inveniri certo cognoscat, necesse omnino est, ut ad vires supernaturales et illimitatas, i. e. ad omnipotentiam divinam recurrat, et extraordinarium Dei interventum statuat. — Neque ad hoc iudicium ferendum necessaria est perfecta omnium legum naturae, et virium naturalium cognitio, ut Rousseau et alii increduli contendunt. Licet enim non omnes leges naturae perfecte cognoscamus, plures tamen ita cognoscimus, ut certo affirmare valeamus, effectum aliquem istis legibus repugnare. Et si per iudicium affirmativum determinare non possumus quousque vires naturales seu creatae se extendant; possumus tamen per iudicium negativum certo statuere, quid nullo modo perficere queant. Sic e. g. nescimus ad quanta onera ferenda vires hominis sufficere possint: indubitanter tamen asserimus, non posse homines integros montes portare, aut magna aedificia unico verbo transferre etc. Sic iam de philosophica miraculi veritate omnino certi fieri possumus (1).

3. *Veritatem miraculi relativam* cognoscimus, si certo nobis constat, miraculum in confirmationem propositae doctrinae patratum fuisse. Id autem cognoscere possumus tum ex illius, qui miraculum patrat, declaratione, tum ex circumstantiis, in quibus perficitur; — praecipue si plura facta mira ab eo, qui se ceu praeconem doctrinae revelatae sistit.

(1) Cf. Frint, t. II. §. 368-387. Storchenau Phil. de Rel. t. II. p. II. Ep. 2.

perficiantur. — Si enim generatim de intentionibus actionum humanarum ex agentium contestatione, vel ex circumstantiis certum iudicium ferri potest; quare idem fieri non poterit de intentione miraculi patrati, praecipue si ille, per quem miraculum fit, intentionem suam claris verbis pronuntiet, qui sine dubio ob concursum divinum omnem fidem meretur? — Manifesta est ergo etiam subiectiva miraculorum possibilitas, quae tamen variis modis ab incredulis impugnari solet.

Obi. 1. De veritate miraculi historica nunquam certi esse possumus. Facilius enim est, mille testes errare, aut decipere, quam factum legibus naturae repugnans existere: primum moraliter tantum impossibile, et experientiae consonum; secundum vero physice impossibile, et experientiae contrarium est. In omni porro miraculo contra unum testem mille insurgunt; sic e. g. si unus testetur, mortuum resuscitatum fuisse, milleni testes affirmant, mortuos ad vitam haud redire.

Resp. Certum est, miracula obiective possibilia esse, quod a multis quoque incredulis non negatur. Facta ergo sensibilia, legibus naturae repugnantia, extraordinario modo a Deo omnipotente producta vere existere possunt. Neque improbabile est, talia facta existere, quia divina revelatione indigemus, quae per miracula nobis demonstrari debet. Non licet ergo *a priori* omnia de miraculo patrato testimonia reiicere, quia veritati consona esse possunt; sed testes examinare oportet, et si ex critica inquisitione appareat, ipsos veritatem et scire debuisse, et dicere voluisse, ipsa ratio fidem illis praestare iubet. — Porro physica impossibilitas nullo modo pugnat cum certitudine historica facti; tunc enim solum factum incredibile redditur, si valde dubium sit, an vires sufficientes ad factum producendum existant. At, dum de miraculis sermo est, id, quod deest viribus naturalibus, abunde suppletur per omnipotentiam Dei, cui factum adscribitur. — Demum ridiculum est dicere, contra unum miraculi testem mille insurgere: hi enim, qui facto praesentes non fuerunt, possunt quidem cum illo legem ordinariam naturae affirmare, sed non contra illum exceptionem factam negare; alias dicendum foret, testimonia eorum qui totam rem ignorant, valere, et furem absolvendum esse, quem tres in actu deprehenderunt, sed mille non viderunt (1).

Obi. 2. Per iudicium negativum possumus quidem determinare quid causae naturales nobis notae efficere non possint; sed ideo non licet concludere ad extraordinariam causalitatem divinam; existere enim possunt causae, seu vires naturales nobis ignotae, quae sufficiant ad effectum mirum producendum: casu autem contingere potest, ut quis verba consentanea proferat, dum a natura prodigium perficitur.

Resp. a) Vires istae nobis incognitae, quibus ab adversariis miri effectus adscribuntur, vel semper adsunt in natura, vel non. Si semper adsunt, ergo iuxta leges naturae pathologicas agere, et in iisdem circumstantiis eosdem effectus producere deberent, et hac de causa post tot rerum naturalium perscrutationes vix ignotae manere possent, aut certe notis naturae legibus a sapientissimo Creatore constitutis non repugnarent, e. g. legi continuitatis, parsimoniae etc. — Si autem vires hae occultae non semper in natura adsunt, ergo pro certis casibus naturae tribui non possunt nisi ab auctore et domino naturae, qui solus

(1) Frint, t. II. §. 400-405.

creandi potestate pollet, et tunc miraculi ratio iam habetur. b) Cum ratio vix sibi persuadere possit, uno vel altero casu cum effectu miro et extraordinario verba hominis consentanea fortuito coniungi; omni iure ut certum statuere potest, id ordinarie fieri non posse ita, ut quotiescunque a quodam verba analoga proferantur, toties effectus insolitus et mirus sequatur. Neque reponi potest, magnum naturae scrutatorem effectus istos praevidere posse; ipsi enim adversarii fatentur, tantam omnium legum viriumque naturalium cognitionem nobis possibilem non esse, quod probant inanes hominum conatus, varias tempestates certo praedicendi. Talis praevisio tunc minime admitti potest, si constet, loquentem vel non magna rerum naturalium cognitione pollere, vel rerum circumstantias nullo modo inquirere potuisse: de tali dicere, ipsum insolitos prorsus effectus praevidisse, idem est ac miracula omnipotentiae in miracula omniscientiae permutare (1).

Obi. 3. Si in effectu aliquo naturae vires superantur, exinde tamen immediata causalitas divina non semper probari potest. Sola enim ratione duce cognoscimus, possibiles, imo probabiles esse substantias homine excellentiores, i. e. spiritus, qui maiori virtute polleant, et effectus producant, quos natura producere non valet. Spiritus autem isti finiti et liberi falli et fallere, ac propterea per facta sua mira homines in errorem inducere possunt. Quia ergo discernere nequimus, utrum effectus supernaturalis a Deo, vel a spiritu errori obnoxio, productus sit, ideo miracula nunquam Revelationem divinam certo nobis probare possunt.

Resp. Non levem hanc difficultatem Theologi plerique sequenti dilemmate solvunt: Spiritus hominibus superiores vel boni sunt, vel mali, prout vel Deo subditi, et cum voluntate eius concordes, vel ipsius adversarii sunt. — Si *boni* sunt, nec pro suo erga veritatem et homines studio, nec ex commissione Dei impostorem adiuvant, et falsam doctrinam miris factis confirmant. Si vero *mali* sint, praeconi veritatis, et divinae doctrinae suas haud largiuntur vires, ne sibi ipsis noceant; impostorem vero, seu ementitae revelationis praeconem - ad inevitabilem hominum seductionem adiuvare a Deo prohibentur (2). — Quod autem Deus malignis spiritibus tantam potestatem non permittat, ut pro libitu naturae leges invertere, impostores adiuvare, et homines quasi in errorem necessarium perducere queant, vario modo a variis Theologis et Philosophis probatur:

1. *ex absurdis*, quae ex contraria doctrina sequerentur. — Si enim tanta potestas daemonibus concederetur, ut pro libitu naturae ordinem invertere, et hominibus illudere possent, tunc omnia facta physica incerta, et ideo etiam plurima officia hominis erga homines dubia redderentur, quia ubique illusiones timendae forent. — Cum autem dentur officia certa, et Deus ipse nobis principia universalia et regulas generales dictet, quas in certis casibus applicare iubet; profecto ordinem Universi non ita constituit, ut in applicatione principiorum et regularum generalium semper dubii et errori obnoxii haereamus (3).

2. *ex necessitate Revelationis.* Revelatio enim necessaria est, non solum formalis, sed et materialis: haec autem non potest ceu vere divina probari, nisi per facta divina, i. e. per

(1) Frint. t. II. § 387-390

(2) Cf. Dobmayr, t. II. § 150. pag. 599.
(3) Herch. Oberrauch. Th. et Am. t. 3. c. 4

miracula; postulat ergo ratio, ut miracula etiam subiective possibilia sint, quia sine hac possibilitate humanum genus finem suum obtinere non posset. — Nunquam ergo tanta malignis spiritibus potestas et libertas in miris patrandis concedi potest, ut Deus ipse de revelatione sua homines certos reddere nequiret (1). — Huic autem argumentationi duo opponi possunt; nam a) Revelatio nobis, non Deo necessaria est, qui hanc hominibus omnino denegare potest, atque ideo potestate illam per miracula probandi non indiget; b) miracula nequeunt statui ceu medium unicum divinam revelationem probandi; aliis quoque modis id fieri potest e. g. per vaticinia etc.

3. *ex notione divinae providentiae*, quae totum universum sapientissime et clementissime gubernat, ordinemque in omnibus admirabilem conservat, fluit, Deum nullatenus permittere, fines optimos a se statutos, et ordinem pulcherrimum a malis spiritibus pro libitu perturbari. Quemadmodum enim a principis sapientia alienum foret, ut subdito cuicunque - in quacunque dignitate constituto facultas esset leges ordinemque civitatis invertendi et immutandi; ita multo magis divinam sapientiam, divinumque dominium dedecere intelligitur, ut geniis, seu spiritibus separatis potestas sit pro arbitrio universalem naturae ordinem invertendi, hominesque seducendi (2).

4. *ex idea bonitatis et misericordiae divinae*, quae hominibus in necessariis non deest, ipsorumque felicitatem vult, facile eruitur, Deum permittere non posse, ut homines a malignis spiritibus per prodigia fallacia quasi in necessarium errorem et inevitabilem interitum perducantur (3). Sed animadvertendum est, non posse *a priori* ostendi quid Deus, ceu ens primum, absolutum et independens, faciat aut facere debeat, sed *a posteriori* haec benignissima Dei voluntas probanda venit - et quidem

5. *ex fine hominis*. Deus enim vere vult, ut homo libere ad veritatem, moralitatem et felicitatem tendat, et sic omnes facultates suas ad auctorem suum referat (§. 41 et §. 44). Quidquid autem Deus vult, efficaciter vult, et in simplicissima voluntate sua sibi non contradicit. Si ergo Deus vult praedictum finem, non potest simul velle id, quod hunc finem absolute impediret, et moralem hominis libertatem tolleret; sed Deus, qui ad finem suppeditat media, absque dubio tali facultate hominem instruit, ut sicut in via naturali et ordinaria dicta rationalia a non rationalibus, ita etiam in via supernaturali et extraordinaria dogmata et mandata Dei ab illis malorum spirituum distinguere possit. — Quamvis ergo facultas mira patrandi malis spiritibus seu daemonibus non denegetur, pleno tamen iure asseritur, talibus characteribus miracula daemoniaca insignita esse, ut a divinis facile secernantur. Isti characteres desumendi sunt ex *persona* vel sancta, vel prava, ex *fine* bono, vel malo, ex *modo agendi* Deo digno, aut indigno, ex *doctrina* proposita veritati, et moralitati congrua, vel dissona, ex *circumstantiis* honestis, aut inhonestis, ex *effectibus* salutaribus, sive pestiferis etc. etc. Ex ipsa etiam historia ostendi potest, miracula, quae narrantur daemoniaca eius semper naturae fuisse, ut a divinis facile secerni potuerint (4).

(1) Cf. Frint, tom. II. §. 586.
(2) Io. B. Albertini Dissert. de mirac.
(3) Nonnotte Lexic. philos. V. Miraculum t. II.
(4) Cf. Storchenau Phil. d. Rel. 5. B. 2. Ubth. 6. Brief. Perrone t. I. p. I. c. III. n. 151 etc. n. 160 etc.

Obi. 4. In tradita miraculorum theoria falsa argumentatio, seu circulus vitiosus committitur. Nam veritas miraculi divini ex sanctitate doctrinae, et sanctitas, seu divinitas doctrinae ex veritate miraculi probanda statuitur.

Resp. a) Difficultas haec statim evanescit, si attendatur distinctio characterum negativorum, et positivorum. Ex defectu enim characteris negativi interni i. e. sanctitatis doctrinae iure quidem concludimus, miraculum aut historice, aut philosophice verum non esse, quia Deus falsam doctrinam non approbat: non autem vicissim ex praesentia notae negativae, seu ex sanctitate doctrinae statim concludimus ad veritatem miraculi divini, sed hanc ex testimonio sensuum, aut ex monumentis authenticis, et ex reflexione rationis haurimus. b) Omni iure autem ex veritate miraculi concludimus ad sanctitatem et divinitatem doctrinae. Nam doctrina, quam Deus ipse, qui ut aeterna veritas falli et fallere nequit, per miraculum confirmat, certissime vera, sancta, divina, et ideo ab omnibus tenenda est. Inest ergo miraculis vis probandi divinitatem religionis omnium consensu maxima: ideo Graeci et Barbari, culti, aeque ac inculti populi, ut suas Religiones firmarent, in miraculis praesidium quaerebant semper. Quin et incredulorum antesignani miraculum, si de eius veritate constare possit, manifestam esse divinae revelationis demonstrationem aliquando confessi sunt: e. g. Spinoza, Rousseau, Hobbes etc.

ARTICULUS II.

De Vaticiniis, seu Prophetiis.

§. 67.

Prophetia est clara, determinata, et firma eventuum futurorum et contingentium, qui a spiritu finito praevideri haud possunt, praedictio, quae successu rata habetur. *Materiam*, seu *argumentum* prophetiae constituunt eventus futuri, et contingentes, qui ab arbitrio vel Dei, vel hominis pendeant, et nec in se, nec in sua causa a spiritu finito cognosci possint. *Forma*, seu modus praedictionis debet esse *clarus*, quantum natura prophetiae patitur, et scopus exigit, non obscurus; *determinatus*, seu per partes et circumstantias procedens, non vagus et generalis; denique *firmus*, non ambiguus, vel coniecturis permixtus. *Auctor* prophetiae est ipse Deus, qui solus libere, et contingenter futura omnia praevidet. *Eventus* praedictioni per omnes partes ad amussim corresponde-re debet.

§. 68.

Prophetiae sunt possibiles

Possibilitas duplex - sicut miraculorum, ita etiam prophetiarum distingui debet, nimirum *obiectiva*, quae asserit, Deum nobis res libere, et contingenter futuras praedicere posse, et *subiectiva*, quae nos de facta prophetia historice, philosophice, et relative certos fieri posse, affirmat: utraque iam probanda venit.

§. 69.

A. De obiectiva prophetiarum possibilitate.

Prophetiae obiective, seu in se consideratae, profecto possibiles dicendae sunt,

1. *logice*, quia earundem conceptus sanae rationi, quomodocunque culta sit, non repugnat, quod ipsi Philosophi diffiteri nequeunt: sed et

2. *physice* Prophetiae in sensu praefato possibiles sunt, quia ex una parte *Deus* omniscius est: cum enim ipse tempori non sit subiectus, ideo coram illo neque praeteritum, neque futurum datur, sed ipsi omnia praesentia sunt, quare ipse res fu-

turas eodem modo ut praesentes et praeteritas intuetur, et pro sua omnipotentia nobis manifestare potest: ex altera parte *homo*, facultate cognoscendi praeditus, has notitias percipere potest; cum enim aliquam iam futurorum notitiam naturali vi teneat, aliam ex revelatione divina acquirere valet.

3. *moraliter* prophetias possibiles esse, sole clarius apparet. Prophetiae enim non solum nullatenus impediunt fines Dei, hominis, religionis, et revelationis, sed hos mire promovent: sunt etenim *dignissimae Deo*, qui per illas perfectiones suas, maxime omniscientiam, cunctis spiritibus creatis sublimiorem, manifestat, et falsa oracula confundit; sunt *maxime consentaneae homini*, qui naturali stimulo in notitiam futurorum fertur; sunt *perquam utiles Religioni*, quia per vaticinia homines excitantur ad Deum colendum, ad mysteria credenda, ad minas timendas, ad praemia speranda etc. sunt demum *valde accommodatae Revelationi*, quae per prophetias ut vera probatur, et sigillum divinitatis accipit.

Nota. Contra obiectivam prophetiarum possibilitatem sequentia potissimum dubia moveri solent.

Obi. 1. Quod nondum est, nihil est; atqui obiectum prophetiae nondum est, ergo nihil est; at quod nihil est, nec praevideri, nec praedici potest; ergo impossibilis est prophetia. Ita *Voltairius*.

Resp. Non vidit impius cavillator, hoc sophismate etiam evinci, non posse cognosci praeterita, quia non amplius sunt. Praeterea nonne Astrologi quoque eclypses solis et lunae praedicunt, quae nondum sunt? — Verum equidem est, ea, quae futura praedicuntur, nondum esse quoad nos, sed Deo iam sunt praesentia, quia ipse tempori non est subiectus. Deus enim certe mutari nequit, et ideo nunquam res novas more hominum addiscit; sed omnia ab aeterno ut praesentia videt. — Licet autem mens humana aeternam hanc, et simultaneam mentis infinitae scientiam comprehendere non possit, maxima tamen et stultitia et impietas foret, — propter ignorantiam modi veritatem certissimam negare.

Obi. 2. Quaevis praedictio divinitus patefacta, qua fatum inevitabile hominis, aut populi cuiusdam, quod ab opere quodam ab ipsis perpetrando pendeat, disserte annuntiatur, ideae Dei sanctissimi et benignissimi repugnat, fatalismum fovet, et libertatem hominum moralem tollit. Ita *Wegscheider*.

Resp. a) Per vaticinia divina, licet non possint non adimpleri, tamen nec fatalismus fovetur, nec libertas moralis tollitur. Non enim eveniet, quia praevisa, et praedicta, sed ideo praevisa, et praedicta est res aliqua, quia futura; ideoque si aliqua necessitas est in eiusmodi praedictionibus, non est nisi consequens, et hypothetica; logice enim prius est aliquid esse, quam videri, proinde manifestari (1). b) Si valeret proposita obiectio, non solum vaticinia non admittere, sed et ipsam Dei praescientiam negare oporteret; libertati enim non magis praedictio, quam praevisio opponitur divina, quae falli non potest. Ast-praescientiam Dei non tollere libertatem humanam, tum Philosophi, tum Theologi satis superque ostenderunt. Satis solide S. Thomas Aq. dicit, actiones liberе et contingenter fieri, quia a Deo ceu liberae et contingentes praevidentur. Sicut ergo praevisio, sic nec praedictio divina libertatem tollit, vel fatalismum fovet.

(1) Perrone l. c. n. 203.

§. 70.

B. De subiectiva prophetiarum possibilitate.

Ut ex prophetia pro divinitate alicuius doctrinae, seu pro existentia divinae Revelationis argumentum certum educatur, necesse est, ut cognoscamus, prophetiam ante eventum prolatam fuisse, nullo ingenio humano, seu finito - sine Dei concursu eventum praevideri potuisse, eventum cum omnibus suis circumstantiis prophetiae exacte respondisse, et prophetiam cum doctrina proposita talem relationem habere, ut in illius confirmationem prolata fuerit; seu brevius: ad probandam revelationem divinam certi esse debemus de veritate prophetiarum *historica*, *philosophica*, et *relativa*. Sed hanc triplicem prophetiarum veritatem cognoscere certo et tuto possumus, atque ideo admittenda est subiectiva earundem possibilitas.

1. *Veritas historica* tum de prophetia debito tempore prolata, tum de eventu secuto, certa fieri potest *praesentibus*, per propriam experientiam, si ex ore prophetae praedictionem audiant, et eventum propriis oculis videant, uti Apostolis circa Christi Resurrectionem contigit; *posteris* vero ex authentico testimonio de facta iusto tempore praedictione, et de eventu accurate secuto, quod respectu nostri de eadem Resurrectione Christi valet

2. *Veritas philosophica* iudicio potissimum negativo innititur. Quamvis enim non possimus per iudicium positivum determinare, quousque se vires humanae circa coniecturas de futuris extendant; possumus tamen per iudicium negativum certo determinare, quousque se extendere nullo modo valeant, ita ut necessario ad causalitatem divinam concludendum sit; quae res, ut clarius pateat, quatuor classes futurorum eventuum distinguere iuvat. *Prima classis* continet eventus naturales, qui a causa naturali, pathologico modo agente, procedunt: circa hos mens humana, legum physicarum non ignara, multa et praevidere et praedicere potest. Quoniam autem non omnes leges, viresque naturae intime perspicit, ideo illos eventus naturales praedicere nequit, ad quos praevidendos omnium legum naturalium, viriumque agentium complexus cognosci deberet: sic pariter ratio humana praedicere non potest eventus, qui a causis pluribus, iisque contingentibus, nobisque ignotis, oriuntur, praesertim si longius adhuc distent: sic e. g. diutina experientia teste nemo potest certo praedicere tempestates futurorum annorum etc. *Secunda classis* concernit eventus a causa libera et contingenti provenientes, uti sunt actiones humanae. Circa istas ratio humana ex cognita hominis indole, educatione, passionibus etc. nonnulla quidem praevidere potest: attamen nihil plena certitudine praedicere valet, et si unam, vel alteram actionem praevidere queat, certo tamen totam alicuius vitam praedicere nequit, quia omnes circumstantias, in quibus homo versaturus est, non praenoscit; denique si deficiant principia, uti e. g. si homo nondum existat, et ideo eius indoles, educatio et passiones non cognoscantur, nihil de ipso a mente humana praenosci et praedici potest. — Idem dicendum est de spiritibus homine praestantioribus, sed finitis. Isti, licet maiori perspicacia gaudeant in rebus perspiciendis, et diiudicandis, nullatenus tamen actiones hominis liberas - praesertim si nondum existat, — praevidere, et praedicere possunt. Nam ille solus, cui omnia — tam futura, quam praeterita — sunt praesentia, libere, et contingenter futura praedicere pot-

est: omnes autem spiritus finiti sunt tempori subiecti, atque ideo quae nobis futura sunt, etiam pro ipsis nondum existunt, et ideo, quantacunque sit eorum perspicacia, ab ipsis praevideri, et praenuntiari haud possunt. Neque spiritibus istis tale dominium in liberum hominis arbitrium attribui potest, ut pro libitu hominem ad agendum determinare, et sic praedictiones suas verificare valeant: id enim fini, a Deo homini praestituto, e diametro opponitur, et sensui intimo contradicit, qui nobis testis est, nos semper liberos esse. Quod si dicatur ipsos intuitiva Dei visione gaudere, et in Deo futura cuncta cognoscere, tunc certe infinitam, et pulcherrimam Veritatem, quam cognoscunt, etiam amant, boni sunt, atque nos decipere neque possunt, neque volunt, sed si quid praedicant, ceu instrumenta Dei consideranda sunt: mali autem Spiritus, sicut Dei visione non gaudent, sic et in Deo futura cognoscere nequeunt. Denique quo minus Dei singularis actio statuatar, qua Spiritibus cognitionem futurorum tribuat, et nos ab illis in necessarium errorem perduci permittat, obstant ea, quae superius (§. 66 ad obiectionem 3) dicta fuere. *Tertia classis* complectitur fata populorum et regnorum, ex quorum cognita indole, et agendi ratione possunt quidem hincinde homines sagaces pacem, aut bella, prosperitatem, aut infortunia coniecturare, sed tamen huiusmodi eventus praecise quoad tempus, et circumstantias eo minus ab hominibus praevideri, et praedici possunt, quo plures, magisque heterogeneae causae ad illos producendos concurrere solent. *Quartam* denique *classem* constituunt eventus, qui a sola Dei voluntate dependent, et per extraordinariam eiusdem causalitatem producuntur, uti sunt missio Prophetae, adventus Messiae, miracula etc. Tales eventus mens humana sine speciali revelatione divina nullo modo praevidere, et praedicere potest, quia iudicia Dei comprehendere, et vias eius investigare non valet (1).

3. *Veritas relativa* seu nexus prophetiae cum doctrina promulgata vario modo apparere potest. Vel enim doctrinae praeco ipse prophetias profert, et has in testimonium adducit, ut ostendat se legatum divinum; — vel doctrinae praeco prophetias iam longe antea prolatas, in quibus legatus divinus praenuntiatur, eiusque notae, et characteres describuntur, ad amussim adimplet. In utroque casu dubium superesse nequit, Deum per prophetias velle Revelationem suam hominibus ostendere, et confirmare (2).

Nota. Maxima certe vis inest veri nominis prophetiis ad veritatem divinae revelationis probandam. Ideo in Isaia facultas futura praedicendi pro nota divinitatis assignatur (3): *Annuntiate quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos.* — Sed et ethnici Philosophi futurorum cognitionem soli Deo attribuerunt. Iuxta orphica carmina «mortales malum venturum noscere non sunt periti.» Eodem modo Hesiodus, Pindarus, Anacreon, Sophocles, Horatius, et alii expressis profitentur verbis, libere, et contingenter futurorum praevisionem soli Deo competere (4). - Ipse quoque Rousseau (5) fatetur, prophetias vim probandi habere; ast in hoc errat, dum praefracte exigit, ut ipse praesens sit tum prophetiae prolatae, tum eventui secuto, quasi fides historica nulla valeret. Et in hoc plerique increduli

(1) Rom. 11, 33 etc.
(2) Cf Frint, t. II. §. 450 etc.
(3) Is. c. 41, v. 23
(4) Cf. Dan. Huet. Dem. ev. Praef. Ax. 4.
(5) In suo Aemilio.

cum ipso consentiunt, qui plerumque veritatem prophetiarum historicam impugnant, non vero negant, praedictionem libere et contingenter futurorum a Deo solo repetendam esse. — Spinoza equidem prophetias a fortiori et vivaciori phantasia, seu imaginandi vi repetendas esse, asserere non erubuit, prophetias cum figmentis Poëtarum turpiter confundens. — Verum si homines ne sagacissimi quidem per qualemcunque excultae rationis conatum res libere et contingenter futuras praevidere et praedicere possunt, quomodo has per phantasiam cognoscere poterunt, quae quo vivacior est, eo magis a veritate abducere solet? — risum ergo potius, quam seriam confutationem tam inepta obiectio, a natura et ratione humana omnino abhorrens, meretur. — Neque maiorem difficultatem facessunt ea, quae de divinationibus, et oraculis Ethnicorum circumferuntur. Constat enim, ab illis veri nominis prophetias prolatas non fuisse, cum, teste *Tullio* (1), eorumdem dicta et responsa fuerint partim falsa, partim casu vera, ut fit in omni oratione saepissime, partim flexiloqua, et obscura, ut interpres egeat interprete, partim ambigua, ut pro quolibet eventu quadrare potuerint. — Ethnicos eruditiores, et sagaciores ista oracula passim sprevisse, ac ludibrio habuisse, testantur *Origenes* (2) et *Eusebius* (3). Ideo nonnulli putant, omnia prorsus gentilitatis oracula sacerdotum fraudibus adscribenda esse (4). Ast divinorum vaticiniorum auctoritas etiam non minuitur, si dicatur, quod plures ex SS. Patribus asseruerunt, ex idolorum simulacris locutos esse daemones, qui, maioribus viribus pollentes, nonnulla hominibus adhuc ignota pandere, sagacioresque coniecturas perficere potuerunt. Ipsos autem omnino libere, et contingenter futuros eventus cum suis circumstantiis praedixisse, ne unum quidem exemplum prostat: quamobrem semper verum manet, Deum solum libere, et contingenter futura praedicere, seu veri nominis prophetias edere posse. — Plures difficultates, contra prophetiarum auctoritatem moveri solitas, proponunt et solvunt *Beda Mayr* (5), *Perrone* (6).

(1) De divin. l. 2, c. 56.
(2) Cont. Celsum l. 8.
(3) Praep. evang. l. 2, c. 4.

(4) Beda Mayr, Vertheidigung, der chr. Rel B. 2, §. 69-76.
(5) L. c. B. 2, §. 65.
(6) T. I, p. II, c. III, n. 208-240.

§. 71.

Conclusio capitis.

1. Characteres Revelationis, in hac rationali theoria expositi, tales sunt, ut sufficiant ad veram divinam Revelationem a falsa secernendam. Sunt enim *perspicui*, ita ut etiam ab indoctis ad Religionis revelatae examen applicari queant. Nam quicunque sana ratione recte uti velit, facile diiudicare potest, utrum doctrina, quae proponitur, aperte contradictoria, absona, et repugnantia contineat, utrum Deo digna, hominibusque accommodata sit. Et cum homines ad externa ferantur, et in istis observandis, ac diiudicandis passim occupentur, haud difficile ipsis est, Revelationis formam inquirere: praesertim miracula, et vaticinia, cum circa facta externa, sensibilia, et insolita versentur, talia sunt, ut, quo maiorem attentionem, et admirationem excitare soleant, eo facilius a praesentibus per sanos sensus, et ab aliis per testimonia fide digna cognoscantur.

2. Characteres interni et externi adducti sunt etiam *certissima* divinae revelationis argumenta. Deus e-

nim in miraculis et vaticiniis, ut probatum est, immediatum suum influxum, et extraordinariam suam operationem ostendit: Deus autem nec per se, nec per alios in necessarium errorem inducere potest homines, quos vult ad veritatem, moralitatem, et felicitatem tendere: Si ergo Deus in confirmationem doctrinae, undequaque purae, et sanctae vel per se, vel per huius praeconem miracula patrat, et vaticinia edit, tunc pro illius veritate habentur Dei testimonia, et divinae revelationis *completa* criteria, iisque parere nolle, tantundem foret, ac ipsimet rationi sanae insultare, regulasque recte cogitandi conculcare velle.

3. Characteres interni et externi, miracula praesertim, et prophetiae, si simul, ut oportet, sumantur, sunt certissima argumenta religionis a Deo vere revelatae non tantum respectu eorum, quorum tempore, et coram quibus apparuerunt, sed etiam *respectu posterorum*, qui ea, ut alia facta, ex monumentis authenticis sciunt, et cognoscunt. Veritas enim absoluta, constans, et invariabilis est, et si in falsitatem aliquando abire posset, iam quid verum, quid falsum sit, non amplius scire possemus, quod absurdum est. Vis probandi, datam esse vere religionem revelatam, quae characteribus internis, et externis inest, non aliunde est, quam quod sint testimonia Dei; — sed testimonia Dei semper et omni tempore vera, et eadem sunt, ergo, ut pro omni tempore habeant vim probandi, est necesse (1).

4. Sicut Deus omnia opera sua sapientissime non solum creat, sed et gubernat, sic absque dubio Revelationem quoque, quam hominibus omnium temporum, et locorum concedere dignatur, sapientissime conservare, propagare, et ad finem suum gubernare non desinit. Ideo in ipsa doctrinae revelatae conservatione et propagatione, atque in miris doctrinae ab hominibus acceptae, et in praxin redactae effectibus singularis Dei influxus conspicuus fieri potest, et exinde nova pro divinitate doctrinae, seu pro veritate factae divinitus revelationis argumenta eruuntur.

(1) Feier, l. c. §. 51.

THEOLOGIAE GENERALIS

PARS II.

DEMONSTRATIO RELIGIONIS CHRISTIANAE

§. 72.

1. Proposita iam tum Religionis, tum Revelationis theoria rationali, cognitaque utriusque necessitate, nihil nobis magis cordi esse debet, nisi ut investigemus, num Revelatio divina existat, qua praelucente, ad nobilissimum et felicissimum nostrum finem pervenire valeamus. Verum hac de re longa et operosa inquisitione opus non est. Notissima enim res est, atque omnibus ante oculos posita, existere Religionem, quae a Iesu Christo nomen habet, eamque non in exiguo terrae angulo contineri, sed per orbem universum diffusam integras nationes, et

vastissima regna occupare. Manifestum quoque est, Religionem hanc non esse novum quoddam et recens inventum humanarum opinionum, quae continuo mutantur, sed eandem non minus temporum quam regionum spatia implere, et ita implere, ut nullis saeculorum aetatibus, nulla rerum humanarum conversione fuerit immutata. Porro ad nostra usque tempora non plebis tantum, quae ad superstitionem proclivis est, animos tenuit, nec tantum inter barbaras, incultasque gentes fuit propagata, sed summa ingenia sibi subdidit, homines omnium ordinum praestantissimos, gentesque omni liberali doctrina expolitas. Scimus praeterea, eandem hanc doctrinam ab ortu suo divinam sibi attribuisse originem, et quidquid priora tempora divinum habebant, sibi vindicasse; omnes autem, qui usque terrarum eius se imperio subiecerunt, eam ut doctrinam e coelo in terras delatam suscepisse, cui nemo sine magno piaculo fidem, et obsequium detrectare possit.

2. Quamvis Religio christiana a divino suo Auctore tam conspicuis insignita sit notis, et tam solidis confirmata argumentis, ut merito dici possit (1) *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis;* non paucos tamen ipsa adversarios nacta est. Primum *Iudaei*, deinde *Ethnici*, ac demum *Muhammedani* Religionem christianam e terris eliminare conati sunt. Nec defuit aerae christianae saeculum, quo eadem salutaris Religio diris non fuerit persecutionibus agitata. Et quod maxime dolendum est praesertim a saeculo decimo septimo usque ad nostra tempora non pauci, qui in Ecclesia Christi concepti, et enutriti fuerant, aut saltem Christianorum nomen aliquando gesserant, infensi contra ipsam insurrexerunt, non solum unum vel alterum doctrinae revelatae caput corrumpentes, sed ipsa Religionis christianae fundamenta evertere, eique *naturalismum*, *materialismum*, *scepticismum*, *rationalismum*, *atheismum*, aut *pantheismum* substituere satagentes. Multi quippe cum *Tindalio* Religionem naturalem sufficientem, revelatam vero haud admittendam esse declararunt. Alii cum *Tolando*, *Woolstonio*, *Rousseau* etc. omnem lapidem moverunt, ut argumenta labefactarent, quibus veritas Religionis christianae probatur. Alii cum *Humio* et *Baelio* illa saltem dubia reddere studuerunt. Alii cum *Voltaire* et *Diderot* acerbis facetiis et convitiis Religionem revelatam, religionisque ministros aggressi sunt. Alii cum *Kant* et *Fichte* rationem in thronum elevantes eiusque iudicio omnia, quae ad Religionem spectant, subiicientes, non solum supernaturalem Revelationem superfluam, atque autonomiae rationis contrariam declararunt, sed etiam talia principia statuerunt, et speculativa systemata compilarunt, quae sicut verae et sanae philosophiae, ita et Religioni christianae adversantur. Multi denique cum *Spinoza* et *Hegel* pantheismum praedicarunt, et cum omnia Deum esse dicerent, Deum verum et personalem negantes Religionem omnem sustulerunt. Recte idcirco divina Christi Religio lamentari potest: *Conculcaverunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes adversum me* (2).

3. Dolendum profecto est, non paucos inveniri, qui solida Religionis notitia destituti, hominum Revelationi christianae adversantium impudentia et inani loquacitate turbantur, et vel in fide vacillant, vel in funestissimum incredulitatis barathrum prolabuntur. Necesse proinde est, ut et nos in Revelationis causa

(1) Psal. 92, 7.

(2) Psal. 55, 2.

defendenda omnem diligentiam adhibeamus, nec quidquam eorum omittamus, quae nostro imprimis aevo in tam gravi materia Theologo scitu necessaria sunt. Non ii sumus nos, ut falso calumniantur Deistae, qui velint homines a Religionis inquisitione absterrere, cum e contra omnino persuasum habeamus, plurimos ex incredulis blasphemare quae ignorant, et ideo tantum a Religione christiana esse alienos, quia doctrinas eiusdem haud recte intelligunt, et firmissima nunquam argumenta perpenderunt, quibus divinitas illius probatur. Ista itaque argumenta in Theologia generali seu fundamentali clare et solide proponere, et contra adversariorum obiectiones defendere oportet.

4. Dum inquiritur, num Deus hominibus veritates ad Religionem pertinentes extraordinario modo revelaverit, quaestio de facto historico movetur. Facta autem historica non ex solis rationis principiis, sed ex monumentis authenticis probare oportet. In inquisitione ergo de existentia Revelationis praeprimis *functione critica* ipsa monumenta diiudicanda sunt, in quibus doctrinae revelatae, et quae ad ipsas spectant, continentur, ut appareat, illa genuina, integra et fide digna esse: deinde *functione hermeneutica* ita saltem doctrinas in illis contentas, et facta ibi narrata considerare decet, ut materia et forma Revelationis innotescat, seu characteres interni et externi cognoscantur, atque sic demum ex his ipsis characteribus *functione philosophica* diiudicetur, an Religio divinitus revelata sit, nec ne. Ordinem istum observantes *primo auctoritatem monumentorum Revelationem contestantium, et secundo existentiam divinae Revelationis* probabimus.

SECTIO I.

DE AUCTORITATE LIBRORUM FACTAM DIVINAM REVELATIONEM CONTESTANTIUM

§. 73.

Libri, qui factam divinam Revelationem contestantur, sunt illi, quos *Sacram Scripturam*, seu per antonomasiam *Biblia* nuncupamus. Librorum istorum quidam ante Christum exarati fuerunt, alii post Christum in lucem prodierunt. Hinc S. Scriptura dividitur in libros veteris et in libros novi Testamenti. Libros istos inspirante, imo et dictante Spiritu Sancto conscriptos esse, omnes Catholici credunt, atque inferius solide probabitur. Cum autem hic versemur in Revelatione inquirenda, eiusque existentia contra incredulos propugnanda, necesse est, ut primum sacros libros ut monumenta historica consideremus, ex quibus facta nobis a Deo revelatio liquido demonstratur. Ast facta historica tunc tantum ex libro ut certo vera probantur, dum constat, librum esse *genuinum*, id est, vere ab illo auctore exaratum, cui nunc adscribitur; esse porro *integrum*, cui nil demtum, vel saltem nil, quod substantiam attinet, additum sit; esse denique *conscriptum ab auctore fide digno*, qui nimirum veritatem, quam contestatur, certo cognovit, atque sincere enarrare voluit. Haec tria ergo probanda sunt 1° *de libris veteris*, et 2° de *libris novi Testamenti:* et probata sic eorundem auctoritate tuto ex illis pro certitudine factorum, quae enarrant, argumenta petuntur; ratio enim ipsa iubet, talium monumentorum testimonio credere, quoniam alias omnis fides historica e medio tolleretur.

CAPUT I.

DE AUCTORITATE LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI

§. 74.

Libri veteris Testamenti dividi solent in *legales*, *historicos*, *sapientiales* et *propheticos*. Haec divisio a praecipua materia, quam pertractant, et a principali fine, ad quem tendunt, desumpta est; quamvis negari non possit, fere in omnibus libris leges divinas proponi, facta enarrari, veritates religiosas pertractari, immo etiam vaticinia quaedam proferri. Haec ergo divisio non in rigore logicae accipienda, sed ut commoda librorum in classes distributio consideranda, atque breviter explananda est.

1. *Libri legales* sunt quinque, nempe *Genesis*, qui mundi ortum, variosque eventus ad obitum usque Ioseph refert; *Exodus*, qui continet duram populi israëlitici servitutem in Aegypto, admirabilem eius liberationem, Decalogi promulgationem, et res gestas a morte Ioseph usque ad erectionem tabernaculi; *Leviticus*, in quo describuntur sacrificia, caeremoniae, et alii ritus, qui pertinent ad ministerium Levitarum; *Numerorum liber*, sic dictus, quia in eo fit enumeratio multitudinis filiorum Israël per tribus et familias, continetque res gestas ab exitu ex Aegypto ad annos usque triginta novem; *Deuteronomium*, quod significat repetitionem legis, et sic appellatur, quia in eo repetitur lex, iam antea in Exodo, Levitico et Numeris inculcata. Isti quinque libri *Pentateuchus* dicuntur, et a Moyse, Israëlitarum Legislatore conscripti sunt.

2. *Libri historici* partim totius populi israëlitici, partim singularium quarumdam personarum historiam referunt. Prioris generis sequentes duodecim numerantur: *Liber Iosue* continet res gestas populi israëlitici a morte Moysis usque ad mortem ipsius Iosue, quem per 17 annos populum rexisse, communis fert opinio. Liber *Iudicum* refert statum reipublicae Israëlitarum sub Iudicibus a morte Iosue usque ad mortem Samsonis; et ideo complectitur 317 annorum historiam. Liber *I Regum* describit res gestas sub iudicibus Heli, et Samuele; nec non sub Rege Saule: Liber *II Regum* narrat res gestas a morte Saulis usque ad finem regni Davidis: Liber *III Regum* continet historiam regni Salomonis, narrat scissionem posterorum Iacobi sub Roboamo in duo regna, et describit res gestas quatuor Regum Iuda et octo Regum Israël. Liber *IV Regum* continet historiam 16 Regum Iuda, et 12 Regum Israël usque ad extinctionem utriusque regni sub Sedecia. Liber *I Paralipomenon* recenset propagationem gentis israëliticae ab Adamo usque ad reditum a captivitate babylonica; deinde, repetita a Davide historia, eius regnum accuratius describit usque ad Salomonis unctionem. Liber *II Paralipomenon* refert historiam a Salomone usque ad tempus, quo Cyrus Iudaeis Hierosolymam redeundi potestatem fecit. Liber *I Esdrae* ea recenset, quae Iudaeis acciderunt post reditum e captivitate Babylonica sub Cyro, Persarum Rege: Liber *II Esdrae*, sic dictus, quod ex consilio Esdrae scriptus fuerit a Nehemia, a quo vocatur etiam *liber Nehemiae*, describit urbis Hierosolymae instaurationem, et labentis cultus divini renovationem. Liber *I Machabaeorum* statum exhibet iudaicae gentis sub Graecorum monarchia; ita inscribitur a Machabaeis, viris illustribus, quorum fortia gesta commemorat: Liber *II Machabaeorum* martyrium refert Eleazari, et septem filiorum Machabaeorum cum matre; ac brevem con-

tinet historiam rerum Iudaicarum a fine Seleuci, Antiochi M. filii, usque ad regnum Antiochi Eupatoris. — Posterioris generis sunt quinque: Liber *Ruth* texit historiam huius mulieris Moabitidis, quae nupsit Booz, cui peperit Obed, Davidis avum. Liber *Tobiae* eximii huius viri pietatem et fata describit, atque miram Dei in suos providentiam ostendit. Liber *Iudith* exhibet mirabilem urbis Bethuliae liberationem per celebrem hanc mulierem, quae Holofernem belliducem trucidavit. Liber *Esther* refert matrimonium Assueri cum hac virgine iudaea, quae populum suum ab Amani persecutione, suadente Mardochaeo, liberavit. Liber *Iob* in viro isto sanctissimo eximium patientiae exemplum exhibet, docetque, Deum in hac vita etiam pios et iustos non raro malis et calamitatibus affligere. Circa hunc librum notandum est, quod verba tum Dei, tum ipsius Iob, Scripturae canonicae auctoritatem habeant; non autem verba ipsius amicorum, qui a Patribus dicuntur gessisse typum haereticorum.

3. *Libri sapientiales* dicuntur, qui ad ingerendam hominibus veram sapientiam, seu ad producendum timorem, et amorem Dei, immediate et principaliter ordinantur; et sunt sex, scilicet: Liber *Psalmorum* 150, in quibus variae preces et laudes Dei continentur, felicitas proborum, et infelicitas impiorum describitur, multaque de futuro Messia, eiusque regno commemorantur; Liber *Proverbiorum*, qui continet praeclara praecepta moralia de piis tum erga Deum, tum erga proximum officiis; *Ecclesiastes*, qui mundi, rerumque mundanarum vanitatem describit; *Canticum Canticorum*, quod totum mysticum est, perfecteque exhibet Christi amorem in Ecclesiam, et vicissim Ecclesiae in Christum; Liber *Sapientiae*, qui de sapientia tum increata, tum creata tractat, vivideque ad amorem sapientiae excitat; *Ecclesiasticus*, qui plenus est sapientissimis vitae regulis, et coelestis sapientiae doctrinis.

4. *Libri prophetici* dicuntur, in quibus futuri eventus praedicuntur. Illis merito adnumeratur iam citatus *liber Psalmorum*, quoniam in his multa et praeclara vaticinia de Christo, eiusque Ecclesia continentur; unde David, praecipuus saltem Psalmorum auctor, Propheta regius vocari solet. Communiter autem sexdecim Prophetae numerantur, inter quos *maiores* vocantur, qui maiora, et *minores*, qui minora volumina conscripserunt. Prophetae maiores sunt quatuor, nempe *Isaias*, qui multa praedixit circa Iudaeos finitimosque populos Assyrios et Babylonios, atque ita distincte de Christo et Ecclesia locutus est « ut (iuxta S. Hieronymi effatum) non tam Propheta quam Evangelista dicendus sit: » *Ieremias*, cuius prophetia versatur in acerbissimis criminum sui temporis reprehensionibus, increpationibus et malorum ingruentium lamentationibus; deinde vero in consolationibus Ecclesiae graviter afflictae; cum vaticiniis Ieremiae coniungi solet *liber Baruch*, qui liberationem Iudaeorum ex captivitate, et adventum Christi in carne praedixit: *Ezechiel*, qui primo repetit, quae Ieremias de excidio urbis et templi, nec non de captivitate Babylonica praedixerat, ut refelleret mendacia pseudoprophetarum, qui Ieremiam falsitatis arguebant; ac deinde praedixit populi ex captivitate reditum, Messiae regnum, vocationem Gentium, Ecclesiae Christi ex hostibus victorias: *Daniel*, qui historiam texit ab initio regni Nabuchodonosoris usque ad eversionem regni Babylonici per Medos et Persas; deinde plurima de

proximo Christi adventu vaticinia profert. — Prophetae minores sunt duodecim, qui varias materias pertractant: *Oseas* sermonem ad decem tribus potissimum dirigit, eorundem dispersionem, et Ecclesiae erectionem per vocationem Gentium praenuntiat: *Ioël* sermone puro et magnifico Hierosolymae, et totius Iudaeae per Chaldaeos excidium praedicit, atque Messiae ac Spiritus Sancti adventus pollicetur: *Amos* vaticinatur de regni Israël eversione: *Abdias* vaticinatur Idumaeorum, qui filios Israël calamitatibus oppressos subsannaverant, exitium: *Ionas*, qui solus ex omnibus Prophetis ad gentes missus est, Ninivitarum destructionem praenuntiavit, nisi poenitentiam egerint: *Michaeas* Iudaeis pariter et Israëlitis excidium et captivitatem praedixit; ast illis etiam reditum ex captivitate promittit, nec non plenissimam libertatem per Christum, cuius nativitatis locum assignat: *Nahum* praenuntiat depopulationem Ninives a Chaldaeis, eo quod contra Dominum superbirent: *Habacuc* praedixit Ierosolymorum per Chaldaeos, et Chaldaeorum ipsorum eversionem, uti etiam Iudaeorum per Cyrum, et totius generis humani per Christum liberationem: *Sophonias* eadem fere praedicit, ac Habacuc: *Aggaeus* soluta iam captivitate Iudaeos ad templi constructionem adhortatur, quod aliquando Messiae adventu, et ingressu condecorandum annuntiat: *Zacharias* pariter templi et civitatis sacrae urget aedificationem, multaque prophetat de Iudaeis et Gentibus: *Malachias*, ultimus Prophetarum, post extructum templum arguit coniugia cum alienigenis inita, decimarum detentionem, atque cultus divini depravationem; praenuntiat, nullum deinceps futurum esse Prophetam usque ad Christum, cuius praecursorem annuntiat, simulque Sinagogae finem, et Ecclesiae christianae ortum. — Totum Prophetarum tempus ab anno mundi 3194 usque ad Darii Nothi initia, anno 3581, idest per 400 fere annos extenditur.

ARTICULUS I.

De auctoritate Pentateuchi.

§. 35.

Moyses, origine Hebraeus, sed in aula Regis Aegypti educatus fuit, a qua fugere compulsus, et ad suos reversus, Deo vocante et adiuvante, Israëlitas a servitute aegyptiaca liberavit, eorundemque Legislator factus est. — Extiterunt quidem recentioribus temporibus increduli, qui cum Voltaire eo temeritatis venerunt, ut ipsam Moysis existentiam in dubium vocarent. Insaniunt autem, qui talia deblaterant. Nemo enim prudens unquam in dubium vocare ausus est facta historica, quae constanti et perpetua traditione nituntur, et non tantum contradictionem nullam passi sunt unquam, sed et testimoniis innumeris fundantur tum domesticorum, tum externorum: nam ad summam quoque certitudinem historicam nihil ulterius exigi potest, neque alio modo probari queunt facta historica etiam celebratissima. Ast Moysen extitisse, eumque populi hebraei ducem et legislatorem fuisse, publica fama ad nos usque perductum est; id enim certum semper fuit, et indubitatum non solum Hebraeis tum veteribus, tum recentioribus, sed etiam Samaritanis, qui licet in multis adversarentur Iudaeis, Moysen tamen ut legislatorem suum semper venerati sunt. Nunquam vero antiquis temporibus de existentia Moysis dubium motum fuit, cum tamen Religionis revelatae adversariis multum interesse poterat, tam celebrem virum dubium reddere; testimonia potius innumera

eiusdem existentiam probant. Nam in omnibus fere S. Scripturae libris de Moyse tanquam de viro Israëlitis notissimo sermo instituitur. Accedunt profani scriptores, qui Moysen Israëlitarum ducem et legislatorem fuisse testantur. Plura talia testimonia ex operibus, quae non amplius extant, citantur a *S. Iustino M.* in Cohort. ad Gentes, a *Clemente Alex.* in lib. 1 Strom. et ab *Origene* in libris contra Celsum. Ast Moysis antiquitatem et legislationem etiam scriptores commemorant, quorum opera adhuc extant, ut *Diodorus Siculus*, *Iosephus Flavius*, *Philo*, *Strabo*, *Trogus Pompeius*, *Tacitus*, *Dio Cassius* et alii. Praeterea *Daniel Huetius* mira eruditione ostendit, Moysen fere omnibus Gentibus sub variis nominibus notum fuisse (1). Sicuti ergo stupidus diceretur, qui negaret, Alexandrum M., Demosthenem, Caesarem Augustum, M. T. Ciceronem etc. quondam extitisse, iudicium idem ferendum est de iis, qui Moysi existentiam inficiantur. Eadem porro certitudine constat, quod Moyses quinque libros conscripserit, qui veniunt sub nomine Pentateuchi, de quo iam probandum est, quod sit *genuinus*, quod *integer ad nos pervenerit*, et quod *sit omni fide dignus*.

§. 76.

I. Pentateuchus est genuinus.

Moysem verum esse Pentateuchi auctorem, seu quinque libros, Genesin, Exodum, Leviticum, librum Numerorum, et Deuteronomium a Moyse fuisse conscriptos, ex *criteriis internis*, ex *criteriis externis*, et *critica reflexione* probatur.

1. *Criteria interna* praecipue ex librorum argumento et stilo desumuntur. Ast longa iam multorum saeculorum crisis, animo a praeiudiciis libero circa Pentateuchum instituta, non solum nihil in materia et forma detexit, quod historiae et characteri Moysis repugnet, sed potius omnia eidem optime convenire agnovit. *Argumentum* enim de mundi historia tum ante diluvium, tum ante Abrahamum breviter pertractatum, quia pauca tantum de statu illo primitivo monumenta supererant; de Abrahamo autem, Isaaco et Iacobo fusius expositum, quia amplior de viciniori hoc tempore memoria extabat; de historia autem Moysis privata et publica, de factis eiusdem in Aegypto et in deserto, de legibus Hebraeorum nationi praescriptis, de peregrinationibus et fatis populi latissime quoad omnes circumstantias narratum, — innuit auctorem huic aetati coaevum, Hebraeum et rerum aegyptiarum probe gnarum; qui characteres nemini melius conveniunt, quam Moysi, Israëlitae, sed in aula aegyptiaca educato et variis disciplinis imbuto. *Stilum* quod attinet, Scriptor inde elucet *vetustissimus*, qui facta cum simplicitate narrat, et lingua utitur clara, rudis populi ingenio accommodata; simul autem *eruditus*, qui leges cum magna auctoritate promulgat, earundem observantiam gravibus sanctionibus inculcat, atque canticum cum religioso poëtae enthusiasmo profert; *pius* denique, qui de Deo rebusque divinis libenter loquitur. Isti autem characteres iterum Moysi, Israëlitarum duci et legislatori optime conveniunt.

2. *Criteria externa* petuntur ex testimoniis, inter quae primo loco referenda est *antiquissima et constans Hebraeorum persuasio* de Moyse Pentateuchi auctore. Talis enim integrae nationis persuasio firmum praebet pro authenticitate libri, publica auctoritate donati, argumentum, cum

(1) V. Dem. evang. diss. de libr. Moysis cap. 5-11. Cf. Nat. Alex. diss. 9. in V. T. quarta mundi aetate.

supponi non possit, illam sine ratione sufficienti exortam esse. Et sane, cum certum sit, populum israëliticum antiquitus extitisse, Palaestinam occupasse, suasque leges habuisse, certum pariter est harum legum auctorem et scriptorem extitisse. Supponi autem nullatenus potest, nationem hebraeam legislatorem suum non agnovisse, vel in ipso agnoscendo errasse. Quamobrem cum Moyses semper ut legislator Israëlitarum, et ut auctor Pentateuchi habitus fuerit, cur tali traditioni fides non erit adhibenda? — Accedunt libri sacri Hebraeorum, qui indigitatam traditionem confirmant. Nam in ipso Pentateucho pluribus in locis expressis asseritur verbis, Moysen res a populo Dei gestas, et leges eidem datas litteris consignasse. Exod. XVII, 14 dixit Dominus ad Moysen: *Scribe hoc ob monimentum in libro;* et Ex. XXIV, 4 legitur: *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini.* Similia habentur Exod. XXXIV, Num. XXXIII, Deut. XXXI. Ipse Iosue, qui optime nosse poterat auctorem Pentateuchi, morti proximus c. XXIII, v. 6 sic affatur Israëlitas: *Estote solliciti, ut custodiatis cuncta, quae scripta sunt in volumine legis Moysi.* Idem cap. VIII, v. 30 etc. citat legem de aedificando altari in Exodo XX, 25 contentam, et illam *scriptam in volumine legis Moysi* dicit; ex quo apparet, sub nomine *legis Moysi* non solum Deuteronomium, ut nonnullis visum est, sed etiam reliquos Pentateuchi libros intelligi. Commemorantur quoque mandata Moysis in libro Iudicum III, 4 his verbis: *Dimisitque eos, ut in ipsis experiretur Israëlem, utrum audiret mandata Domini per manum Moysi, an non.* Sub nomine *legis Moysi* Pentateuchus frequenter in S. Scriptura citatur, ut III Reg. II, 3; IV Reg. XIV, 6; I Paral. XV, 15; II Paral. XXIII, 18; I Esdr. III, 2; II Esdr. VIII, 1; Tob. VII, 14; Baruch II, 2; Daniel IX, 13; Malach. IV, 4. Insignis est etiam locus II Machab. VII, 30 ubi adolescens dixit: *Non obedio praecepto regis, sed praecepto legis, quae data est nobis per Moysen.* Traditionem Iudaeorum confirmant Samaritani, qui licet in multis a Iudaeis sibi infensis dissentirent, Moysem tamen ut legislatorem suum, et ut auctorem Pantateuchi venerati sunt. Consentiunt quoque Scriptores ethnici chaldaei, graeci aliique, qui Moysi legislationem, et Pentateuchum attribuerunt. Sic *Eupolimus,* qui 400 annis ante Christum Athenis floruit, Moysen primum sapientem vocat, ipsumque Iudaeis grammaticam tradidisse dicit (1). *Trogus Pompeius* eundem praestantem sapientem, *Plato* legislatorem nominat, *Manethos Sybeniita* luculentam mosaicarum rerum collegit historiam, et Moysem leges posuisse Hebraeis testatur (2). *Numenius,* philosophus graecus (3) ait: « Quid est Plato nisi Moyses attice loquens? » Consentiunt quoque *Diodorus Siculus, Strabo, Plinius, Tacitus, Iuvenalis* et alii, quos citat Dan. Huet. (4). Neque illud unquam in dubium vocarunt Religionis tum iudaicae, tum christianae saevissimi hostes *Celsus, Porphyrius, Iulianus Apostata* etc. Ex quibus concludit Cl. *Liebermann*(5): « Nemo unquam dubitavit, Homerum auctorem esse Iliadis, Virgilium Aeneidos, Ciceronem Catilinariarum etc., quia traditio constans et fides publica testantur ipsos esse horum librorum auctores; ergo idem debet valere argumentum, cum de auctore Pentateuchi agitur; ergo con-

(1) Ap. Euseb. Praep. evang. l. 12.
(2) Ap. Ios. Flav. l. 1, c. Appion.
(3) Ap. Clem. Alex. lib. 7 Strom.
(4) Dem. ev. de lib. Moysis c. 2.
(5) Th. dogm. gen. p. II. cap. 1, art. 2, § 1

tra omnium scriptorum asserta, contra publica populi iudaici monumenta, contra infensissimorum Religionis tum iudaicae, tum christianae hostium confessiones post tria et amplius annorum millia nihil valere possunt paucorum scepticorum coniecturae et cavillationes.»

3. *Critica reflexione* priora argumenta corroborantur. Nam si Moyses Pentateuchi auctor non esset, suppositionem factam fuisse, dicendum foret. Huius autem suppositionis *nec auctor assignari, nec tempus determinari, nec modus explicari* potest, sed omnia potius eius impossibilitatem, vel summam saltem difficultatem ostendunt. Probe enim notandum est, Pentateuchum tum historiam continere Patriarcharum et nationis hebraeae, de qua non pauca in eiusdem dedecus vergentia narrantur, tum etiam constitutionem proponere religiosam et civilem admodum duram, quae tum Sacerdotibus et Levitis, tum Iudicibus, tum omni populo officia sat ardua praescribit. Quis ergo, si Moyses Pentateuchum non conscripsit, ipsius *auctor* esse potuit? — Si Sacerdotes vel Levitae eundem Moysi supposuissent, Iudices cum populo restitissent; et si isti talem fraudem perficere tentassent, Sacerdotes et Levitae sese opposuissent. *Tempus* quoque suppositionis assignari nequit; nam ante schisma inter regnum Iuda et Israël exortum, ab ipso in Palaestinam ingressu recentior erat Moysis memoria, quam ut fraus et totius nationis deceptio fieri potuisset; et cum mox divisio Palaestinae iuxta Moysis ordinationem facta esset, committi pariter fraus non potuit, cui certe una vel altera tribus sese opposuisset. Post schisma vero, dum capitale mox odium exarsit inter regna Iuda et Israël, acrius adhuc a Samaritanis, decem tribuum successoribus continuatum, fieri nequaquam potuit, ut unum regnum alteri tam gravis momenti fraudem imponeret, vel utrumque communi impostori suum assensum praeberet. *Modus* quoque, quo suppositio facta, et tota natio in errorem inducta fuit, explicari non potest. Nam si in ingressu Israëlitarum in Palaestinam Pentateuchus, historiam et legislationem gentis hebraeae continens, extitit, auctor illius proculdubio sacerdotibus, principibus et nationi notus fuit; et mutandi nominis nec ratio, nec modus apparet. Si autem tunc Pentateuchus non extitit, vel saltem ignotus fuit, quomodo deceptor auctoritatem talem sibi conciliare poterat, ut integrae nationi libros tales obtruderet, in quibus leges carnalibus hominibus admodum durae praescribuntur, et multa in magnum israëlitici populi dedecus vergentia narrantur? Nationi certe, vel saltem eiusdem sacerdotibus, ducibus et principibus ignotum esse non poterat, an Moyses aliqua conscripserit, nec ne: quare tam celebri viro contra integrae nationis traditionem opus spurium supponere, vere impossibile est dicendum.

Nota. Increduli magnos adhibuerunt conatus, ut ostenderent Moysen non esse Pentateuchi auctorem: quae autem nobis obiiciunt, facile solvuntur.

Obi. 1. Nihil frequentius occurrit, quam librorum suppositio: ipsi Moysi nonnulli libri falso adscripti sunt; e. g. sermones mystici, testamentum, parva Genesis etc.; illustri enim Moysis nomine scriptores operibus suis maiorem praebere auctoritatem satagebant. Eadem igitur ratione Moysi Pentateuchus falso poterat adscribi.

Resp. Iisdem sanae criticae regulis, quibus supposititia opera deteguntur, genuina confirmantur. Hinc

quemadmodum laudati libri mox ab omnibus reiecti sunt, quia eorum suppositio facile detecta fuit, ita e contrario Pentateuchus ab omnibus recipitur, et semper receptus fuit, quia nulla adest ratio de eius authenticitate dubitandi, imo solidissima hanc probant argumenta. Praeclare *Paschalis* (1) ait: « Magnum discrimen est inter librum, quem aliqua privata persona spargit in populum, et librum (qualis est Pentateuchus), in quo ipse populus formatus est. Hic tam antiquus esse debet, quam populus ipse. »

Obi. 2. Omnes fatentur, Pentateuchum originaliter in lingua hebraica exaratum fuisse. Sed, si Moyses esset ipsius auctor, aegyptiaca lingua conscriptus fuisset; nam, ait *Voltaire*, Moyses, sicut etiam eius populus, in Aegypto natus est, ac proinde Israëlitae tunc non alio quam aegyptiaco sermone utebantur. His accedit, quod Aegyptii tunc nondum papyro uterentur, sed characteres suos hieroglyphicos marmori vel ligno insculperent. Quali ergo copia lapidum aut lignorum opus fuisset ad integrum Pentateuchum conscribendum? et anne verisimile est, tam artificiosos sculptores in deserto adfuisse, in quo nec sartores, nec sutores reperire erat? — Absonum igitur est Moysen Pentateuchi auctorem statuere.

Resp. Apparentes, quas movent adversarii, difficultates facile solvuntur. Constat enim, Hebraeis, quamprimum in Aegyptum venerant, regionem *Gessen*, quae in extremis finibus Aegypti Arabiam respicit, ad inhabitandum concessam fuisse: ibi proin Hebraei habitabant, ab Aegyptiis separati, et veterem linguam suam, scilicet hebraicam, quam a patribus suis didicerant, retinebant. Eandem ergo et Moyses a matre, quae eum nutrivit, didicit, qui certe etiam, dum in aula regia versaretur, non ab omni cum Hebraeis consortio abstinuit, ad quos, cum a praedicta aula aufugisset, regressus est. Absonum igitur est dicere, Movsen linguam hebraicam non calluisse, et in ea Pentateuchum scribere non potuisse. Falsum porro est, quod Voltaire cum tanta confidentia asserit, litteras alphabeticas tunc temporis in usu non fuisse. Nam *Cadmus*, qui litteras ad Graecos transtulit, Moysi coaevus fuit: ergo eas tunc habuerunt Aegyptii et Phoenices, a quibus illas receperunt Graeci. Ipse Voltaire pro more suo hac in re sibi contradicit, dum alio in loco (2) adseverat, *Sanchoniatonem*, antiquissimum Phoeniciarum rerum scriptorem, Moysis fere tempore vixisse, suumque librum litteris alphabeticis exarasse. Nonnulli Patres cum antiquissimis scriptoribus *Eupolemo* et *Artapano* contendunt, Moysen litterarum alphabeticarum hebraicarum inventorem fuisse; alii vero cum *S. Augustino* (3) dicunt, easdem iam ante Moysen in usu fuisse. Neque opus fuit, ut Moyses Pentateuchum lapidi vel ligno insculperet. Nam eruditissimus Marchio *Maffei* (4) testatur, papyrum antiquissimis temporibus in usu fuisse. *Mabillonius* et *Calmetus* (5) expresse advertunt, chartam, qua veteres ad scribendum utebantur, ex papyri plantae foliis in Nili ripis crescentis fuisse certa ratione praeparatam: adde, quod veteres etiam in membranis, seu pellibus animalium scripserint. Ergo absque difficultate Pentateuchus a Moyse in deserto conscribi potuit.

Obi. 3. Plura in Pentateucho sunt, quae verosimile non est potuisse a

(1) In suis cogitat. de Relig. cap. 8.
(2) Philosophie de l'histoire art. Phoeniciens
(3) L. 18 de Civ. D. c. 39.
(4) De re diplomat. l. 1, c. 5.
(5) Dissert. de libris veterum

Moyse scribi. Nam auctor Pentateuchi loquitur de Moyse ut de alia, seu de tertia persona: praeterea alios libros memorat a Moyse conscriptos, veluti alienos; nempe *librum foederis*, Ex. XXIV, 7, *librum bellorum Dei*, Num. XXI, 14, *librum legis*, Deut. XXXI, 9: non autem laudarentur hi libri ut alieni, si Pentateuchus totus fuisset eadem Moysis manu exaratus. Accedit, in eo saepius elogia Moysis celebrari, ut Num. XII, 5: *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra;* et Deut. XXXIII, 1 vocatur *homo Dei;* et ibid. cap. ult. v. 10: *et non surrexit ultra Prophetа in Israël, sicut Moyses;* at vero quis credat, voluisse Moysen sibi ipsi has laudes tribuere? Denique Deut. cap. ult. describuntur mors et sepultura Moysis, tum planctus Israëlitarum, imo successio Iosue in eius locum; et v. 6 additur: *et non cognovit homo sepulcrum eius usque in praesentem diem:* quae verba indicant, nonnisi longo tempore post Moysen haec scripta fuisse.

Resp. Difficultates allatae authenticitatem Pentateuchi non labefactant. Nam innumera occurrunt exempla scriptorum, qui de se ipsis in tertia persona locuti sunt, ut *Xenophon* in lib. de Cyri exped., *Iulius Caesar* in Comment. de bello gallico, *Ios. Flavius* in lib. de bello iudaico etc.; et tamen istorum opera ab omnibus ut genuina habentur. Multo magis illud idem a viris hagiographis fieri potuit, qui de se ut de tertia persona locuti sunt, ut ostenderent, se non proprio sensu, sed divino afflante Spiritu loqui: hinc etiam S. Matthaeus cap. IX, v. 9 sui conversionem memorat in tertia persona: *Iesus vidit hominem sedentem in telonio, Matthaeum nomine.* Ceterum Moyses etiam in prima persona de se loquitur Deut. cap. II, v. 1, 2 et 17. — Sicuti autem alibi recte de se in tertia persona locutus est, eadem ratione potuit libros a se elucubratos tanquam alienos commemorare, quamquam probabile admodum est, eos libros non fuisse a Pentateucho distinctos. Nam *liber foederis* non est nisi collectio praeceptorum decalogi, et aliorum, quae in monte Sinai a Deo promulgata, et ab Israëlitis acceptata sunt; *liber bellorum Domini* non est nisi historica narratio belli cum Amalecitis, quae in Exodo continetur; *liber legis* non est alius quam Deuteronomium. — Si Moysis virtutes in Pentateucho celebrantur, nonnulli putant, istas laudes non a *Moyse* scriptas, sed a *Iosue*, vel ab *Esdra* additas; sicuti et alia quaedam a scriptore quodam hagiographo post mortem Moysis Pentateucho addita fuisse, quidam critici contendunt. Sed omissa hac responsione recte dici potest, quod, sicut S. Paulus II Cor. cap. XI et XII seipsum laudat, et S. Ioannes se passim vocat *discipulum, quem diligebat Iesus*, sic etiam Moyses vel morali quadam necessitate compulsus ut auctoritatem sibi conciliaret, vel potius altiori instinctu permotus, praeclara de se scripserit, quia Deus voluit, egregiam servi sui virtutem omnibus notam fieri. Scripsit autem haec Moyses sine fastu et elatione, cum non minus infirmitatem et errorem suum a Deo punitum scripte publicaverit. — Quod ultimam attinet difficultatem, communis est interpretum sententia, caput ultimum proprie ad Deuteronomium non pertinere, sed initium esse libri Iosue. Deuteronomium enim optime terminatur per solemnes Moysis precationes, quae capite penultimo eiusdem libri leguntur. Quod autem abstractum fuerit hoc exordium libri Iosue, et Deuteronomio adiectum, non alia videtur ratio fuisse, quam ut in

uno volumine integra Moysis historia haberetur. Ceterum *Ios. Flavius* l. 4 Antiq. iudaic. cap. ult., *Philo* l. 3 de vita Moysi, aliique tum Iudaei, tum Christiani non improbabiliter censent, in capite ult. contenta fuisse a Moyse spiritu prophetico praevisa, et litteris, ita Deo volente, consignata.

Obi. 4. Regula est omnibus criticis nota, eos libros pro supposititiis habendos esse, in quibus aliqua inveniuntur eo auctore, cuius nomen praeseferunt, posteriora; sed reipsa multa in Pentateucho sunt, Moyse posteriora: sic Ex. XVI, 35 dicitur: *Filii Israël comederunt man 40 annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti sunt usquequo tangerent fines Chanaan*, quod certe a Moyse nec scribi, nec videri potuit. Praeterea Gen. XII, 6 dicitur: *Pertransivit Abraham terram usque ad locum Sichem, usque ad vallem illustrem; Chananaeus autem tunc erat in terra;* quae postrema verba innuunt, hoc eo tempore scriptum fuisse, quo Chananaeus fuerat iam a terra illa expulsus, quod longe post Moysi obitum contigit. Ulterius multa locorum et civitatum nomina recensentur, quae nonnisi post Moysen in usu fuerunt: sic Gen. X, 11 memoratur urbs *Ninive*, quod nomen a *Nino*, Moyse longe posteriori, accepit: Gen. XIV, 14 civitas quaedam appellatur *Dan*, quae Moyse vivente appellabatur *Lais*, seu *Lezem*. Gen. XXII, 14 mons *Moria* appellatur *Dominus videt*, seu potius *Dominus providebit*, quod nomen nonnisi eo tempore obtinuit, quo mons ille fuit templi aedificationi destinatus: Gen. XXIII, 27 et alibi memoratur *Hebron*, quod nomen Moyse recentior est, cum antea Ios. XIV, 15 *Cariath Arbe* vocaretur: denique Gen. XIV, 15 dicitur Ioseph sublatus *de terra Hebraeorum*: at vero terra illa, unde Ioseph sublatus est, Moyse vivente vocabatur *terra Chanaan*, nec dici potuit terra Hebraeorum, nisi postquam Chananaeis expulsis Hebraei eam incoluerunt, Moyse iam vita functo. Non potest ergo Moysi Pentateuchus adscribi.

Resp. Allata regula critica valet, quotiescunque firma non suppetunt argumenta, quibus librum esse genuinum omnino demonstretur, et quotiescunque nulla probabilis ratio reddi queat, cur illa posteriora in iis libris inveniantur. Iam vero et solidissimis argumentis Pentateuchus Moysi tribuitur, ut superius vidimus; et ratio insuper reddi potest, cur ea omnia, quae Moyse sunt posteriora, in eo inveniantur. Negari enim non potest, Moysen a Deo vocatum eique familiarem multa prophetico spiritu praevidisse, et ideo etiam praenuntiare potuisse. Ita absque dubio cognovit Israëlitas per 40 annos in deserto commoraturos, iis per hoc tempus nunquam coelestem illum cibum defuturum, eosque tandem in promissam terram Chanaan ingressuros esse. Nec refert, quod Moyses haec in tempore praeterito proferat, quia moris hoc est apud Prophetas ad denotandam certitudinem eventus. Illa autem verba: *Chananaeus tunc erat in terra*, male ab adversariis intelliguntur, quia hunc sensum habent: *Chananaeus iam tempore Abram erat in terra illa*, ut scilicet indicetur, quam antiquus esset Chananaeorum in illa terra incolatus; id enim significat particula *az iam tunc, illo tempore* ibi adhibita, quod etiam R. *Aben-Ezra* Iudaeus notavit. Quod varia nomina attinet, responderi potest cum doctissimo *Bossuet* (1), haec et alia minoris momenti potuisse ab aliquo scriptore hagiographo, puta a *Iosue* vel *Samuele*, addi vel immutari ma-

(1) Discours sur l'hist. univ. p. II, c. 28.

ioris explicationis gratia, ne scilicet a nominibus ignotis aliquae tenebrae sacro textui effunderentur. Et fortasse etiam prius haec in margine notata fuerunt, post autem ex margine in textum sensim transierunt. Ceterum haec levia sunt, et adversarios provocabat laudatus *Bossuetus*, ut aliquam additionem ostendant in legibus, in caeremoniis, in dogmatibus, in miraculis, in prophetiis, vel aliis rebus gravioribus. Denique fortasse omnia illa nomina etiam aetate Moysis in usu fuisse demonstrant *Nat. Alexander*, *Dupinius*, *D. Huetius* et alii.

Obi. 5. Solida argumenta ostendunt, Pentateuchum saltem 400 annis post Moysis obitum exaratum fuisse. Nam Gen. XXXVI, 31 etc. legitur: *Reges, qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent Regem filii Israël, fuerunt hi*, etc. statimque recensentur 8 reges et 11 duces, qui nonnisi post reges imperarunt, ut habetur I Paralip. I, 51. In citato ergo Genesis loco fit mentio insignis illius mutationis, quae in republica Israëlis facta est, quando Iudicibus reiectis, Saul in Regem inauguratus fuit longe post Moysis obitum. Deinde octo illi reges ab Esau originem trahebant; at vero a Iacob, fratre Esau usque ad Moysem nonnisi quatuor generationes effluxerunt: non poterant ergo tam brevi tempore in familia Esau octo reges et undecim duces sibi succedere. Quamobrem dicendum est, successionem regum et ducum in terra Edom usque ad tempora Saulis enumerari, quod a Moyse praestari non poterat. Idem confirmatur ex eo, quia auctor Pentateuchi Deut. XVII, 14 etc. leges praescribit a Regibus Hebraeorum observandas. Absonum autem est dicere, quod Moyses leges praescripserit pro regibus eo tempore, quo Hebraei reges non habebant, sed abhorrebant. Necesse est ergo dicere, auctorem Pentateuchi Sauli coaevum aut posteriorem fuisse.

Resp. Ad istam difficultatem tollendam, nonnulli censent, seriem regum Edom ab aliquo posteriori scriptore sacro adiectam esse, quia non in omnibus codicibus invenitur; eadem autem I Paralip. I, 43 etc. occurrit. Alii cum *Huetio* ad spiritum Moysis propheticum recurrunt. At etiam adhibita recta exegesi difficultas tolli potest. Notandum nempe est, ea verba: *Antequam haberent regem filii Israël*, non esse referenda ad Saulem, sed ad Moysem, qui latiori sensu fuit appellatus Rex a *Philone* (1), et, ut volunt plures interpretes, etiam a seipso (2). Et quidem Moyses potuit dici *primus rex Israëlis*, quia ante eum nullus erat totius nationis princeps, vel dux, sed quamlibet familiam prior natu regebat; primus autem Moyses monarchicum imperium in tota illa gente exercuit. Vel etiam ea verba intelligi possunt de initio *theocratiae*, quae a foedere inter Deum et filios Israël inito (3) inchoatur, et quo tempore Israëlitae Deum ipsum ut Regem suum venerabantur: hinc quando Hebraei regem a Samuele petierunt dixit Deus eidem Samueli (4): *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*. Exponit ergo Moyses, quotnam, et qui in Idumaea regnaverint, antequam Deus foedus cum filiis Israël percuteret. Octo autem reges in terra Edom ita Moysem praecesserant, ut postremus, nempe Adad, fuerit Moysi coaevus; unde videtur etiam Moyses maiorem illius notitiam habuisse, cum et uxorem illius nominet, et insuper uxoris matrem et aviam, quod in aliis non fecerat. Nec repugnat, ab Esau usque ad Moysen, idest, per spatium 200 annorum octo reges si-

(1) In eius vita. (2) Deuter. 33, 5. (3) Deuter. 7, et 26. (4) I. Reg. 8, 7.

bi successisse, praecipue cum regnum non haereditarium, sed electivum fuerit. Undecim autem duces non sibi successerunt, sed simul varias Idumaeae regiones regebant: quod contigisse videtur, cum Israëlitae ab Aegypto egrederentur; nam in Cantico Moysis dicitur: *Tunc conturbati sunt principes Edom* (1); et: *Hi duces Edom habitantes in terra imperii sui* (2). Verum quidem est, in Pentateucho leges pro Regibus praescribi, qui Moysis tempore non extiterunt. Sed is, qui haec scripsit, valdè difficilia onera, et officia regibus imponit, dictat eis leges perquam imperiose, eosque aliis hominibus plurimum assimilat, ut legenti citatum locum patebit. — Iam vero talem secum agendi et loquendi modum reges tolerare non solent: unde concludendum est, leges illas non tempore Regum, sed antequam hi constituerentur, scriptas esse. Porro Moyses praecellens propheta praevidit futuros Hebraeorum reges, et ideo sapientissime iam longe antea leges ab ipsis observandas praescripsit.

Obi. 6. Sicut Israëlitae Moysem ut legislatorem et ducem suum venerati sunt, cui facta mirabilia et libros editos adscripserunt, ita etiam alii antiqui populi viros quosdam illustres coluerunt et mira de ipsis narraverunt; quae tamen fictitia esse nemo dubitat. Multa profecto Deorum Dearumque nomina constanti et publica traditione ad nos pervenerunt, quae nihilominus tanquam fabulosa explodimus. Non una gens, sed multi populi Iovem, Saturnum, Neptunum, Mercurium, Martem, Herculem, etc. adorarunt, divinasque de iis virtutes praedicarunt; quae tamen a veritate prorsus aliena declaramus. Eodem modo ergo, quae de Moyse, de eius factis et libris a Iudaeis referuntur, fabulis adnumeranda sunt. Eruditi enim ipsi fatentur, nihil certi in historia reperiri ante bellum Troianum, quod tercentis circiter post Moysen annis contigit. Ex tam vetustis temporibus ergo certo probari nequit, Moysem extitisse, et Pentateuchum conscripsisse.

Resp. Sana ratio regulas criticas praescribit, quibus libri authentici a spuriis et facta vera a falsis secerni possunt. Tales regulae constanti, et universali philosophorum consensu approbantur. A sana igitur Philosophia recedit et omnem fidem historicam labefactat, qui istas regulas vilipendens omnia alicuius aevi facta quasi a priori, et sine discrimine falsa aut dubia declarat. Firma potius, ipsa sana ratione iubente, regula est tenenda, quae dicit, ea facta ut vera esse credenda, quae certis argumentis probantur; illa vero facta pro falsis, aut dubiis esse habenda, pro quibus nulla solida militant argumenta. Admittimus igitur, ante bellum Troianum omnia incerta esse et confusa in historia profana, quia nullos habemus scriptores profanos, qui facta illorum temporum collegerint. Contrarium de historia sacra valet, quam ex libris genuinis, integris et fide dignis haurimus. Absonum igitur est, ideo Moysis existentiam, et scriptos ab eo libros negare, quia multae fabulae illius aevo apud alios populos circumlatae sunt. — His accedit, quod gentium traditiones plerumque a viris ob praeclara, aut insolita facta celebribus originem duxerint; successu autem temporis corruptae et deturpatae sunt, utpote genuinis et fide dignis documentis destitutae. Moysis vero existentia atque praeclara eius facta per traditionem confirmantur ob genuinum monumentum in-

(1) Exod. 15. 15.

(2) Ib. 36, v. ult.

corrupte conservatum. — Crescit argumentum et omnis evanescit difficultas, si ostenditur, allatas gentium traditiones magna ex parte ab existentia et ex scriptis Moysis originem duxisse; quod viri eruditi, praecipue vero *Dan. Huetius* (1), evicerunt. Ostendit nempe *Huetius*, universam propemodum Ethnicorum Mythologiam ex Moyse Moysique actis et scriptis promanasse. Ex plurimis exemplis unum adducere liceat. Manifestum scilicet est, notissimum apud Gentes *Mercurium* non alium fuisse, quam Moysem; quod ex notarum et factorum comparatione facile probatur. Nam Mercurius, Nilo patre natus, dicitur a Cicerone (2); *Moyses* Nili aquis impositus et inde extractus est. Horae nascentem *Mercurium* exceperunt, Iuno ipsum aluisse fertur; *Moyses* a regiis puellis e Nilo extractus, et ab ipsa regis filia educatus fuit. *Mercurii* recens nati venustas a poëtis praedicatur; infans fuit Moyses speciosus (3). Pastorum Deus habitus est *Mercurius*, ut ex Homeri Iliade probat Pausanias; pavisse quoque dicitur oves et boves, dono ei ab Apolline datos; pastoralem vitam *Moyses* quoque egit, et soceri sui oves duxit, immo et praefuit Israëlitis, qui se pastores ovium a prima sua origine fuisse profitebantur, et pecudum curae praecipue in Aegypto dediti erant, unde Reges pastorum dicti sunt a Manetho ap. Ios. Flav. (4). *Mercurius* inter piscatorum Deos littorumque praesides ponitur, absque dubio propter mare Rubrum a *Moyse* feliciter traiectum. Praestigiator fingitur *Mercurius* propter edita a Moyse miracula; quae incantationibus et vi daemonum gerere creditus est. Caduceum tribuitur *Mercurio*, virga nimirum serpentibus intexta, portentorum effectrix, virgae scilicet illius mirificae instar, quae a Moyse demissa in terram colubri more reptavit, veneficorum magorum virgas absorbuit, et mirabilia subinde opera patravit. Furax habetur *Mercurius*, et furum Deus, quia Israëlitae, duce Moyse, vasa aurea et argentea, atque pretiosas vestes ex Aegypto abstulerunt. Statuae *Mercurii* prae foribus domorum ponebantur ad arcendos fures et latrones; unde etiam ab Homero, Hesychio, Phurnuto, et aliis domorum servator dictus est, certe quia suadente et iubente *Moyse* Israëlitae domorum postes sanguine asperserunt, et primogenitos suos a morte praeservarunt. Semitalis Deus et itinerum praeses habitus est *Mercurius* atque *Vius* dictus; siquidem *Moyses* per 40 annos in deserto Israëlitis se ducem praebuit. *Mercurio* Aegyptio inventionem litterarum primamque commentariorum elucubrationem adscribunt Plato (5), Plutarchus (6), Diodorus (7), Cicero (8): notum enim omnibus erat, *Moysis* libros omnium antiquissimos esse. Deorum hominumque nuntius ac sequester dictus est *Mercurius*, Iovis iussa ad homines deferens et hominum preces Iovi exhibens; quis non videt hic *Moysem*, qui crebra cum Deo colloquia habuit, mandata Dei ad homines detulit, et saepe pro populo intercessit, ut recte dicere potuerit: *Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos* (9)? *Mercurium* Iovis fulmen arripere voluisse, dicit Lucianus, quia Moyses in monte Sinai sub fulgoribus et tonitribus legem divinam promulgavit. Negotiationum praefectus est *Mercurius*, et ponderum mensurarumque inventor creditur; *Moyses* quippe in emptio-

(1) Dissert. de libris Moysis cap. 2 et seq
(2) Lib. 3, de nat. Deor.
(3) Ex. 2, 2. (4) L. 1, c. Appion
(5) In Phaedro. (6) Sympos. l. 9. q. 3.
(7) Lib. 1. (8) L. 3, de nat. Deor.
(9) Deut. 5, 5.

nibus et venditionibus contrahendis fraudes legibus suis coërcuit, ponderum et mensurarum aequalitatem sanxit, et foenebrem licentiam sustulit. Lirae, fistulae pastoralis et musicae repertor *Mercurius* existimatus est, quoniam geminum hymnum omnibus poëticae artis pigmentis splendescentem Deo *Moyses* decantavit, idemque buccinam eam reperit, quae Asosra ab Hebraeis appellatur, et describitur a Ios. Flavio (1). Futurorum praenotionem et artem divinandi *Mercurium* ab Apolline accepisse narrant; Moyses a Deo futura praedicendi virtutem accepit, verusque propheta extitit. Summa denique necessitudo ac societas *Mercurium* inter, atque *Herculem* ab antiquis statuitur, adeo ut communes eorum fuisse statuas Aristides (2) prodiderit. *Herculem* autem eundem esse cum Iosue, qui individuus Moysis socius in deserto fuit, eumque ut dux et iudex populi israëlitici secutus est, multis comparationibus institutis probat Huetius loco citato. Neque nova est haec sententia, sed iam ab antiquis propugnata; nam teste Eusebio (3) iam Artapanus testatus est, Moysen ab Aegyptiis pro Deo habitum fuisse et Mercurium appellatum. Dubitari etiam non potest, prae ceteris gentibus Aegyptios, saltem eruditiores, notitiam quandam veritatum Israëlitis in deserto revelatarum, et legum iisdem iniunctarum acquisivisse, aestimasse et ceu bonum depositum custodisse. Sic intelligi potest, quid fuerint in Aegypto illae Mercurii columnae, ad quas velut ad arcanae veritatis fontes recurrerunt Pythagoras, Plato et alii. Certe enim istae columnae continebant doctrinam Moysis de principiis rerum, ipsiusque leges, quas cum veras et aequas haberent sapientiores Aegyptii, dignasque ut pro memoria posterorum conservarentur, in columnis ligneis vel lapideis describi curarunt. Non parvum haec praebent pro veritate historiae Mosaicae atque pro authenticitate Pentateuchi argumentum.

(1) L. 3 antiq. iud. c. 11.
(2) Orat. in Hercul.

§. 77.

II. Pentateuchus integer ad nos pervenit.

Pentateuchum absque mutatione substantiali historiae ac doctrinae ad nos pervenisse, variis argumentis probari potest.

1. Eadem fides publica, et totius gentis iudaicae per omnes generationes continuata traditio, quae probat, Pentateuchum genuinum esse Moysis opus, etiam evincit, eum integrum semper et incorruptum permansisse; siquidem integrae semper nationi persuasum fuit, se illud ipsum opus habere, quod a Moyse acceperunt Patres eorum, neque additum quidquam fuisse, neque detractum iis, quae Moyses scripserat. Haec ergo fides publica et constans traditio invicte probat sicut Pentateuchi authenticitatem, ita etiam eiusdem integritatem, praecipue cum nullum possit corruptionis argumentum adduci. Substantialis enim interpolatio vel mutilatio est factum historicum, quod non supponi, sed ex monumentis probari debet, atque ideo iure negatur, donec ab adversariis evincatur.

2. Omnia in Pentateucho eodem orationis genere narrantur, omnia sibi cohaerent et inter se connectuntur. Leges nituntur miraculis; v. gr. festum Paschatis institutum fuit in recordationem insignis beneficii, quo Deus Israëlitas a servitute aegyptiaca liberaverat; festum Pentecostes celebratum est in memoriam legis datae in monte Sinai; festum Tabernaculorum in mentem revocare

(3) L. 9 praep. evang. cap. 27.

debuit commorationem in deserto, alimentum mirabile a Deo acceptum, et prosperam Palaestinae occupationem. Caeremoniae quoque fere omnes Israëlitis praescriptae in factorum aût legum latarum memoriam institutae sunt, et cum illis connectuntur: igitur si Pentateuchus in miraculis, in doctrinis aut in factis historicis depravatus fuisset, quasi in omnibus adulteratus et fere totus suppositus dicendus esset; atqui, ut ex dictis patet, dici non potest, eum totum suppositium esse; ergo etiam quoad substantiam factorum et doctrinarum corruptus non fuit.

3. Omnes veteris Testamenti libri Pentateuchum supponunt et cum illo intime colligantur; tot enim in illis citationes occurrunt, ut fere omnia facta et praecepta nobiliora in illis attingantur. Eaedem citationes occurrunt in Iosephi Flavii et Philonis operibus, imo et fere in omnibus sacris N. T. libris. Eadem ergo facta et eadem praecepta semper in Pentateucho legebantur, et substantialis in illo facta interpolatio non est; alias etiam omnes libri veteris et novi Testamenti interpolari debuissent, quod tamen nemo asserere est ausus.

4. Si Pentateuchus fuisset interpolatus seu corruptus, id factum fuisset vel a Iudaeorum adversariis, vel ab ipsis Iudaeis: atqui neutrum dici potest; *non primum;* nam Iudaeorum adversarii erant Gentiles, Samaritani et Christiani; sed certum est, istos nunquam a Iudaeis de tali crimine accusatos fuisse; dein nulla observatur substantialis differentia inter codices Iudaeorum et eos, qui in aliorum manibus existunt: denique attendendum est omnes Iudaeorum adversarios exemplaria Pentateuchi a Iudaeis obtinuisse; nunquam ergo potuissent aliquam corruptionem attentare aut, si attentassent, efficere, ut eadem corruptio etiam Iudaeorum exemplaria inficeret. *Neque secundum* admitti potest; nam teste Ios. Flavio (1) Iudaei libros legis maxima semper veneratione prosecuti sunt. Tanta fuit ipsorum erga sacros codices religio, ut litteras et vocabula omnia numeraverint, et quoties, quo ordine, qua serie in Scripturis eadem vox repetatur, assidue observaverint. Quis iam credat, a gente Religionis avitae tam tenaci corruptionem in principali suo libro aut factam, aut admissam esse? — Praeterea, si Iudaei Pentateuchum adulterassent, ea profecto sustulissent, quae genti suae sunt indecora, tot nempe seditiones, tot crimina, iurgia etc.: sed haec corruptio facta non est; ergo nulla. — Tandem si corruptio Pentateuchi a Iudaeis facta fuisset, tantum crimen sicut alia scelera graviter exprobrassent Legis Doctores, Prophetae et alii religiosi viri, qui divinae Legis zelum habebant; vel corruptio ab iis Iudaeorum adversariis detecta fuisset: neutrum vero contigisse, historia testis est.

5. Corruptio Pentateuchi, si quae facta fuisset, debuisset contingere vel ante schisma decem tribuum, vel post istud schisma. *Non primum;* cum enim a Moyse usque ad Roboamum nonnisi quingenti circiter anni effluxerint, recentior erat factorum, quae in Pentateucho leguntur, memoria, quam ut in rebus substantialibus depravatio fieri potuisset. Aliunde per hoc temporis intervallum extiterunt Iosue, et multi pii iudices, qui corruptioni restitissent; aut saltem Samuel, Nathan, Gad, David et Salomon, qui ab initio sui regiminis magna sapientia et pietate repletus erat, corruptionem detexissent, et sustulissent. *Non secundum;* eo enim tempore regna Iuda et Is-

(1) In lib. c. Appion.

sibi invicem invigilabant ita, ut a uno regno corruptio fieri non potuisset, quin alterum reclamasset. Quamvis autem haec duo regna sibi infensa essent et in multis dissentirent, quoad authenticitatem tamen et integritatem Pentateuchi penitus inter se consenserunt.

6. Modus, quo corruptio perfici, et nationi vel persuaderi vel occultari potuerit, explicari nequit. Moyses enim ipse cautelas adhibuit ad integritatem librorum suorum conservandam, et ideo iussit (1) autographum in arca servari, sub extremo piaculo vetans, ne quis libris suis aliquid addere vel demere audeat (2). Praeterea pro custodia legis latae specialem tribum (Levi), per reliquas tribus distributam, constituit, et denique lectionem eius privatam Israëlitis, Iudicibus, Levitis ipsisque regibus (3), et publicam septimo quovis anno commendavit (4). Non agitur ergo de libro obscuro, qui aliquando vitiari potest, sed de libro publico, in quo nationis ius praecipuum universae leges et facta notissima continebantur, qui in singulos septem annos coram populo legebatur, quem magistratus et doctores quotidie manibus terebant, ut alios iudicare et docere, et sacros ritus ordinare possent, et cuius ideo codices descripti plurimi adesse debebant. Haec ergo omnia manifeste evincunt, corruptionem substantialem nullam in Pentateucho factam fuisse, imo nec fieri potuisse.

Nota. Increduli varia proferunt argumenta, quibus ostendant, Pentateuchum corrumpi potuisse, et vere corruptum fuisse: haec iam enervare oportet.

Obi. 1. Ut habetur IV Reg. XXII et II Paralip. XXIV, *Iosia* regnum Iudae moderante *Helcias* summus sacerdos *librum legis reperit in domo Domini.* Porro cum audisset *Rex verba libri legis Domini, scidit vestimenta sua.* Stupor vero iste, quo Rex verba huius libri audiens correptus est, satis indicat, quod haec eadem verba, nempe praecepta divina et comminationes contra legis transgressores ipsi penitus ignotae fuerint. Colligitur exinde, tempore Iosiae regis Pentateuchum omnino periisse, unico excepto exemplari tunc reperto, quod tamen facile corrumpi potuit.

Resp. Multi putant, librum ab Helcia inventum, fuisse solum Deuteronomium, quod vocari solebat *liber legis*, quia compendium totius legis mosaicae una cum minis et maledictionibus contra eiusdem violatores continebat, et satis probabiliter bene multi interpretes coniectantur, hunc librum fuisse autographum manu Moysis exaratum, quod in latere arcae foederis manere debebat, sed in praecedentibus regni Iudae calamitatibus fuerat sub thesauro absconditum; unde etiam II Paralip. XXXIV, 14 dicitur: *Reperit Helcias sacerdos librum legis Domini per manum Moysi.* Stupor vero ac dolor Iosiae Regis ex duplici causa ortus est; primo, quod seipsum agnoverit illius mandati transgressorem, quo Deut. XVII, 18 praecipitur, ut rex initio sui regni describeret sibi Deuteronomium, illudque legeret omnibus diebus vitae suae, quod Iosias ab impio patre male educatus ignoraverat. Secundo pavor et dolor magis adauctus est, cum terribiles illas maledictiones audiret, quae contra violatores legis a Deo fuerant comminatae, et cum ex altera parte corruptionem Iudaeorum, qui violationes legis divinae multiplicarunt, consideraret. — Quod autem subditur,

(1) Deut. 31, 26.
(2) Deut. 4, 2, et 12, 32.
(3) Deut. 17, 18. II Paralip. 17, 9.
(4) Deut. 31. II Esdr. 8, 17.

potuisse Helciam ea occasione Pentateuchum aut totum de novo fingere, aut insigniter adulterare, prorsus incredibile, immo et impossibile est. Nam, ut ex dictis patet, multa iam exemplaria Pentateuchi inter Iudaeos aderant, imo etiam inter Israëlitas, seu decem tribus, tunc temporis iam in captivitatem abductas. Quomodo Helcias omnia haec exemplaria corrumpere potuisset? Talis corruptio certe statim tum a Iudaeis, tum ab Israëlitis impugnata fuisset, eamque nullo modo Samaritani, decem tribuum in eadem regione successores recepissent, de quibus tamen constat, quod eundem prorsus cum Iudaeis Pentateuchum habuerint. Denique non solum Pentateuchum, sed omnes subsequentes libros Iosue, Iudicum, Psalmos etc. adulterare opus erat, in quibus omnia fere repetuntur, quae in libris Moysis continentur.

Obi. 2. Certum est, omnia librorum sacrorum exemplaria olim periisse; nam IV Esdr. XIV, 21 legitur: *Lex tua incensa est propter quod nemo scit, quae a te facta sunt.* Et insuper additur, Esdram cum quinque viris spatio 40 dierum libros 204 scripsisse. Hinc communi SS. Patrum consensu ut novus sacrorum librorum restitutor, aut editor habetur. Ita nempe sentiunt *Tertullianus* (1), *S. Irenaeus* (2), *Clemens Alex.* (3), *S. Hieronymus* (4), *S. Chrysostomus* (5), *Theodoretus* (6), et omnium luculentissime *S. Basilius* (7) scribens: « Esdras libros omnes Scripturae divinitus inspiratae ex Dei mandato ad communem omnium usum eructavit et exproinpsit. » Potuit ergo Esdras Pentateuchum, sicut et ceteros libros, aut prorsus confingere aut saltem adulterare.

Resp. Huic difficultati opponimus argumenta pro integritate Pentateuchi iam allata, ex quibus patet, Pentateuchum iam ante tempora Iosiae extitisse, maximi a Iudaeis habitum eiusque exemplaria per omnes tribus dispersa fuisse. Argumentum vero, quod nobis opponitur, ex libro quarto Esdrae petitur, qui nullius est auctoritatis, utpote qui utriusque Ecclesiae graecae et latinae consensu in apocryphis numeratur, et iudaicis fabulis a capite ad calcem refertus a doctis omnibus modo explodituر. Nullatenus autem admitti potest omnes sacrorum librorum codices extinctos fuisse. Loquitur enim auctor de incendio templi et urbis sub Nabuchodonosor, atque ideo eius verba ita sunt intelligenda, quod ea sacrorum librorum exemplaria perierint, quae fuerunt in templo aut in urbe asservata: quamvis dicendum sit, vix ac ne vix quidem credibile esse, Hierosolymis vel hostium furore, vel Iudaeorum incuria omnes prorsus antiquos sacros codices periisse, ut ne unus quidem apud Ieremiam, Ezechielem, Danielem aliosque prophetas et religionis zelatores superfuerit. Contrarium ex ipsa S. Scriptura constat. Nam I Esdr. VI, 18 dicitur: *Et statuerunt Sacerdotes in ordinibus suis et Levitas in vicibus suis super opera Dei in Ierusalem, sicut scriptum est in libro Moysi:* id vero sub Zorobabel sexaginta fere annis factum est, antequam Esdras Ierusalem adveniret. Ibidem cap. VII Artaxerxes Esdram nominat, v. 12, *scribam legis Dei coeli doctissimum;* et v. 14 scribit: *Missus es, ut visites Iudaeam et Ierusalem in lege Dei tui, quae est in*

(1) L. 1, de cultu foem. c. 3.
(2) Ap. Euseb. l. 5 hist. eccl. cap. 8
(3) L. 1 Strom. n. 22.
(4) Lib. adv. Helvid
(5) Hom. 3 in Ep. ad Hebr
(6) Praef. in Cantic.
(7) In Epist. 42 ad Chilonem, n. 3.

manu tua. Ulterius, ut habetur II Esdr. VIII cum dixisset populus Esdrae, *ut afferret librum legis Moysi*, statim subditur: *Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram multitudine* etc. ubi nulla mentio fit novae inspirationis, qua libri deperditi fuerint iterum descripti. Denique *Ios. Flavius* (1) narrat, Cyrum ex lectione vaticiniorum libri, quem Isaias ante annos 210 reliquerat, fuisse commotum, ut Iudaeis in patriam revertendi potestatem faceret. Superarat itaque in captivitate babylonica liber Isaiae, quidni ergo multo magis libri mosaici, quorum cura maior esse debebat? Patres quod attinet, recte *Natalis Alex.* (2) observat, eorum plurimos appellasse hoc sensu Esdram sacrorum librorum restauratorem, quatenus is soluta captivitate babylonica sacros codices iis turbulentis temporibus ex scriptorum oscitantia vel inscitia corruptos ad fidem exemplaris autographi, quod conservatum probabiliter fuerat, diligentissime emendaverit. Addit *Dupinius* (3) Esdram libros sacros collegisse, in ordinem redegisse, eorundem canonem composuisse, eosque chaldaicis litteris retulisse, quae solae post captivitatem babylonicam a populo intelligebantur; atque ideo illum a SS. Patribus sacrorum librorum restitutorem, seu editorem nuncupatum esse. Si autem quidam sunt Patres, qui ad hunc sensum revocari non possunt, ut *Clemens Alex.* et *S. Basilius*, modeste deserendi sunt, cum constet, eos a supposititio lib. IV Esdrae innocenter deceptos esse. Ceterum Patres omnes fatentur, Esdram nullatenus libros sacros corrupisse, sed Deo inspirante integros posteritati tradidisse. Esdram autem non potuisse Pentateuchum confingere aut adulterare, vel eo solo luculenter apparet, quod Samaritani, qui eum habebant antiquissimis litteris exaratum, exemplar confictum vel corruptum non recepissent, sed reclamassent. Nunquam autem tale quid Esdrae vel Iudaeis improperatum fuit, sed mira est inter codices Pentateuchi Samaritanos et Iudaeos harmonia. Quod ceteros sacros libros attinet, ipsa stili diversitas luculentissimum praebet testimonium, illos ab uno auctore non fuisse profectos, neque etiam uno eodemque aevo conscriptos.

Obi. 3. Multi ex SS. Patribus Iudaeos incusant quasi sacrorum codicum corruptores: ergo nec Pentateuchus, nec alii libri V. T. hodie integri et incorrupti exstant.

Resp. SS. Patres non accusant Iudaeos, quod ante Christum, florente adhuc synagoga, sacros codices violaverint, quos potius, ut iam dictum est, maxima religione conservarunt. Post Christum dumtaxat nonnulli Iudaei corruptionem quorumdam vaticiniorum ad Messiam spectantium tentarunt; cum autem plurima iam ubique sacrorum Librorum exemplaria existerent, corruptio facile detecta et abolita fuit: ergo sacri libri integri et incorrupti ad nos pervenerunt. Accedit, quod Patres in obiectione memorati vel non loquantur de corruptione ipsius fontis hebraei, sed de *Aquila*, *Theodotione*, et *Pymmacho*, Iudaeis apostatis, qui fontem suis graecis versionibus corruperunt; vel loquantur solum de ineptis S. Scripturae expositionibus, quibus Iudaei obcoecati non textum, sed sensum perverterunt: hac de causa Iudaeos reprehendunt *S. Iustinus* (4) et *S. Irenaeus* (5). Cf. *Gotti* (6), *Nat. Alex.* (7).

(1) Lib. 11 antiq. iudaic., cap. 1.
(2) Hist. V. T. Diss. 4, de 6.a mundi aet. art. 1.
(3) Assert. praelim. in S. Script. l. 1, c. 4, § 5.
(4) Dial. c. Tryph. n. 71. (5) L. 3 c. haer. c. 24.
(6) Tom. 1. verit. rel. chr. dem. 3, cap. 8.
(7) Saec. 2, Diss. 11, q. 1, art. 1, concl. 3.

Obi. 4. Non omnia Pentateuchi exemplaria perfecte consona sunt, sed in ipsis variantes lectiones observantur; ergo corruptiones contigerunt.

Resp. Variantes lectiones, quae in variis exemplaribus habentur, substantialia non afficiunt, sed voces, et res minoris momenti respiciunt; eadem autem in omnibus facta referuntur, eaedem leges, eadem vaticinia, eadem doctrina, substantialis ergo corruptio nulla in Pentateucho contigit.

§. 78.

III. Pentateuchus est omni fide dignus.

Omnia, quae in Pentateucho narrantur, vera esse, plenamque a nobis fidem promereri, ostendunt criteria veritatis, quae ex qualitatibus personae narrantis, ex natura factorum narratorum, et ex testimoniis aliorum iuxta regulas criticas ab omnibus receptas deducuntur. Ipsa enim ratio praecipit, ut illi testi plena fides habeatur, qui circa facta, quae narrat, *decipi non potuit, decipere noluit*, imo *decipere non potuit*, praecipue si *eius veracitas a coaevis, et proxime sequentibus nunquam in dubium tracta*, et *narratio ipsius consentientibus aliorum testimoniis confirmata fuit*.

1. *Moyses decipi non potuit*, sed rectam eorum, quae narrat, notitiam habuit. Omnia enim, quae excepta Genesi in Pentateucho leguntur, vel ab ipso facta sunt, vel sub ipsius oculis contigerunt; quare in istis certe decipi non potuit. Ipsum enim magni virum ingenii, et in omni sapientia Israëlitarum et Aegyptiorum valde eruditum fuisse, et nec ruditatis, nec nimiae credulitatis, nec fanatismi accusari posse, ostendunt consilia gravissima, quae optime perfecit, leges sanctissimae, quas pro religione et civitate dedit, et ratio vitae integerrimae, quam tenuit. — Quae autem in Genesi narrantur, ea Moyses facillime plena certitudine cognoscere poterat ex antiqua, et in Patriarcharum familiis conservata traditione, quae attenta longaeva Patriarcharum aetate integra et pura usque ad Moysen conservari potuit et debuit. Moyses enim cum pluribus conversatus est, qui Patriarcham Iacob noverant, quia 80 circiter annis post eius mortem natus est. Iacob autem cum avo suo Abraham vixit, qui vidit Sem filium Noë. Sem porro novit Lamech, et Mathusalem, qui cum Adamo conversati sunt, et ita quatuor, vel quinque hominum memoria potuit tota illa historia, quae in Genesi continetur, usque ad Moysen pervenire. Nihil autem certe priscis illis temporibus antiquius habuerunt familiarum principes, quam ut eventus memorabiles ad filios et nepotes transmitterent fideli et crebra narratione; et ideo error hic irrepere non poterat, praecipue cum de factis publicis et domesticis ageretur. Praeterea eaedem notitiae hauriri, seu saltem confirmari poterant ex monumentis, Moysis tempore adhuc existentibus, forsitan ex scriptis quoque documentis, quae ipse prae manibus habuit, vel saltem ex nominibus, personis, rebus, locis, lapidibus, arboribus, fluminibus etc. in factorum memoriam tribui solitis, ex canticis, hymnis, hieroglyphicis etc. quae omnia ad conservandam traditionem inserviebant. Non exiguum autem pondus his argumentis ex eo accedit, quod Genesis pauca admodum referat, quoad primam et secundam mundi aetatem, ac ea imprimis, quae non facile poterant oblivione deleri. Sed etiam illa pauca, quae de primis mundi temporibus referuntur, sicut ea quae de posterioribus temporibus narrantur, non iam haesitando, aut coniciendo proponuntur, sed sicut facta certis-

sima, omnibusque nota: quamobrem Moyses nec sollicitudinem ostendit, ut ipsi fides habeatur, nec timorem, ut ipsi contradicatur: ex quibus recte colligitur, factorum narratorum constantem in populo israëlitico traditionem viguisse.

2. *Moyses decipere noluit*, et de veracitate eius dubitari non potest. Nam in eius scriptis nihil est, quod fraudis suspicionem movere possit; e contra ipsa viri indoles, ac tota agendi, et scribendi ratio testem probat sincerum, et ab omni dolo, et fallacia longissime remotum. Qui enim alios decipere, eisque pro veritate mendacia venditare satagit, captandae populi benevolentiae studet, dura non loquitur, aspera non praecipit, sed blanditias adhibet, et sermone obscuro, ambiguo et fucato utitur, quo facilius auditoribus, vel lectoribus illudat. Ast Moyses longe abest ab omni assentatione; multa enim Israëlitarum progenitoribus valde inhonorifica refert, ut filiorum Iacob nefanda peccata, et crudelitatem in fratrem suum Iosephum, Dinae lapsum, Simeonis et Levi atroces Sichimitarum neces etc.: integro quoque populo exprobrat frequentes in Deum rebelliones, duritiem cordis, blasphemias, murmurationes, idololatriam etc.; leges denique gravissimas, et caeremonias multas et molestas praecipit, ac transgressoribus dirissimas minatur poenas. — Eodem modo Moyses ab omni ambitione, et proprii commodi studio alienum se ostendit; quaecunque enim a Pharaonis filia sperare poterat, fortiter aspernatur; regiam potestatem non suae tribui, sed tribui Iudae pollicetur, propriis filiis in Levitarum plebe relictis, Aaronem summum sacerdotem, et Iosue ex tribu Ephraim ducem populi constituit; candide porro narrat, se propter occisum Aegyptium fugam arripere debuisse: suam denique erga Deum resistentiam et diffidentiam, ob quam ab ingressu Palaestinae exclusus fuit, fratris quoque ac sororis rebellionem aliosque suos suorumque defectus humiliter manifestat. Nulla ergo ratio assignari potest, ex qua Moyses adductus fuerit, ut deceptorem ageret; neque enim de ambitionis studio, neque de divitiarum, aut voluptatum cupiditate accusari potest. Ubique potius tum in vita, tum in sermone ipsius sese offert optimi viri effigies, eximius morum candor, et fraudis ac falsitatis nescia indoles, egregia in Deum pietas, pro eius gloria maximus zelus, studium virtutis constans, in ferendis ingrati populi contradictionibus summa patientia, et caritas invicta. Quin et stilus ipse simplex, apertus, et modestiae plenus satis ostendit auctoris candorem et veracitatem, omnemque expellit fraudis suspicionem.

3. *Moyses decipere non potuisset, etiamsi voluisset.* Omnia enim facta, saltem praecipua, quae a Moyse narrantur, publica fuerunt, et in totius populi conspectu contigerunt. Quis autem impostor eo insaniae unquam devenit, ut voluerit immensae hominum multitudini persuadere, ea egisse, vidisse, atque audivisse, quae nec egit, nec vidit, nec audivit? aut quae natio ita desipere potest, ut fidem talibus habeat? — Circa facta secreta, vel coram paucis testibus contingentia fraus et deceptio locum habere potest: ideo Numa Pompilius, Mahometes et alii vel legislatores, vel deceptores ad secreta divina commercia appellabant, et populo illudebant. Quomodo autem Moyses potuisset Israëlitis persuadere, regnum Aegypti multis et horrendis plagis in eorum conspectu fuisse percussum, si de his plagis nihil cognovissent? primogenitos Aegypti omnes una nocte fuisse occisos, si istius cladis te-

stes non fuissent? ipsos mare rubrum sicco pede traiecisse, si per istud aut omnino non, aut non indigitato modo transiissent? illuminatos eos fuisse per noctem a columna ignis, quamvis tam benevolam lucem non vidissent? per 40 annos illos coelesti manna fuisse nutritos, quamvis manna nec vidissent nec comedissent? etc. Certe haec nonnisi delirans tentare potest. Neque supponi potest, gentem numerosissimam in mendaciis sibi notissimis cum Moyse conspirasse. Quis enim credet, tot hominum millia connaturalem omnibus veritatis amorem simul exuisse, ac fraudulento consilio conspirasse, ut impostorem adiuvent, qui plurima in nationis dedecus enarrat, et populo gravissimas leges imponit? quis credet, huiusmodi librum, manifestis mendaciis repletum in maxima veneratione a Iudaeis semper habitum, atque illius leges observatas fuisse? — Haec omnia a recta ratione admitti nequeunt; et ideo certum est, Moysem decipere non potuisse, etiam si voluisset.

4. *Israëlitarum fides, et traditio Moysis auctoritatem confirmat.* Constat enim, quod nec increduli diffitentur, Iudaeos historiam Pentateuchi, et facta in eodem narrata, pro veris habuisse. Quamvis enim Israëlitae saepius contra Moysen insurrexissent et murmurassent, nunquam tamen eundem de mendaci narratione, seu falso testimonio accusasse leguntur. Haec autem constans, et universalis Iudaeorum fides, narrationibus Moysis exhibita, maximi est momenti, quoniam ipsi Moysen cognoscere, eiusque dexteritatem et sinceritatem examinare poterant: neque gens integra admittere solet unanimi ore facta sibi indecora, nisi certissima sint; et multo minus arduam legislationem ut divinam recipit ab auctore, quem aut deceptum, aut decipientem novit. Israëlitas vero narrationibus Moysis plenam fidem exhibuisse, patet etiam *ex consensu historicorum sacrorum*, Iosue, Iudicum, Samuelis, Davidis, Esdrae etc. qui uno concentu variis temporibus facta in Pentateucho narrata memorant, eaque ut certissima, et populo notissima proponunt.

5. Etiam *consensus historicorum profanorum, et gentilium auctoritatem Moysis confirmat.* Ostendunt hoc *Ios. Flavius* (1), *Tatianus* (2), *Eusebius* (3) et alii Patres ex ipsis antiquis Aegyptiorum, Chaldaeorum, Phoenicum, et aliarum gentium Iudaeis conterminarum scriptoribus, quorum libri illo tempore adhuc extabant, et in omnium manibus versabantur. Sic ex historia creationis, quae legitur in Genesi, famosum Chaos hauserunt *Sanchoniaton*, *Hesiodus* et alii veteres. *Epichermes*, *Plato*, et Auctor carminum orphicorum omnia Dei verbo facta esse scripserunt. *Thales* terram tenebris ante lucem obductam fuisse dicit, *Hesiodus*, *Callimachus* et *Homerus* a Deo hominem ex luto effectum affirmant. Creatio sex diebus peracta, et quies die septima habita videtur causam dedisse, ex qua Itali, Graeci, Celtae, Indi, et fere omnes populi constanter annum in septimanas distribuerint. *Maimonides* testatur, historiam Adami, Evae et serpentis seductoris suo tempore apud Indos aliosque populos satis notam fuisse. *Berosus* in chaldaicis, *Manethon* in aegyptiacis, *Hierosmus* in phoenicibus, *Hestiaeus*, *Hecataeus*, et *Hellanicus* in graecis historiis homines primitivos per mille circiter annos vixisse scribunt. De diluvio mentionem fecerunt *Berosus* inter Chaldaeos, *Abidenus* inter Assyrios, *Plutarchus* inter Graecos; et

(1) L. 1 c. Appion.

(2) Lib. c. Ethnicos.

(3) L. 9 Praep. evang., cap. 9.

fere apud omnes populos quaedam de illo notio conservata fuit: Armeni quovis tempore locum ostenderunt, in quo Arca quievit: *Lucianus* et *Molonus* narrant, non tantum aliquos homines, sed et omnis generis animalia in Arca inclusa, et conservata fuisse: Noëmum cum filiis sub variis nominibus et figuris fere omnes gentes, et agnoverunt et coluerunt. Incendium Sodomae in *Diodoro Siculo*, *Strabone*, *Tacito*, *Plinio*, *Solino* memoratur. Historiam Abrahami, Isaaci, Iacobi et Iosephi eodem fere modo ac Moyses enarrant *Philo Biblius*, *Berosus*, *Hecataeus*, *Artapanus*, *Eupolemus* etc. Carmina orphica Moysen ex aquis eductum fuisse, Deumque ei duas tabulas dedisse dicunt. *Manethon*, *Cheraemon et Lysimachus* circa exitum Israëlitarum ex Aegypto multas circumstantias, Pentateucho consentientes, referunt. — Iuxta regulam autem criticam historia fidem meretur, quae cum plerisque aliis scriptoribus historicis consentit; vix enim iste consensus inter historicos praecipue variarum nationum haberetur, nisi facta certissima atque notissima essent. Et si dicatur, auctores profanos non tam ex nationum suarum traditionibus, quam potius ex ipso Pentateucho narrationes suas hausisse, recte tamen infertur, Pentateuchum ab eruditis istis viris ceu opus fide dignum et aliis commentis longe praeferendum habitum fuisse. Magni porro momenti est, quod plures populi, quos facta a Moyse narrata perstringunt, et nota quadam infamiae afficiunt, nunquam tamen Moysem de mendacio, seu falso testimonio accusaverint. Certissime enim, si facta in Pentateucho contenta conficta essent; si plagae aegyptiacae, si mirabilis transitus per mare rubrum, et interitus Pharaonis cum exercitu totidem fabulae essent, Aegyptii Moysem et Hebraeos tanquam infames impostores, mendacii et calumniae reos postulassent, quod tamen nunquam factum est. Cf. *Dan. Huet* (1), et *Com. de Stolberg* (2).

Nota. Increduli, ut ipsa Religionis fundamenta concutiant, auctoritatem Moysis obscurare, et veritatem eorum, quae in Pentateucho leguntur, inficiari tentant, ac ideo propositioni nostrae sequentia obiiciunt.

Obi. 1. Moyses enormiter errat in epocha mundi, quem multis saeculorum millibus epocha mosaica antiquiorem esse, ex vetustissimis scriptoribus constat. Narrant enim *Berosus*, et *Diodorus Siculus* (3), *Chaldaeos* astronomicas habere observationes, quae usque ad Alexandri M. tempora complectebantur spatium 472000 ad minimum annorum. De Aegyptiorum antiquitate loquuntur *Herodotus* (4), *Diodorus Siculus* (5) et praecipue *Manethon* sacerdos Heliopolitanus, qui Ptolomaei Philadelphi iussu gentis suae historiam scripsit, in qua recenset tres dynastiarum ordines, annos complectentes 53535. Demum *Sinenses* prodigiosam iactant antiquitatem; nam iuxta eorum annales 30 aut 40 annorum millia intercesserunt inter nationis sinicae initia, et monarchiam, quam Fohi fundavit: astronomicae quoque observationes apud Sinenses ad plura annorum millia extenduntur. Similiter *Indi*, et alii populi longe maiorem sibi vindicant auctoritatem, quam sit aetas mundi a Moyse statuta. Chronologia ergo mosaica reliquorum populorum traditionibus, et monumentis adversatur; quamobrem ut falsa est reiicienda.

Resp. Sicut Pentateuchi veritas, et factorum, quae in eo referuntur,

(1) Dem. evang. de lib. Moysis

(2) Hist. Rel. Chr. tom. 1 et 2.
(3) Lib. 2, cap. 31, 4) Lib. 11. (5) Lib. 1.

fides ex omnibus certitudinis criteriis stabilitur, sic omnia concurrunt ad probandam falsitatem fabulosae illius quarumdam gentium antiquitatis. Auctores enim, qui de illa loquuntur, testes idonei non sunt. Nam nec coaevi sunt, nec monumentis certis facta sua confirmant, nec inter se consentiunt. Populorum, quorum historiam texunt, gratiam aucupantur, cuius sciebant esse amantissimos ; omnia sine ordine et delectu arripiunt, inanes annorum cumulos congerunt, nulla serie factorum distinctos. Nullam ergo fidem merentur scriptores isti maximam antiquitatem nonnullis nationibus attribuentes, praecipue quia eruditi communiter fatentur, ante bellum troianum in scriptis profanis nihil certi de historia populorum inveniri. His generatim praemissis, decantatam singulorum populorum antiquitatem examinare iuvat. *Chaldaeorum* antiquitatem extollit *Berosus*, qui et ipse Chaldaeus circa Ptolomaei Philadelphi, aut ad summum Alexandri M. tempora vixit, de gente sua praeclara scripsit, sed assertiones suas ex genuinis monumentis non probavit. Ideo etiam ab eruditis Ethnicis ipsius testimoniis fides habita non est. Iam *M. T. Cicero* (1) de Chaldaeis dixit: « Condemnemus etiam Babylonios... condemnemus, inquam hos aut stultitiae, aut vanitatis, aut impudentiae, qui 470 millia annorum, ut ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent, et mentiri iudicemus, nec saeculorum reliquorum iudicium, quod de ipsis futurum sit, pertimescamus. » Ceterum Berosus, licet fabulas veritati immiscuerit, multa tamen vera scripsit, et mosaicae historiae consentanea: imo et in statuenda Chaldaeorum origine nobis reipsa non est contrarius; scribit enim, Chaldaeos originem a *Saturno Babylonico* ducere, quem *Huetius* (2) et *Berti* ostendunt esse *Nemrod* filium *Chus*. His adde, quod cum *Alexander M.* Babylonem ingressus esset, *Callistenes* ab Aristotele rogatus astronomicas observationes quascunque apud Babylonios collegerit, nullas autem detegere potuerit, quae ultra 1903 annos ascenderent. Iam vero si annis 1903 alios addimus 330, quibus Alexander M. ante Christum vixit, annum habebimus ante Christum 2233, qui iuxta communem chronologiam in tempora Nemrodi incidit, ad quem plurimi Assyriorum, et Babyloniorum regni primordia referunt. His adde, quod *Plinius* (3) duos veteres auctores citet, qui de astronomicis Babyloniorum observationibus loquuntur, nempe *Epigenem*, qui illis annos tantum 720 attribuit, et ipsum *Berosum*, qui licet Chaldaeorum antiquitati impensius faveat, nihilominus fatetur. se observationes tantum invenisse 490 annorum. — *De Aegyptiis* notandum est, quod teste *Herodoto* (4) nuspiam certi aliquid in eorum historia reperiatur ante *Psammeticum*, qui annis ante Christum sexcentis, vel septingentis in Aegypto regnavit. Simili modo *Diodorus Siculus* (5) asserit, se in rebus aegyptiacis nullam firmitatem fide dignam ante troiana tempora invenire. Ambo etiam ostendunt, se *Manethoni* fidem non habere, et fabulosam Aegyptiorum antiquitatem non credere; nam *Herodotus* Manethonis asserta referens ait: « Cuicunque haec credibilia videntur, iis utatur; » et *Diodorus* de Aegyptiis magnae inhiantibus antiquitati, inquit: « Portenta illos narrationum pro veritate amplexos esse. » Pleno iure ergo *S. Augustinus* (6) ait: «Frustra itaque vanis-

(1) Lib. 1, de Divinat. cap. 19.
(2) Dem. ev. prop. 4, cap. 10, n. 6.
(3) Lib. 7, cap. 56. (4) Lib. 2. (5) Lib. 1
(6) Lib. 18 de Civ. Dei, cap. 40.

sima praesumptione garriunt quidam dicentes, ex quo rationem syderum computavit Aegyptus, amplius, quam centum annorum millia numerari... Quomodo non isti ridendi potius, quam refellendi sunt, qui spatia temporum tam diversa, et huic exploratae veritati tam contraria persuadere conantur? Cui enim melius narranti praeterita credimus, quam qui etiam futura praedixit, quae praesentia iam videmus? Nam et ipsa historicorum inter se dissonantia copiam nobis praebet, ut ei potius credere debeamus, qui divinae, quam tenemus, historiae non repugnat. » Nonnulli eruditi existimant, conciliari posse cum Pentateucho ea, quae a Manethone de dynastiis Aegyptiorum scripta sunt, sive asserendo, plures reges simul regnasse, sive annos Aegyptiorum fuisse nostris multo breviores, ita ut annus unius tantum mensis spatium, seu unam lunae conversionem continuerit. — Annales *Sinensium* nullam fidem mereri, eruditissimi Critici sole clarius demonstrarunt. *D. Fouquet*, Episcopus Eleuteropolitanus, qui 25 annis apud Sinenses commoratus est, in erudito opere de *chronologia Sinensi* testatur, viros istius gentis eruditos ultro confiteri, nihil in Sinensium historia certi esse, si altius repetatur, quam a 200 aut 300 annis ante Christum, et hoc idem legitur in libro *Kang-mi*, seu in magnis fastis Sinensibus, a natione in magna auctoritate habitis. Ipse *Confucius*, celeberrimus Sinensium Philosophus, qui 600 ante Christum annis vixit, nihil potuit ultra 200 annos cum certitudine repetere: Sinenses autem nullos habent libros Confucio antiquiores. Omnes enim annales et libros historicos Imperator *Chi-hoang-ti*, qui 230 ante Christum annis vixit, sub poena mortis comburi iussit, ut factis suis maiorem gloriam conciliaret: atque hoc edictum teste *Du-Halde*, aliisque, qui de rebus Sinicis scripsere, summa severitate ubique executioni datum est. Tandem nonnisi 60 annis post dicti Imperatoris mortem unus ex eius successoribus facultatem concessit conscribendi ea, quae de rebus Sinicis orali traditione, et memoria hominum conservata fuerant. En infirmum argumentum annalium Sinensium! Mirum proinde non est, quod in annalibus Sinensium multa fabulosa contineantur ex. gr. quod *Fohi* primi Imperatoris caput quidem humanam, corpus vero serpentinam formam habuerit: quod mater *Hoamti* tertii Imperatoris, foetum ediderit 24 mensibus post conceptionem etc.: quis autem annalibus tot fabulis scatentibus fidem habebit? — Iuxta probabiliorem computandi rationem *Fohi* imperium ad summum tempora illa attingit, quae diluvium immediate subsecuta sunt: imo Fohi non alium esse, quam Noëmum, multi eruditi cum doctissimo *Comite de Stolberg* arbitrantur. Simili modo astronomicis Sinensium observationibus fidendum non est, quoniam in istis absurda continentur, ex. gr. solem per decem dies super horizontem stetisse etc. Neque verisimile est, populum, qui ante Europaeorum adventum ne calendarium quidem perficere poterat, iam per multa annorum millia astrorum conversiones notasse. Imo antiquissima, quae in tabulis Sinensium notatur eclypsis, iuxta probabiliorem calculum anno 185 post diluvium contigit. — Ex his patet quam impudenter *Voltaire* scripserit, ex annalibus Sinensium invictum contra chronologiam Mosaicam argumentum depromi posse.

Obi. 2. Ridicula et absurda multa a Moyse narrantur, uti ex. gr. sunt illa, quae de longaeva Patriarcharum vita, et de Gigantibus referuntur.

Resp. Facta allata intrinsece impossibilia non sunt; et ideo humanae rationi non licet ea a priori reiicere ut falsa, aut deridere ut absurda. Quamvis enim haec facta per leges naturales et vires physicas explicare non possimus, ignorantia tamen modi non tollit certitudinem facti. Quinimo etiamsi vires naturales superatae cognoscantur, omnipotentia divina abunde supplet defectum naturae. — Quod facta allata in specie attinet, observandum est, de longaeva primorum hominum vita profanos quoque historicos loqui, et corpoream illorum firmitatem communi de prosperrimis Saturni temporibus traditioni ansam praebuisse: potuit sane per diluvium aëris temperies mutari, et terra, aquis diluta, minus apta pro frugibus fieri, quibus ante diluvium robur humani corporis conservabatur. Etiam de Gigantibus fere omnes profani historici disserunt, ut ostendit *Grotius* (1). Novissime porro a duce Byron Anglo in America meridionali detecta est gens integra gigantum, qui Patagones vocantur; nec est qui eorum existentiam in dubium vocet. Neque immanis gigantum proceritas a S. Scriptura statuitur, qualem fingunt nonnulli poëtae et auctores, fabulas pro veritate venditantes.

Obi. 3. Quae a Moyse de diluvio narrantur, nullam fidem merentur. Undenam enim tanta aquarum copia erumpere potuit, ut *quindecim cubitis altior fuerit aqua super montes, quos operuerat* (2)? Quid sunt cataractae coeli, quae apertae sunt? Quomodo animalia cuncta in arca congregari, in ista requisito spatio gaudere, et debitum alimentum habere poterant? haec omnia contradictionem et impossibilitatem involvunt.

Resp. Ipsa sana ratio dictat, quod Deus omnipotens plura possit, quam finitus intellectus noster capere valeat; imo quod omnia possit, quae nullam metaphysicam contradictionem involvunt: atqui universalitas diluvii nullam metaphysicam contradictionem involvit, nec ulla ab incredulis ostensa fuit: ergo universalitas diluvii possibilis fuit. Actualis vero eius existentia patet ex Pentateucho, monumento antiquissimo et fide dignissimo, cui non solum unanimis SS. Patrum et interpretum orthodoxorum, sed etiam persuasio omnium populorum accedit. Nam, teste *Ios. Flavio* (3), « huius diluvii et arcae meminerunt omnes barbaricae historiae scriptores, et in his *Berosus* chaldaeus... et *Hieronymus* aegyptius, qui refert antiquitates Phoenicum, et *Manasaeus* damascenus. » Alios profanos scriptores, idem testimonium ferentes, citant *Eusebius* (4) et *S. Cyrillus Alex.* (5). Praeterea diluvii universalis vestigia sunt tot conchylia, pisces, aliaque corpora petrificata, quae in altioribus etiam montibus, longissime a mari dissitis, in omnibus ferme terrae partibus inveniuntur, et a *Fontenellio* rectissime *diluvii numismata* appellantur. Qualis est ergo temeritas, factum negare tam certis argumentis probatum? — Aquarum copia explicari potest, si attendatur, montes quidem ante diluvium fuisse, sed non tantae altitudinis, quales post diluvium facti sunt; et si perpendatur dictum S. Scripturae (6): *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnae, et cataractae coeli apertae sunt.* Aqua ergo non solum ex nubibus, quae *cataractae coeli* nominantur, per copiosam pluviam decidit, sed etiam ex terrae visceribus erupit, et

(1) De verit. Relig. christ. lib. 2, § 16.
(2) Gen. 7, 17 etc.
(3) L. 1 Antiq., cap. 3.
(4) Lib. 9 praep. ev., cap. 4.
(5) Lib. 1, adv. Iulianum.
(6) Gen. 7, 11.

sic aquarum multitudo intelligi potest ad omnem regionem, quam homines incolebant, inundandam sufficiens. Quis enim profunditatem illius abyssi dimensus est? quis numeravit aquas in coelo pendentes? In primo mundi exordio aquae totam terram involvebant; cur non sufficerent ad eam denuo mergendam? — Ceterum multis praeplacet systema, quod compilavit Cl. *De Luc*, dicens, in diluvio talem factam esse in globo terrestri immutationem et subversionem, ut ubi antea mare fuerat, terra continens appareret, et ubi prius homines habitaverant, ibi mare exoriretur; hoc enim posito, sine nova creatione aquarum multitudo intelligitur, et multa phoenomena, quae in variis regionibus observantur, facile explicantur (1). Porro D. *Pelletier* in dissertatione de arca Noë inito calculo demonstrat, arcam, qualis in Genesi describitur, praeter octo homines, omnes animalium species cum omnibus ad victum necessariis continere potuisse. Nulla ergo ex hac parte superest difficultas. Si quaeritur, quomodo tot animalium genera, quorum multa sunt quibusdam regionibus, ex gr. Americae propria, subito in eum locum convenerint, ubi arca constructa erat; respondemus cum *S. Augustino* (2) voluntate ac potestate Dei, ministerioque Angelorum, aut singulari quodam animalibus indito instinctu ea omnia undique congregata et deducta esse in arcam. Ob diluvium enim Deo intererat illa animalia in arcam compellere, quemadmodum Patriarchae Noë promiserat dicens (3): *Bina de omnibus ingredientur tecum:* et quis demum mortalium negare ausit, id Creatorem omnipotenti suo imperio efficere potuisse? — Observandum etiam est, animalia cuncta in uno loco creata fuisse, quibus Adam nomina dedit: paulatim ergo per varias regiones distributa esse: nunc quoque observatur, quod quaedam animalia ex locis evanescant, in quibus antea extiterunt, et quandoque uni tantum regioni propria credantur, cum etiam in aliis inveniantur.

Obi. 4. Gen. IX, 12 Deus dicit Noëmo: *Arcum meum ponam in nubibus, et erit in signum foederis inter me et inter terram.* Atqui iris iam ante diluvium iuxta naturae leges apparere debuit; falsum est ergo, quod Moyses narrat, post diluvium demum iridem in nubibus positam esse.

Resp. Textus hebraicus non habet *ponam*, sed *posui*, et sic evanescit difficultas; si iris iam ante diluvium apparuit (quod tamen non omnes concedunt), fuit tunc effectus mere naturalis per reverberationem radiorum solis in nube rorida productus. Non repugnat autem, rem naturaliter iam existentem in signum ponere, seu ut monumentum statuere, per quod facta, beneficia, vel promissiones in hominum memoriam revocentur. Sic ergo etiam Deus sapientissime constituit, ut homines, iridem videntes, promissionis divinae de diluvio universali non amplius immittendo recordentur.

Obi. 5. Absona, ait *Voltaire*, et ridicula sunt quae Moyses de turri babylonica usque ad coelum pertingente, de linguarum confusione, et de familiarum dispersione narrat, quae per quatuor vel quinque generationes non poterant ad tantam multitudinem excrescere, ut universam terram replere potuissent.

Resp. Absonum et ridiculum est, factum historicum non a Moyse tantum, sed et a profanis scriptoribus relatum, ac populorum traditione

(1) Cf. Com. de Stolberg tom. I Hist. Rel. Diss. de diluvio.

(2) Lib. 15 de Civ. Dei, cap. 27.
(3) Gen. 6, 20.

confirmatum, quale est turris babylonicae constructio, per inanes cavillationes destruere velle; cavillatur enim *Voltaire*, cum vim tantam in in illis vocibus ponit, Gen. XI, 4: *Faciamus turrim, cuius culmen pertingat ad coelum;* hic enim loquendi modus tum sacris, tum profanis auctoribus usitatissimus nihil aliud, quam altitudinem non communem exprimit: S. Scriptura autem testatur, homines id perficere non potuisse, quod temere decreverant. Absonum porro et ridiculum est negare, Deum omnipotentem ex sapientissimo consilio, ut familiae per varias orbis terrarum regiones dispergerentur, efficere potuisse, ut linguae confunderentur. Absonum denique et ridiculum est, circa dispersionem hominum, quam mature factam esse historia docet, difficultates movere, cum Moyses non determinet, qualis hominum multitudo ad varias regiones pervenerit, nec ad quantam distantiam eiusdem labii familiae ab initio migraverint.

Obi. 6. In historia Abrahami variae occurrunt contradictiones. Nam Gen. XI, 26 dicitur: *Vixit Thare septuaginta annis, et genuit Abram, Nachor et Aran;* tamen iuxta omnes chronologistas Thare genuit Abram anno aetatis suae 130; nam (1) mortuus est Thare anno aetatis suae 205, et tunc Abraham habebat 75 annos (2); demptis ergo 75 a 205, remanent 130. — Praeterea Gen. XIV legitur, Abrahamum cum 318 vernaculis quatuor reges percussisse, et persecutum eos esse usque ad Damascum, quod 300 leucis a Sodoma distat. Quis id impossibile non iudicabit?

Resp. Abraham natus est anno 130 patris sui, et ex loco Gen. XI, 26 nihil aliud colligi potest, quam tres illos filios ex Thare fuisse genitos post septuagesimum aetatis annum. Quoto vero anno singuli nati sint, et quis primo, quis secundo, quis tertio loco natus sit, inde colligi non potest; nam ex eo, quod Abram primo loco ponatur ratione dignitatis, non sequitur, quod sit prior tempore. — Abraham cum reges devictos persequeretur, non ex Sodoma exiit, sed ex valle Mambre; ab hac autem valle usque *Dan*, ubi hostem attigit, 50 leucae numerari possunt: porro hostem in fugam actum prosecutus est usque *Hoba*. Quod autem Abraham plures reges cum 318 vernaculis vicerit, nemini incredibile videbitur, si attenderit, reges illos vix unius aut alterius urbis principes fuisse, Abrahamum probabiliter ex regum devictorum copiis aliquas sibi adiunxisse, ac diviso in plures turmas exercitu, nocte irruisse in hostes magna praeda onustos, neque aliquid huiusmodi suspicatos, forsan somno et vino sepultos. Denique, quod praecipuum est, praetermittere non licet, nempe Abrahamum Deum habuisse adiutorem; legitur enim (3): *Benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.*

Obi. 7. Quae de incendio Sodomae, et finitimarum urbium, ac de uxore Loth in statuam salis conversa Gen. XIX leguntur, ut aniles fabulae reiicienda sunt.

Resp. Sodomam cum reliquis oppidis extitisse, et per incendium periisse, non solus Moyses narrat, sed etiam alii profani scriptores testantur, et traditio confirmat. Asserit *Strabo* (4), Sodomam, Gomorrham, Adamam ac Seboim exitio illo vastatas fuisse, restare adhuc sua aetate vestigia eius incendii in ambustis igne lapidibus, quorum aliqui pice fluebant, uti et in solo cinereo et ambusto eiusdem regionis, ubi pariter sunt aquae tetro odore corruptae,

(1) Gen. 11, 32. (2) Gen. 12, 4. (3) Gen. 14, 20. (4) L. 16, c. 15.

et eversarum aedium rudera. *Solinus* (1) et *Tacitus* (2) tradunt, urbes illas coelesti igne conflagrasse; et *Ios. Flavius* (3) scribit, fulminibus vel instrumentis iustitiae, atque ultionis suae deiecisse illas Deus. Credendum itaque est Moysi narranti, praedictas urbes propter peccata luxuriae consumptas esse a Deo, qui vel per miraculum id efficere potuit, vel per providentiam suam ita causas naturales dirigere, ut instrumenta fierent vindictae divinae. — Uxorem Loth in statuam salis conversam quidam naturali, alii supernaturali modo explicant. Putant priores, quod cunctationem in gradiendo affectans, vel retrogressa a materia sulphurea sale, nitro commixta, subito apprehensa, et consumptis vestibus in corpore penitus obducta fuerit. Posteriores ad miraculum recurrunt, et manifestatam nobis omnipotentiam et iustitiam divinam adorant. Uxor Loth Sap. X, 7 dicitur *incredibilis animae memoria stans figmentum salis.* Affirmat *Ios. Flavius* (4) vidisse se statuam illam, quae aetate sua adhuc permanebat; quod idem alii quoque testantur (5).

Obi. 8. Ex. VII, 20 etc. dicitur, quod aqua versa sit in sanguinem, et in tota terra Aegypti fuerit sanguis; et v. 22 dicitur, quod magi aegyptiaci fecerint similiter. Quomodo hi fecerunt similiter, cum non amplius in Aegypto fuerit aqua, quam mutarent in sanguinem? aperta hic occurrit contradictio.

Resp. Hanc difficultatem iam proposuit *S. Iustinus M.* vel quiscunque est auctor responsionum ad orthodoxos, et eandem (6) solvit his verbis: « Omnibus aquis, quae super terram erant, in sanguinem conversis, cogebantur Aegyptii circa flumen fodere puteos (7), et hausta inde aqua seipsos, suaque animalia et pecora sustentare. Ex hac aqua ex puteis hausta fecerunt incantatores sanguinem, nec ullo pacto falsus est sermo. » Alias responsiones dant alii. *Tostatus* et *Liranus* putant, aquam pro maleficiis aegyptiacis celerrime aliunde allatam esse, nimirum vel ex vicino mari (nam solus Nilus cum aliis fluviis videtur in sanguinem versus fuisse per septem dies, v. 4), vel quod verisimilius est, ex terra Gessen, seu ex sedibus Hebraeorum, ubi aquae in sanguinem versae non fuerant (8). *S. Augustinus* (9) et *Bonfrerius* (10) autumant, magos praestigiis suis effecisse, ut, qui revera erat sanguis, aqua appareret; dein praestigiis iterum solutis, esset et appareret sanguis. Omnes istae responsiones clare ostendunt, nullam in narratione hac mosaica contradictionem reperiri.

Obi. 9. Ex. IX, 6 asseritur, quod *mortua sint omnia animantia Aegyptiorum;* et v. 9 legitur: *erunt in hominibus et iumentis ulcera.* Si iam antea mortua fuerant omnia animantia, undenam fuere illa iumenta, in quae sequens plaga ulcerum desaeviit? et undenam Pharaoni post mortua omnia animantia tam numerosus equitatus residuus fuit, quo fugitivos Hebraeos persecutus est? haec manifeste sibi contradicunt.

Resp. Cum Hermeneutis observandum est, quod vox hebraica *xol*, *omne* non semper in S. Scriptura denotet omnia et singula individua, sed interdum solummodo multa paucis exceptis, interdum multa ex omni genere et specie, ex. gr. Psal. XIII, 3: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt;* Dan. III, 7: *Om-*

(1) Cap. 37. (2) Hist. lib. 6.
(3) L. 4, cap. 11. (4) L. 1 Antiq. c. 12.
(5) Cf. Calmet in h. loc.
(6) Resp. ad quaest. 26.
(7) Ex. 7, 24. (8) Sap. 11, 5
(9) Quaest. 25 et 26 in Exod.
(10) Comment. in Ex. 7

nes populi, tribus et linguae adoraverunt statuam auream etc. Matth. IV, 23: *Circuibat Iesus - sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo*, id est omnis generis infirmitates et languores. Hinc etiam verba Moysis de omnis generis animalibus exponi possunt. Ceterum recte observat *Calmet*, textum illum: *mortua sunt omnia animantia*, intelligendum esse de iis omnibus, quae *in agris* deprehensa sunt, neque in stabula reverti potuerunt; non vero de illis animantibus, quae in urbibus et domibus asservabantur; id enim colligitur ex praecedentibus verbis v. 3, quibus haec plaga praedicitur: *Ecce manus mea erit super agros tuos: et super equos, et asinos, et camelos, et boves, et oves pestis valde gravis.* Eodem modo v. 25 ea tantum animalia, quae fuerunt in agris, grandine percussa sunt. Ipsi Aegyptii plagas, quas minabatur Moyses, ita intellexerunt; nam Gen. IX, 20 etc. legitur: *Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos et iumenta in domos* etc.: his notatis omnis difficultas facile tollitur. Cetera, quae ab adversariis obiiciuntur, soluta inveniuntur in *Calmet*, *Laur. Veith* (1), *Th. ex Charm.* (2) et multis aliis.

ARTICULUS II.

De auctoritate reliquorum librorum veteris testamenti.

§. 79.

Pentateucho plures alii libri successerunt, a Iudaeis in maximo honore habiti, nempe *historici*, *sapientiales* et *prophetici*, §. 74 enumerati. Eadem in his libris reperitur Religio, quae Iudaeis per Moysen data est, et quidem in nonnullis veritatibus magis evoluta. Hi libri omnes divinis pleni sunt consiliis, omnes praesentem hominum actionibus providentiam, infelicem impiorum exitum, paternam Dei in bonos pietatem ad oculum demonstrant; ubique sanctissimus spirat virtutis amor, et zelus religionis. Nova hic miracula, nova vaticinia occurrunt, quibus non tantum divina Religionis mosaicae origo confirmatur, sed etiam ad meliorem et perfectiorem via sternitur, ut merito dici possit, his quasi intermediis libris foedus antiquum cum novo, Pentateuchum cum Evangelio connecti. De his iam libris ostendendum est, quod sint *genuini*, *integri* et *fide digni:* haec autem de dictis libris in genere probantur, quia magnum volumen conscribendum esset, si de singulis libris specialis tractatio suscipi deberet, qualis iam inveniri potest apud illos, qui introductionem biblicam, seu criticam sacram ex professo elaborarunt.

1. Praeter Pentateuchum *reliqui quoque V. T. libri sunt genuini.* Dantur quidem inter istos libros aliqui, qui nulli certo auctori tribuuntur; sed quod omnes antiquissimi sint, et ad ea tempora referendi, quibus scripti dicuntur; et quod ii, qui nomen auctoris praeseferunt, illum praecise et non alium habeant, solidissimis argumentis probari potest. Id primo evincitur ex *criteriis internis.* Severa enim multorum saeculorum crisi nihil vel in materia vel in stilo horum librorum inveniri potuit, quod seriorem originem probet; sed potius argumentum et stilus authenticitatem ostendunt. Nam eventus optime inter se cohaerent, et unum totum constituunt, talisque causarum et effectuum series cernitur, ut nulla pars tolli possit, quin totum labefactetur. Omnia conveniunt ordini rerum, rationi temporis, et genio nationis. Quo accuratius Pa-

(1) S. Scriptura contra incredulos propugnata.

(2) Proleg. Diss. 3, c. 1, q. 12.

laestinae loca ab itinerantibus examinata fuerunt, eo maior apparuit factorum narratorum harmonia. Quilibet liber proprium sibi spiritum et stilum praesefert, qui pro vario culturae gradu varias formas induit. Tropi et similitudines ex illis regionibus desumuntur, in quibus libri conscripti dicuntur. Intima etiam omnium librorum inter se connexio, qua fit, ut posteriores semper priores supponant, eorundem authenticitatem commonstrat. Accedunt *notae extrinsecae* maximi ponderis, nimirum persuasio unanimis et traditio constans nationis iudaicae, quae certe maioris est ponderis, quam si plures etiam privati scriptores de authenticitate testimonium ferrent: traditionem hanc sustentat canon Esdrae a magna synagoga confirmatus, versio 70 Interpretum 280 circiter annis ante Christum adornata, et canon christianorum. Magni porro momenti est, quod nunquam contra librorum praedictorum authenticitatem dubia alicuius ponderis mota fuerint. Rem denique conficit *reflexio critica*. Non potest enim suppositionis assignari *tempus*, quia auctores viventes dolum et fraudem detexissent, et iisdem mortuis deceptor haud facile fidem sibi conciliasset, amicis et coaevis auctorum nihil de tali opere cognoscentibus; libri enim scripti illis temporibus minime frequentes erant, et ideo maiorem attentionem excitantes suppositionem eo difficiliorem reddiderunt. Non potest determinari suppositionis *auctor;* ethnicus enim non tam bene de mosaica religione, et iudaeus, si solum deceptorem agere decrevisset, non tam male de sua natione scripsisset. Tandem non potest explicari *modus*, quo impostor quidam toti nationi persuadere potuisset, ut in canonem librorum sacrorum suorum opus susciperet, in quo plurima eidem valde probrosa continentur, quin auctorem cognosceret virum gravem, omni fide dignum.

2. Praeter Pentateuchum *reliqui libri V. T. integri ad nos pervenerunt.* Nam substantialem corruptionem factam non esse, satis solide probant summa Iudaeorum in libros suos sacros religio, diligentissima eorundem custodia, ac frequens usus, consensus quoque codicum iudaeorum et samaritanorum, atque versionum antiquae graecae 70, chaldaicae, syriacae, Aquilae, Symmachi, Theodotionis etc.; tandem interpolationis impossibilitas, quae in omnibus exemplaribus omnium Iudaeorum in variis locis et provinciis habitantium fieri debuisset, quia secus corruptio facile detecta fuisset. Praecipue autem circa Prophetias Messianas haec interpolationis impossibilitas evidenter ostendi potest; prophetias enim post eventum confingere non potuissent Christiani, quoniam multa Prophetarum exemplaria in manibus Iudaeorum aderant, et sancte ab istis conservabantur; neque ante eventum, seu ante Christum dictas prophetias confingere aut voluissent, aut potuissent Iudaei, praecipue tempore illo, quo falsas de Messia, Rege terreno et potentissimo, notiones mentibus suis alte defixas gerebant.

3. *Libros indigitatos fide dignos esse*, iisdem fere argumentis probatur, quibus veritas Pentateuchi evicta fuit. Nam facta in illis referuntur publica, ad totius gentis historiam pertinentia, cum nationis integrae statu et fatis intime connexa, non raro toti populo probrosa, aut etiam principibus maxime dilectis, quique ut gloria gentis suae decusque habebantur, parum decora. Haec autem narrantur a viris vel coëtaneis, vel tempori, quo res contige-

runt, proximis, scientia, dignitate, pietate et religionis studio insignibus, quorum in narrando candorem et ingenuam simplicitatem non possumus satis admirari. Hinc etiam tota gens hebraea, quae scriptorum notitiam et probitatem nosse debebat, illorum narrationi plenam semper fidem praebuit. Facta porro narrata cum ratione temporis, cum serie eventuum, et cum Historicis profanis quoad substantiam mire conveniunt. — Haec argumenta veritatem librorum *historicorum* satis evincunt. Veritas librorum *sapientialium* hic speciatim probare necesse non est; in istis enim libris praeclara contineri documenta, ipsi quoque Philosophi non diffitentur. Veritas *Prophetiarum* ex ipso eventu suo loco probabitur.

Nota. Increduli sicut Pentateuchi, ita etiam reliquorum librorum V. T. auctoritatem labefactare conati sunt, et ideo varias difficultates moverunt, quae solutae inveniuntur tum in auctoribus §. praec. citatis, tum in D. *Ianssens* (1), *Huet.* (2), *Gotti* (3), *Bergier* (4), *Beda Mayr* (5), atque in aliis multis. Aliquas tamen difficultates, quas saepe recoquere adversarii solent, hic recensere et refellere oportet.

Obi. 1. Nonnulli libri V. T. dantur, quorum auctor non cognoscitur, aut saltem incertus est. Sic incertum est, an Iosue librum conscripserit, quia in volumine ipsi adscripto occurrunt nomina et facta Iosue posteriora. Auctor libri Iudicum penitus ignoratur. Idem dicendum est de libris quatuor Regum. Duos priores quidem Hebraei adscribunt Samueli, quod autem absonum est, cum historiam perducant usque ad unctionem Salomonis in regem. Non potest autem ostendi, librum esse fide dignum, cuius auctor nescitur, cum de huius notitia et pietate nulla certitudo haberi queat.

Resp. Si nobis auctores nonnullorum librorum V. T. ignoti sunt, absque dubio Iudaei cognoverunt, istos quoque libros a viris doctrina et pietate conspicuis, atque ideo omni fide dignis conscriptos esse. Nec mirum est, quod quidam libri non speciali cuidam auctori adscribantur, cum quandoque in elucubrando libro plures viri, Spiritu divino pleni laboraverint. Apud Hebraeos enim, sicut et apud alias gentes acta annua et diurna in litteras diligentissime relata sunt. Imprimis Iudices a Deo constituti, et Prophetae Spiritu divino repleti, id sibi negotium sumpserunt, ut res aetatis suae memorabiles litteris consignarent. Varia habentur huius rei argumenta in ipsis Regum libris, in quibus saepe laudantur *liber verborum dierum Salomonis* III Reg. XI, 41, *et liber verborum dierum Regum Iuda:* ibid. XV, 7, XVI, 5, XXII, 29, IV Reg. I, 18, VIII, 23, X, 34 etc. Item I Paralip. XXIX, 29 dicitur: *Gesta autem David Regis priora et novissima scripta sunt in libro Samuelis Videntis, et in libro Nathan Prophetae, et in volumine Gad Videntis.* Et II Paralip. XXVI, 22: *Reliqua autem sermonum Oziae priorum, et novissimorum scripsit Isaias, filius Amos Propheta:* et XX, 34: *Reliqua gestorum Iosaphat priorum, et novissimorum scripta sunt in verbis Iehu, filii Hanani, quae digessit in libros Regum Israël.* Ita fieri potuit, ut ea, quae successive a pluribus viris fide dignis conscripta fuerant, postea a viro insigni, et magnae auctoritatis in librum collecta fuerint, quem tamen, utpote a pluribus exaratum, ille non sibi soli ad-

(1) Hermen. sacra.
(2) Demonstr. evang.
(3) Veritas Rel. christ. etc.
(4) Apologia Rel. chr.
(5) Defensio Religionis etc., tom. I.

scribere voluit, sed nullius scriptoris nomen apposuit. — His praenotatis propositae difficultates etiam singillatim enodari possunt. Dubitari non potest, Iosue auctorem esse libri, qui ipsius nomen gerit, quoniam Ios. XXIV, 26 dicitur de Iosue: *Scripsit quoque omnia verba haec in volumine legis Domini;* et Ecclesiasticus cap. XLVI ait de Iosue, eum successorem Moysis fuisse *in Prophetiis*, id est, in librorum, qui divinitus inspirati sunt, scriptione. Si quae nomina, vel facta occurrunt Iosue posteriora, dicendum est, ea a Iudice, vel Propheta posteriore, forte a Samuele addita esse. — Concedimus, librum Iudicum ab ipsis Iudicibus in ea forma, qua nunc extat, non esse conscriptum, cum unius texturae opus esse appareat. Attamen vetustissimum esse dubitari non potest, atque ante septimum Davidis annum exaratum fuisse, vel ex eo evidens est, quod caput I Iebusaei dicantur habitare in Ierusalem usque in praesentem diem : constat autem ex II Reg. V eos a Davide ex urbe fuisse expulsos. Ex his coniiciunt eruditi, *Samuelem* libri auctorem esse; neque enim probabile est, Prophetam hunc, cum rempublicam Hebraeorum Dei nutu et consilio restituendam suscepisset, praeteritarum rerum, quarum Deum auctorem agnoscebat, et quae ad populi instructionem et commonitionem quam plurimum valebant, memoriam ita neglexisse, ut eas oblivione extingui pateretur; sed potius ex commentariis variis temporibus exaratis Iudicum historiam collegisse, et concinnasse credendum est. — Quod demum duo priores libri Regum *Samuelis* esse dicantur, ratio est, quia primus liber ab historia Samuelis incipit, et priora capita a Samuele scripta sunt, quibus dein in eodem volumine a *Nathan*, et *Gad* Prophetis addita sunt, quae post Samuelis mortem contigerunt. Quae posterioribus temporibus contigerunt, scripta sunt ab aliis Prophetis, in regno Iuda, aut in regno Israël quovis tempore existentibus, praecipue vero ab *Isaia* (1) et a *Ieremia*, quem nonnulli librorum Regum auctorem esse volunt. Alii vero putant *Esdram* libros Regum exarasse; certum est autem, ipsum hoc opus, consentiente et approbante synagoga suscepisse, et praemanibus habuisse publica commentaria, ex quibus fortassis omnes quatuor libros digessit.

Obi. 2. In libro Iosue cap. X narratur, solem et lunam stetisse ad vocem Iosue, et quidem spatio unius diei. Multa autem sunt, quae probant, istud factum nullo modo admitti posse; *primo* enim S. Scriptura falsum loquitur dum dicit *solem stetisse;* notum enim est, non solem circa terram, sed terram circa solem moveri: *secundo*, si statio solis et lunae vere contigisset, totum universum perturbari debuisset, et omnes observationes astronomicae fallerentur: *tertio*, haec statio solis ubique observata fuisset, et totius mundi admirationem excitasset; constat autem, in nullo profano scriptore de ea mentionem fieri. Ne ergo Iosue de solemni mendacio argueretur, dicendum erit, parelion in coelo apparuisse, et a rudibus Hebraeis pro sole habitum fuisse.

Resp. Ad hanc difficultatem respondendum est, quod Christus (2) dicit: *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Deus, qui terram et astra creavit, eisque motum indidit ac praescripsit, eadem facilitate efficere potuit, ut per aliquod tempus eorundem motus sistatur. Temerariae ergo mentis est, factum ab Auctore fide digno relatum, ideo tantum negare, quia in illo miraculum omnipoten-

(1) II Paral. 26, 22. (2) Matth. 19, 26.

tiae divinae exhibetur. Rationes, quas nobis adversarii opponunt, nullius sunt momenti. Tametsi enim terra reapse circa solem moveri ponatur, ut Copernicani volunt, tamen Iosue coram rudi exercitu inepte dixisset: Sta, terra; sed recte dixit: *Sol, contra Gabaon ne movearis;* et recte inferius dicitur: *Stetit itaque sol in medio coeli.* Ipsi enim astronomi hodierni, utut systema terrae motae ex animo amplectantur, tamen non modo in sermone vulgari, sed etiam in tabulis et ephemeridibus suis utuntur his et similibus loquendi formulis: *Sol oritur, occidit, meridianum attingit, declinat ad boream, vel austrum* etc., ut nimirum communi hominum usui sese accommodent, receptasque loquendi formulas non deserant. « Quanto igitur minus, ait *Keplerus*, celeberrimus Mathematicus (1), exigendum erit a scripturis divinitus inspiratis, ut repudiata vulgari loquendi consuetudine, verba sua ad scientiae naturalis amussim adpendant, abstrusisque et importunis locutionibus de rebus ultra captum erudiendorum, populum Dei simplicem perturbent, eaque re viam ipsis ad scopum suum longe sublimiorem intersepiant. » Nihil ergo falsi in citatis S. Scripturae verbis invenitur. — Errant porro adversarii, dum putant, propter solis stationem totum universum perturbari debuisse. Agitur enim hic de miraculo, cuius auctor solus Deus esse potest, qui cursum unius planetae inhibendo utique efficere potuit, ut reliquae mundi partes nihil inde paterentur. Recte idcirco doctissimus *Usserius* (2) dicit: « Cum sol et luna simul et coeperint et desierint stare, haec mora nihil turbat calculos astronomorum. In concentu musico harmonia salva manet, modo voces in signo aliquo concursus quiescant, et post ad suas quaeque vox leges symphoniam prosequatur. Perturbatio tunc oritur, si discrepent soni et confundantur, vel calculi concurrentes semper nunc ita repente varient, ut uniri et componi iam minime possint. Paucis, sole et luna ad imperium Iosue quiescentibus, quiescebant simul et cetera astra; progressis iterum, et illa resumpserunt intermissum cursum. » — Silentium profanorum scriptorum est argumentum negativum, quod non enervat positiva, quae non solum ex libro Iosue, sed etiam ex Habacuc cap. III, et ex Eccli. cap. XLVI petuntur. Notandum etiam est, non inveniri scriptores profanos *Moysi* et *Iosue* coaevos. Nec enim gentilium libri, quorum notitiam habemus, quidquam eorum, quae ante bellum troianum contigerunt, commemorant praeter pauca, quae vel ex traditione Gentilium corrupta hausta fuerunt, vel ex ipsa S. Scriptura, cum percepissent alieni a vera religione homines, sua conspurcarunt vanitate. At bello troiano vetustiores sunt res a Iosue gestae annis saltem trecentis. Quod autem posteriores scriptores ethnici iosuanum miraculum ex libro Iosue non descripserint, et in scripta sua retulerint, multiplex causa assignari potest. Id enim fieri potuit, vel quia tam stupendum, et ante plura saecula patratum miraculum (quod apud plerasque gentes nec prosperos, nec funestos effectus produxit), non crediderunt, vel quia librum Iosue ad manus non habuerunt, vel denique, quia noluerunt rem enarrare in laudem Hebraeorum et religionis iudaicae, quae idololatriam et idololatras tantopere detestatur. Ceterum aliquod vestigium memorati grandis miraculi deprehendimus in pervetustis sinensium annalibus, in quibus

(1) In epit. astron. ad fin. l. 1

(2) In annal. V T. p. 1, aetat. 4, ad annum mundi 3291.

teste *Martino Martinio* (1) narratur, quod regnante *Iao* septimo Sinensium imperatore, *sol diebus decem non occiderit*, cui narrationi miraculum solis ad imperium Iosue stantis, et apud Sinas quoque visibile occasionem dedisse videtur, quamvis sinenses illi annalistae, quemadmodum in aliis faciebant, fabulam admiscuerint, et rem exaggerantes, uni diei, quo sol steterat, decem dies substituerint. Absonum autem est, stationem solis mediante *parelio* explicare velle. Nam vel sol infra horizontem demersus cursum suum continuavit, vel non. Si primum: ergo parelion *spatio unius diei* naturaliter perdurare non potuit, ut quilibet non omnino rudis facile perspicit; parelion enim, seu refractio lucis tam vivax, ut imaginem solis diemque exhiberet, plane non potuit tamdiu perdurare, siquidem sol reapse occubuisset, et infra horizontem cursum continuasset. Si secundum: ergo hoc ipso miraculum solis in suo cursu inhibiti admittitur.

Obi. 3. Absona et incredibilia sunt, quae in libro Iudicum cap. XV et seq. de *Samsone* leguntur. Incredibile enim est, unum hominem eodem tempore et in eadem regione trecentas vulpes cepisse, earum caudas iunxisse, et per faces alligatas incendium excitasse, quod facilius per se, per alios homines, vel canes, feles etc. excitare potuisset. Fabulis porro Gentilium simillimum est, quod Samson maxilla asini mille viros interfecerit, quod aqua ad levandam Samsonis sitim de maxilla asini scaturierit, et quod exinde fons aquarum perennis enatus sit. Denique rationi et religioni repugnat, quod cap. XVI narratur, Deum vires insolitas Samsoni concessisse ad duas domus columnas concutiendas ex perverso fine ultionem de inimicis sumendi, et seipsum occidendi. Liber, qui talia narrat, nullam prorsus fidem meretur.

Resp. In allata historia perpetuo attendendum est, Samsonem non tam per vires naturales, quam potius per robur supernaturale stupenda perfecisse. Deum enim gratias, quas dicunt *gratis datas*, etiam peccatoribus hincinde concedere, ostendunt *Balaam* (2) et *Caiphas* (3), qui ambo prophetaverunt (4). Ita etiam Samsoni, quamvis ipsius vita immaculata non esset, supernaturale robur concessum est; nam ex S. Scriptura colligitur, Samsonis vires fuisse supernaturales, ac miraculosum quoddam donum, quia a Spiritu Dei, qui in ipsum irruebat, proveniebant (5); erant etiam permanens donum atque habituale, voluntate Dei ipsius comae et Nazaraeatui adhaerens, donec illud culpa sua amitteret (6). Deus ergo in hac celebri historia omnipotentiam et sapientiam suam manifestavit, dum mira patravit et per unicum hominem superbos Philisthaeos confudit; ostendit etiam iustitiam suam tum in Philisthaeos verae Religionis contemptores et Israëlitarum oppressores, tum in Samsonem, quem ob culpam commissam deseruit, et in miserrimum statum deiecit; ostendit denique misericordiam suam, dum Samsonem poenitentem iterum adiuvare dignatus est. Qui historiam Samsonis sub altiori hoc respectu considerat, nihil in ea inveniet, quod Deo indignum sit, aut propter quod liber Iudicum suspectus reddatur. — Ut autem appareat, nullam contradictionem in allata historia inveniri, et ne miracula sine

(1) In sinensi Hist. lib. 1, pag. 25, edit. monacens. an. 1658.
(2) Num. c. 22, v. 5; et c. 24, v. 17.
(3) Io. 11, 49 etc. (4) Cf. Matth. 7, 22.
(5) Iud. c. 14, v. 6; et c. 15, v. 14
c. 16, v. 17-21.

causa multiplicentur, speciatim ad propositas difficultates respondere oportet. *Primo* ergo tum ex S. Scriptura (1), tum ex profanorum scriptorum testimoniis patet, Palaestinam vulpibus scatere; atque ideo nequaquam incredibile est, quod Samson brevi tempore, adhibitis fortasse quibusdam retibus, aut aliis instrumentis venatoriis, ac adiutoribus venationis sociis tercentas vulpes ceperit; nullibi enim legitur, a Samsone solo, aut intra unum diem id factum esse, neque obstat Scriptura Samsoni captas vulpes adscribens; nam quod quis per alium facit, id censetur ipse facere. Ope bestiarum autem Samson hoc incendium disseminare maluit, quam hominum, quia sic citius, et minore sui suorumve periculo, voti fiebat compos. Ex bestiis vero omnibus merito visae sunt aptissimae vulpes, quia oblongior ipsorum cauda optime facibus deferendis inservire poterat, quas adnectere illis volebat; et quia eadem animalia ignium sunt maxime metuentia, et pedibus velocissima, semperque hac illac oblique feruntur, sicque prae ceteris animalibus melius flammas per Philisthinorum agros disseminare poterant. — Quoad *secundum*, asini, uti magna habent duraque capita, sic et maxillas, praesertim in Syria, ubi sunt grandiores et fortiores nostratibus. Accedit, quod maxilla illa fuerit asini haud ita pridem mortui, ut paraphrasis chaldaica habet, adeoque magis tenax et minus fragilis, quam si fuisset exsiccata et arida. Hoc insuper habito naturaliter vix fieri poterat, ut Samson una maxilla occideret mille viros; sed Dei virtus ei adfuit, quae et maxillam in suo robore conservavit, ut tot ictibus allisa duris corporibus non rumperetur, ac Samsoni vires dedit, ut hoc instrumento mille viros necaret, qui probabilius, cum viderent, Samsonem funes perquam fortes ut filos dirupisse, timore perculsi fugam inordinate capesserunt. Ceterum tam stupendam victoriam retulit Samson, qui erat iudex et vindex illius populi, cui Deus Levit. XXVI, 8 promisit, si praecepta servaret: *Persequentur quinque de vestris centum alienos, et centum de vobis decem millia;* et Iosue XXIII, 10: *Unus e vobis persequetur hostium mille viros, quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est.* — In aqua ex maxilla profluente certe occurrit miraculum; neque ulla implicantia aut impossibilitas huius miraculi ab incredulis ostendi potest. In declarando autem miraculo interpretes dissentiunt. Nonnulli cum *Cornelio a Lapide* putant, quod aqua ex terra, in quam Samson maxillam asini proiecerat, erumpens in maxillam per huius dentem molarem scaturierit, aut, cum adhuc ibi iaceret asinina maxilla, ex hac sola fluxerit: ipsa vero post remota, e terra coeperit scaturire. Alii autem cum *Calmeto* dicunt, quod aqua per miraculum educta fuerit ex petra, cui nomen *dens maxillaris* inditum fuit, et ex qua postea fons perennis manavit. Ita miraculum explicant paraphrasis chaldaica, *Ios. Flavius* (2), paraphrastes *Ionatham*, et interpretes plurimi, quia aspera et praerupta saxa saepe apud Hebraeos dentes vocantur, ut I Reg. c. XIV, v. 4 et 5; Iob XXXIX, 28. — Quod *tertium* attinet, observandum est, Samsonem oculorum lumine orbatum, et ad maximam miseriam redactum seriam de peccatis suis poenitentiam egisse, et apud Deum misericordiam obtinuisse. Quamvis autem in fusa ad Deum oratione videatur privatam de hosti-

(1) Cant. 2, 15. Thren. c. 5, v. 16; et c. 15, v. 4.

(2) L. 5 antiq. Iud., c. 10.

bus suis ultionem expetere (1), dubitare tamen non licet, ipsum tamquam personam publicam, iudicem et vindicem populi israëlitici omnem hanc ultionem retulisse ad Dei honorem et reipublicae suae bonum, utque laudes idolo Dagon a Philisthaeis ob se captum attributas (2) adimeret, et Deo vero restitueret; qui finis erat sapientissimus et sanctissimus. Hunc finem potuit intendere, quamvis praevideret, se mortem effugere nequaquam posse, dummodo hac in re ad hostium detrimentum et Dei gloriam, veluti primam praecipuamque rationem animum adverterit, mortem autem suam indirecte duntaxat voluerit, aut potius permiserit veluti quid necessarium, ut rectum laudibusque dignum facinus exequatur. Samsonem vero hanc rectam intentionem habuisse, ex eo patet, quia Deus, qui solus intuetur corda et renes, ipsum exaudivit, et mirabile robur restituit; et quia S. Paulus Samsonem illis V. T. Sanctis adnumerat, *qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones* etc. (3). Imo *S. Augustinus* (4) et *S. Bernardus* (5) aliique contendunt, Samsonem Deo inspirante et iubente ultionem de inimicis sumpsisse, et propriam vitam sacrificasse. Deum autem absolutum vitae necisque Dominum esse, ratio et revelatio docent. Quam absona ergo sunt quae adversarii deblaterant! —

Obi. 4. Incredibile est, quod IV Reg. XIX, 35 narratur, nempe unicum Angelum unica nocte interfecisse 185000 Assyrios, ipsum autem ducem *Sennacherib* intactum reliquisse: cur historici ethnici et profani de ingenti hac strage nihil meminerunt? Absona etiam sunt quae de retrogradatione solis in horologio Achaz IV Reg. XX, 8 etc. dicuntur; tale enim miraculum maximas perturbationes producere, et ubique observari potuisset, de quo tamen nil prorsus legitur.

Resp. Factum l. IV Reg. c. XIX narratum, nullatenus incredibile est, praesertim si Angelorum summam in movendo et agendo celeritatem consideremus. Praeterea cum angelicae naturae potentiam et vires non perfecte perspectas habeamus, hoc ipso imprudentissime negatur, virtute angelica produci posse effectum, quem ab Angelo productum fuisse S. Scriptura tot ac tantis divinitatis notis insignita expresse testatur. Non legitur autem quo medio vel instrumento Angelus usus fuerit: tradunt Hebraei, et cum iis *Abulensis* et *Cajetanus*, Assyrios ab Angelo igne occulto (quem *Ios. Flavius* pestilentiam vocat) fuisse percussos; neque hanc Hebraeorum sententiam *S. Hieronymus* et *S. Thomas* videntur improbare. *Sennacherib* vero ab Angelo occisus non est, ut reservaretur poenae maiori. Imprimis enim punitus est in damno, quod pertulit perdito exercitu; dein in ignominia, quam sustinuit in terra sua, ad quam fugitivus et fere solus, seu, ut Hebraei dicunt, cum decem viris reversus est; denique mors ipsius durior et acerbior fuit, cum a propriis filiis suis occideretur. Falsum porro est, quod huius ingentis stragis Assyriorum scriptores ethnici non meminerint; eiusdem enim mentionem faciunt *Herodotus* (6) et *Berosus* (7), prout erudite ostendit *Abulensis* (8). — Quod secundum miraculum attinet, necesse non est admittere, quod hoc prodigium totus terrarum orbis observaverit. Nam *Vatablus, Arias Mon-*

(1) Iudic. 16, 28. (2) Ib. v. 23 etc.
(3) Hebr. 11. (4) L. 1 de Civ. Dei, cap. 21.
(5) De praecept. et dispens., c. 5.
(6) In Euterpe, lib. 2.
(7) In Hist. Assyrior.
(8) In lib. 4 Reg. 19. quaest 26.

tanus, *Emmanuel Sa*, *Weissenbach* et alii graves interpretes censent, solam umbram in horologio regis Ezechiae retrocessisse, non vero ipsum solem: quo admisso propositae difficultates evanescunt. Quodsi cum aliis concedatur, ipsum solem retrocessisse, eadem recolenda sunt, quae iam dicta fuerunt in resp. ad obi. secundam.

Obi. 5. Absona et incredibilia sunt quae Dan. IV de Nabuchodonosore dicta sunt, ut quod mutatus dicatur in belluam, quod septem annos homo prius in regiis deliciis enutritus, nudus hiemes aestatesque transegerit, pastus foeno et coelesti rore madidus; quod post statum illum ignobilem et sordidum non solum admissus fuerit, sed etiam quaesitus ab optimatibus in regnum; et plura eiusmodi, quae nemo prudens facile credet.

Resp. Quae de Nabuchodonosore leguntur, extraordinaria quidem sunt, sed non incredibilia. Nam divinae Maiestati maxime conveniebat impiissimi regis superbiam edomare terribili hac calamitate, et populos insigni prodigio edocere, unum esse coeli terraeque Regem, cui omnia subdita sint, oportet. An forte quis prudens dubitare poterit, Deum omnipotentem, qui ex limo Adamum fecit, externam impii regis formam mutare, eumque in hoc tristissimo statu per septem annos conservare potuisse? Ceterum non dicitur, regem fuisse in feram mutatum, sed solum externam quamdam bovis formam exhibuisse. Verosimilius est, plagam a Deo immissam morbum aliquem fuisse, qui Latinis melancholia canina aut lupina dicitur, Graecis λυκανθρωπία, quo qui laborant, ita quandoque insaniunt, ut in feras se mutatos esse imaginentur, et cum mentis usu etiam oris et linguae usum perdant, atque incondi-tas tantum et bestiales voces emittant, aliaque, quae feris propria sunt, faciant et patiantur. Nonnulli porro putant, quod per *septem tempora* septem menses intelligantur, aut forsan quatuordecim, si ad morem Orientalium attendimus, quo annum in sex partes aut tempora dividunt. Demum Nabuchodonosor cessante phrenesi, et redeunte mentis usu, poenitentiam agens mirabiliter pristinae formae, et ideo etiam regno restitutus est, ad quod animus subditorum de praesenti regimine male contentus, et auctoritas Danielis conferre poterat.

Obi. 6. Risum merito movet historia *Ionae*, cum non inveniatur tam grandis piscis, qui hominem adultum deglutire et in se continere possit: quodsi Ionas in ventre piscis fuisset, ob vehementem calorem, ob defectum respirationis, et alias causas perire debuisset. Incredibile etiam est, quod rex gentilis, moribus corruptissimus, ad ignoti hominis praedicationem mox cum suo populo rigidam poenitentiam egerit. Ergo tota historia fidem non meretur, vel ad summum ut parabola est consideranda.

Resp. Nihil est in historia Ionae quod aut Deum dedeceat, aut divinam superet potentiam; atque hoc nobis sufficit. Itaque necesse non est historiam in parabolam vertere; hoc enim nec ipsa narratio patitur, neque, qui eam respiciunt evangelici textus Matth. XII, 40, Luc. XI, 30. Multi putant, piscem, qui glutivit Ionam, fuisse balaenam, quae, si parva sit, arctioris quidem est gutturis; si autem valde magna sit, facile homines et boves integros deglutit, ut observat *Cornelius a Lap.* Alii vero credunt fuisse *carchariam* seu *lamiam*, id est canem marinum, de quo constat, quod homines integros deglutiat. Quodsi Ionas natura-

liter in ventre piscis conservari non potuit, id factum est supernaturaliter ab illo Deo, qui tres pueros in camino ignis servavit illaesos. Denique tametsi rex et eius subditi perditissimis essent moribus, moti tamen sunt ad credendum Ionae per miraculum liberationis huius prophetae a ventre ceti, quod idem propheta eis narravit, quodque per nautas et alios undique iam sparsum erat. Accessit (id, quod caput rei est) interna Dei illustratio et inspiratio, quae animos Ninivitarum movit ad credendum Ionae, et poenitendum. Persuasit id etiam ipsis gravitas, prudentia pietasque Ionae, quae plane ostendebant, eum non esse fatuum, non mendacem, sed virum prudentem, pium ac fide dignum.

Obi. 7. Prophetae contendunt, se Dei iussu fecisse, quae rationi aut religioni contraria sunt, ut cum Isaias cap. XX per tres annos nudus ambulavit, cum Ezechiel cap. III volumen comedit, quod factum est ut mel dulce, et cap. IV iussus est super sinistrum latus dormire per dies 390, et super dexterum per dies 40, imo et panem humano stercore operire; cum Oseas cap. I declarat, se praeceptum accepisse a Deo, ut sumeret sibi uxorem fornicationum, et faceret filios fornicationum. Talia praecepta Deum quam maxime dedecent.

Resp. Prophetae non verbis tantum futura praenuntiabant, sed et actionibus symbolicis, idque mandante Deo, ut scilicet quae praedicebantur, oculis quoque subiecta fortius animis imprimerentur. Cum autem haec genio illorum temporum maxime convenirent, talia praecepta sapientissima erant, nec in iis occurrit, quod rationi aut religioni adversaretur. Nam *Isaias* nudus incessisse dicitur, quia deposita exteriore veste, qua homines liberi utebantur, vili tunica indutus erat more servorum, ut designaret Iudaeos servos futuros; vox enim *nudus* non semper absolutam nuditatem significat (1). — *Ezechiel* iussus est comedere volumen *spiritualiter*, per visionem, seu in animo, ut patet ex v. 10: *Omnes sermones meos, quos loquor ad te, assume in corde tuo;* in quo etiam suavitatem eloquiorum divinorum sensit. Porro super unum latus statutis diebus non continuo dormire, sed, ut in textu hebraico habetur, *iacere*, seu *decumbere* debuit, quod pro Propheta mortificatio, pro aliis vaticinium fuit. Mentitur Voltaire dicens, Prophetam iussum fuisse panem cum humano stercore manducare; nam Prophetae v. 9-15 iniunctum fuit, ut panem suum super fimo bovis coqueret, idque nullius admirationem habebit, si attendatur in regionibus Orientis, quae ligni penuria laborant, homines pauperes fimo armentorum ad solem indurato uti ad coquendos panes; nec poterat summa miseria, quam populo praenuntiabat, significantius exprimi. — *Oseae* non dixit Deus: sume tibi mulierem ad fornicandum, sed sume tibi *uxorem fornicationum*, id est mulierem antea fornicationibus deditam tibi matrimonio coniunge, et filios ex ea procrea. Ita haec verba exponunt *S. Augustinus* (2), *S. Hieronymus* et alii.

(1) Cf. II Reg. cap. 14 et 20.

CAPUT II.

DE AUCTORITATE LIBRORUM NOVI TESTAMENTI

§. 80.

Praecipua Religionis christianae argumenta ex libris N. T. hauriuntur. In his Religionis suae ortum, in his Filii Dei inter homines conversantis exempla et coelestem doctrinam, in his vaticinia, quae ex ipso

(2) L. 22 c. Faust. cap. 6. et 80. et 89.

Christi ore profluxerunt, atque illa, quibus orbis subactus est, Christi et Apostolorum miracula reperit christianus, cuius proinde officium est, libros istos accurate cognoscere, et maximi aestimare. Nonnulli distinctionem librorum V. T. etiam libris N. T. applicant. *Libros legales* appellant quatuor Evangelia, pro *libro historico* afferunt Acta Apostolorum, *libros sapientiales* dicunt esse Epistolas S. Pauli quatuordecim, et septem canonicas; unum denique adducunt *librum propheticum*, nempe Apocalypsin S. Ioannis. Quidquid sit de ista divisione, summi profecto momenti est, ut istorum librorum auctoritas vindicetur, seu ut demonstretur, libros N. T. esse *genuinos*, *integros* et *omni fide dignos*. Priusquam autem ad hanc demonstrationem accedamus, breviter singulos libros recensere iuvat iuxta ordinem, quo in Vulgata continentur.

1. *Matthaeus*, alio nomine *Levi* appellatus, primus *Evangelium* scripsit circa annum aerae vulgaris 40. Scripsit autem in usum potissimum Iudaeorum, qui Christi fidem amplexi fuerant, ideoque linguam adhibuit hebraicam, vel syro-chaldaicam, apud Iudaeos in Palaestina tunc vernaculam. Hoc Evangelium in ea, qua scriptum est, lingua non extat; habetur autem versio graeca Apostolorum tempore exarata. Matthaeus id praecipue intendisse videtur, ut Iudaeis probaret, Iesum esse Messiam a Deo promissum, et prophetias V. T. in eo esse impletas.

2. *Marcus* S. Petri discipulus et interpres, ut ait *S. Hieronymus*, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romae a fratribus breve scripsit Evangelium, quod cum Petrus audivisset, et probavit, et Ecclesiae legendum sua auctoritate dedit. Nonnulli putant, S. Marcum non nisi Evangelium Matthaei, quod prae manibus habuit, descripsisse, et in compendium redegisse, unde eundem Matthaei breviatorem appellant: alii vero id non admittunt, quia S. Marcus ordinem chronologicum accuratius servat, et quaedam, quae a S. Petro prolixiore sermone prolata audierat, fusius narrat, quam Matthaeus. S. Marci Evangelium creditur Romae scriptum circa annum 44 aut 45 graeco, ut probabilius est, idiomate. Videtur eo potissimum collineasse, ut Iesum regem summum, rerumque omnium Dominum ostenderet.

3. *Lucas* natione Syrus, S. Pauli adiutor et comes individuus, ex iis, quae ab Apostolis acceperat, Evangelium suum composuit. Plura refert, quae desiderari videbantur in iam evulgatis Matthaei et Marci Evangeliis. Scripsit graece stilo perquam polito circa annum 53. Teste *Origene* pro Gentilibus potissimum Evangelium exaravit, hocque maxime intendisse videtur, ut Christum vere Iesum, id est Salvatorem mundi esse ostenderet.

4. *Ioannes* Iesu Christi Apostolus ab Asiae Episcopis rogatus omnium novissimus Evangelium scripsit, vel in insula Patmos, vel cum sub Nerva principe Ephesum redierat circa annum 97. Communis est Patrum sententia, eum hoc opus suscepisse tum ut quaedam a prioribus Evangelistis omissa suppleret, tum ut contra Valentinum, Ebionitas, et Cerinthum probaret, Iesum vere esse Filium Dei. Ideo aquilae instar se mox ab initio extollens primo aeternam, ac dein humanam Verbi generationem describit.

5. Praeter Evangelium *S. Lucas* etiam scripsit *Actus Apostolorum*, in quibus videmus admiranda Ecclesiae Christi exordia, eiusque propagationem per Apostolos, et praecipue per Apostolorum principes Petrum et

Paulum. S. Lucas, qui in Evangelio audita narravit, hic visa memorat, quia post Concilium Hierosolymitanum et dispersionem Apostolorum fere ea tantum commemorat, quae Paulus egit, cuius individuus comes erat. Scripsit graeco idiomate, et quidem verosimilius Romae, tempore, quo S. Paulus in urbe detinebatur; nam ad illud usque tempus pertingit historia in Actibus Apostolorum contenta, quae ab anno aerae nostrae 33 usque ad annum circiter 63 currit.

6. *Epistola ad Romanos* inter omnes S. Pauli epistolas primum locum tenet, non tantum propter Romanae Urbis et Ecclesiae praecellentiam, sed etiam propter rerum, quae in ea tractantur, gravitatem. Orta siquidem contentione inter fideles partim ex Iudaismo, partim ex Gentilismo conversos, cum utrique suis meritis Evangelii gratiam arroganter adscriberent, ostendit Paulus neutri parti licere de suis meritis gloriari, hominis iustificationem donum Dei esse omnino gratuitum, eamque non ex lege et meritis operum, sed ex fide Christi proficisci.

7. *Epistolam I ad Corinthios* Paulus scripsit, cum ipsi ab amicis nuntiatum fuit, dissidia in Corinthiorum Ecclesia exorta esse, et aliquos abusus in eandem irrepsisse. Idcirco Apostolus gentium ex urbe Ephesina ad ipsos epistolam dedit, egregiis Religionis ac morum documentis refertam.

8. *Epistolam II ad Corinthios* Paulus exaravit, cum a Timotheo, quem Corinthum miserat, audivisset, plerosque Corinthiorum per primam epistolam meliores factos esse: ideo haec epistola priore lenior, benignior ac fere ubique consolatoria est: bonis nempe de firma fide et sincero virtutis studio gratulatur; Pseudoapostolorum vero sibi invidentium obtrectationibus respondet.

9. *Epistolam ad Galatas* Paulus ex Epheso scripsit. Cum enim rescivisset, Galatas mox post eius discessum deceptos fuisse a falsis fratribus, qui legem caeremonialem cum fide in Christum coniungendam esse contendebant, Apostoli autem, tanquam acerrimi huius doctrinae adversarii, auctoritatem deprimebant, necessarium duxit apostolatui suo vindicare auctoritatem, et legalium abolitionem per Christum factam adseverare; quibus salutaria quaedam morum praecepta addidit.

10. *Epistolam ad Ephesios* Paulus Romae in vinculis scripsit: ab aliquibus olim dicta est *ad Laodicenses*, forte quia *circularis* erat, et ad omnes Asiae urbes missa; specialiter tamen vocata *ad Ephesios*, quia Ephesus Asiae Metropolis erat. Quidquid sit, Apostoli scopus est Ephesios, quos ad fidem Christi, per triennium die ac nocte laborans, iampridem converterat, in fide confirmare, et sublimiora religionis christianae mysteria perfectius edocere.

11. *Epistolam ad Philippenses* pariter Paulus Romae in vinculis scripsit. Philippenses enim Apostolum, a quo ad fidem christianam conversi fuerant, tenere amabant, eique constantissime adhaerebant, atque ideo ipsi, cum Romae detinebatur captivus, subsidium miserunt per Epaphroditum. Eundem Paulus ad Philippenses remisit cum epistola, quae facili stilo scripta tenerum ubique amorem et paternam sollicitudinem spirat, praeclare mysterium incarnationis proponit, et ad varias virtutes exhortatur.

12. *Epistolam ad Colossenses* Paulus ex eodem carcere scripsit, ut eos a virulentis haereticorum dogmatibus eximat, et ut in fide evangelica confirmet: unde cum Pseudoapostolorum errores redarguisset, praeclarum suppeditat compendium de

potioribus vitae christianae regulis.

13. *Epistola I ad Thessalonicenses* scripta fuit a S. Paulo ob magnam sollicitudinem, quam de his fidelibus a se conversis semper in corde gessit. Laudat proinde firmam eorum fidem, eos ad perseverantiam excitat, et inter alia saluberrima monita ob incertitudinem diei iudicii hortatur ad vigilantiam et bona opera.

14. *Epistolae II ad Thessalonicenses* occasionem dedit prima, qua abutebantur fraudulenti quidam doctores ad terrendos fideles, quasi dies iudicii iam instaret. Hinc Paulus docet, tempus iudicii nondum adesse, cuius duo dat authentica signa illud praecedentia, nempe apostasiam a fide, et adventum Antichristi. Ceterum cum illos, quos in priori epistola ut otiosos et inquietos homines notaverat, nondum emendatos esse intellexerat, eosdem nunc acrius castigat.

15. *Epistola I ad Timotheum* ab Apostolo gentium scripta est, ut hunc dilectum Episcopum Ephesinum, omnesque animarum pastores doceat, quomodo animae fideles verbis et exemplis ad assiduum virtutis studium dirigendae, ab erroribus autem, et peccatis praeservandae sint.

16. *Epistolam II ad Timotheum* scripsit Paulus ex secundis vinculis paulo ante mortem, veluti testamentum ab optimo patre dilectissimo filio relictum.

17. *Epistola ad Titum* est quasi compendium utriusque ad Timotheum epistolae. In illa enim dilectum discipulum, quem Cretensium Episcopum constituerat, pro divina, qua praeditus erat, sapientia instruit, quomodo munus episcopale gerere debeat. Quidquid in istis tribus epistolis continetur, tanto magistro dignum est, et omnibus, qui ad animarum curam vocati sunt, nunquam satis meditandum.

18. *Epistolam ad Philemonem*, civem Colossensem, Paulus propria manu scripsit, eamque misit per Onesimum, huius Philemonis servum, quem Apostolus profugum Romae suscepit, atque in fide institutum, et baptizatum ad herum suum remisit cum litteris commendatitiis, in quibus miro artificio et ingenti studio id agit, ut eum dominus in gratiam recipiat.

19. *Epistola ad Hebraeos*, id est, ad fideles ex Iudaismo conversos, singulari artificio et elocutione elaborata excellentiam legis novae prae veteri multis modis demonstrat, et Hebraeos recens conversos ad malorum tolerantiam, et perseverantiam fidei adhortatur. Graeci hanc epistolam semper Apostolo Paulo adscripserunt, uti etiam inter Latinos *S. Clemens Rom. P.*, *S. Hilarius*, *S. Optatus Milev. S. Ambrosius*, *S. Hieronymus*, *S. Augustinus* et alii. Aliqui tamen inter Latinos dubia moverunt circa auctorem huius Epistolae, quam Paulo abiudicarunt, tum quia stilus a reliquis epistolis differt, tum quia nomen Pauli ab initio non exprimitur. Sed difficultas ex diversitate stili petita nulla est, quia dici potest vel cum *Theophylacto*, quod haec epistola scripta sit hebraice a D. Paulo, et ab interprete perito traducta graece, sive fuerit S. Lucas, sive alius: vel cum *Origene*, quod cogitatus quidem sint D. Pauli, dictio vero alicuius ex eius discipulis, qui fuit ipsius scriba et interpres. Suppressio nominis declarari potest, quia Pauli nomen erat Iudaeis infensum, et aliunde, ait *Theodoretus*, Gentilium, non Iudaeorum constitutus erat Apostolus; ideo apostolicum nomen non ponit hic in prooemio. Ceterum nunc non sine temeritate Paulo haec epistola abnegari potest,

postquam concilia multa, praecipue Tridentinum, hanc epistolam in Scripturarum catalogo ceteris D. Pauli epistolis aggregavit.

20. *Epistola S. Iacobi* minoris, filii Alphaei, prima est inter *catholicas*, quae ita appellantur, quia non ad unam specialem personam scriptae sunt, neque ad unam particularem provinciam, aut Ecclesiam, sicut Epistolae Pauli, sed generatim ad omnes fideles inter varias nationes dispersos. Istos S. Iacobus exhortatur, ut persecutiones pro fide patienter sustineant, et linguam suam caute custodiant: praecipue vero errorem illorum severe perstringit, qui fidem solam ad salutem sufficientem esse dictitabant; Apostolus autem fidem sine operibus mortuam esse declarat.

21. *Epistola prima Petri*, digna Apostolorum Principe, verbis parca, sententiis gravis, plena auctoritatis apostolicae, Romae scripta est; quo autem anno incertum; probabilius autem non multo ante secundam exarata, et praecipue ad fideles ex Iudaismo conversos directa fuit.

22. *In Epistola secunda* Petrus fideles hortatur, ut fidem, ipso e vivis sublato, constanter retineant, et errorum seminatores longissime fugiant. Hanc epistolam Principem Apostolorum ultimis vitae suae temporibus scripsisse, luculenter patet ex eiusdem verbis cap. I, v. 14.

23. *Epistola prima S. Ioannis* Evangelistae magni momenti veritates tum theoreticas, tum practicas proponit. Quamvis eius nomen adscriptum non sit, stilus tamen, et proprius quidam dictionis character auctorem produnt. Agit hic Apostolus de Divinitate Christi contra Ebionitas et Cerinthum, et de eius humanitate contra Basilidem. Maxime vero discipulus, quem diligebat Iesus, dilectionem erga Deum et erga proximum graviter commendat

24. *Epistola secunda S. Ioannis* ad Electam matronam christianam directa est, et idem fere ac prima argumentum tractat.

25. *Epistola tertia S. Ioannis* Caio cuidam scripta est, qui propter suam in fratres hospitalitatem commendatur. Apostolus eum ad perseverantiam adhortatur.

26. *Epistola S. Iudae* Thaddaei, graeco idiomate scripta, Pseudoapostolos et haereticos, doctrinae et morum corruptores graviter insectatur.

27. *Apocalypsis*, seu, quod idem est, *secretorum revelatio*, a S. Ioanne in insula Patmos circa annum 94 graece scripta est. Hic liber propheticus multa praenuntiat futura, nimirum futuras Ecclesiae persecutiones, interitum ethnici romani imperii, fidelium adversitates in fine mundi ob dirissimas crudelitates Antichristi, et tandem gloriam futuram Beatorum. Nemo hactenus clare explicuit mysteria in Apocalypsi annuntiata; « Tot enim, ait *S. Hieronymus* (1), sunt Sacramenta, quot verba: parum dixi; pro merito voluminis omnis laus inferior est. » Eximium Apocalypsis Commentarium edidit *Cl. Bossuetus*, Episcopus Meldensis, in quo refellit impias haereticorum criminationes contra Ecclesiam Romanam. De his N. T. libris, ut plenam ad probandum auctoritatem habeant, tria nobis ostendenda sunt: 1° *libros N. T. genuinos esse*, id est, ab illis, quorum nomina praeseferunt, et eo circiter tempore conscriptos, quo scripti esse dicuntur; 2° *illos integros et incorruptos ad nos pervenisse*, et 3° *Auctores librorum istorum fide dignissimos esse.*— Equidem hanc inquisitionem non ita necessariam credimus, at hac non praemissa, firma stare non posset Religionis Christianae auctoritas. No-

(1) In Epist. ad Paulin.

tum enim est, gentes plurimas in Christum credidisse sine libris sacris: et si nunquam conscripti fuissent illi libri, ex publicis eventibus, ex historia primorum temporum, ex persuasione constanti et universali populorum certum esset, Christum eo, quo a nobis asseritur, tempore vixisse, Religionem, quae Christiana dicitur, ab eo traditam fuisse, et ab orbe receptam propter fidem miraculorum eius, et Apostolorum. Verum cum nihilominus ex libris N. T. firmissima Religionis argumenta hauriantur, et in iis potissimum tum ipsa Religionis doctrina, tum et facta plurima et insignia Christi et Apostolorum contineantur, ex quibus immensum exurgit argumentorum pondus; et cum hanc ob causam Deistae ad librorum istorum auctoritatem convellendam omne studium, omnemque operam impendant; nostrum est, in celebri hac, quam cum incredulis agimus, causa, praecipua instrumenta, quibus factum Revelationis comprobandum est, ab omni falsitatis suspicione vindicare.

ARTICULUS I.

Libri N. T. sunt genuini.

§. 81.

Libros N. T. genuinos et authenticos esse, seu vere ab iis, quorum nomina praeseferunt, et quidem primo aevi christiani saeculo conscriptos fuisse, solidissime probatur 1) *ex characteribus internis*, ac 2) *externis*, et 3) *ex impossibilitate suppositionis.*

§. 82.

I. Libros N. T. genuinos ostendunt characteres interni.

Ex defectu characterum internorum librum genuinum non esse dignoscitur, si materia quae pertractatur, et forma qua pertractatur, characteri auctoris cuius nomen praesefert, et circumstantiis temporis et loci, in quibus scriptus dicitur, non congruit. — Ast longa et rigida octodecim saeculorum crisi nihil sive in materia, sive in forma librorum N. T. fuit detectum, quod vel alios auctores, quam Apostolos eorumque discipulos, vel seriorem originem, quam saeculo I Religionis christianae et monarchiae romanae ostendat. In libris enim N. T. nihil occurrit, quod Apostolorum aetati non conveniat; nihil, quod cum historicis tum iudaeis, tum ethnicis ullo modo dissentiat; nihil, quod postea evenisse suspicari liceat: nullus in geographia et chronologia error deprehenditur, quod fieri vix potuisset, si auctores post illam aetatem et eversam funditus rempublicam scripsissent. Imo non tantum nihil est, quod recentiorem aetatem, aut alios librorum auctores prodat, sed omnia manifestam faciunt antiquitatem, omnia auctores illos, quibus libri adscribuntur, denotant, eorumque formam, et quasi vivam imaginem referunt. Nam

1. Auctores librorum N. T. dicuntur *discipuli Christi*, qui nempe tempore Christi vixerunt, ipsi firma fide adhaeserunt, et maxima ex parte cum ipso conversati sunt. Tales autem prodit *argumentum*, quod pertractant; referunt enim doctrinam et historiam Christi, et quidem cum circumstantiis individuis atque minutis, quae ita accurate scire tantum poterant viri, qui res non e longinquo, sed prope aspexerunt. Ita etiam enarrant ecclesiae christianae primordia, et progressus per praedicationem Apostolorum, persecutiones a Iudaeis motas, et errores doctrinae Christi repugnantes, quos impii homines iam inter primos fideles disseminarunt, quibus autem Apostoli restiterunt. Sic et toto argumento,

quod pertractatur, discipuli Christi dignoscuntur.

2. Iidem auctores sunt *gente et religione Iudaei*, et omnes, Paulo excepto, *illiterati*. Verum lingua et stilus manifeste ostendunt gente et religione Iudaeos. Graece loquuntur, sed ita, ut ubique homines iudaeos deprehendas, qui etiam in graeco idiomate patriae linguae proprietates retinuerunt; quamobrem in eorum scriptis frequenter hebraismi, et voces syro-chaldaicae occurrunt. Similitudines quoque, parabolae et allusiones, quibus utuntur, ita comparatae sunt, ut statim videantur iudaico solo natae. Frequentes demum, et accuratae V. T. citationes auctores iudaeos manifestissime ostendunt. Eosdem vero sanae quidem mentis et recti cordis, sed *illiteratos*, et profanarum scientiarum apparatu nullatenus praeditos fuisse, patet ex eo, quia facta etiam stupenda, quae per sanos sensus observarunt, sine verborum fuco, et sine reflexionibus philosophicis simplici modo enarrant. Solus Paulus, a sapientissimo Gamaliele eruditus, humanioribus scientiis se imbutum ostendit, nervose loquitur, subtilia hinc inde argumenta profert, adversariorum obiectiones proponit et strenue refellit, ac ethnicorum quoque scriptorum notitiam prodit; quapropter ipsius epistolae a reliquis N. T. libris iisdem lineamentis distinguuntur, quibus Apostolus ipse a reliquis differt. Negari ergo non potest, materiam et formam librorum N. T. cum charactere scriptorum, quorum nomina praeseferunt, perfectissime convenire.

3. Libros N. T. *saeculo primo in lucem prodiisse*, omnia adiuncta temporis ostendunt, quae in illis referuntur. Sic narrant Christum natum esse sub Imperatore Augusto et Rege Herode M., vitam autem publicam coepisse anno decimoquinto imperii Tiberii; Ioannem quoque Baptistam praedicasse sub Procuratore Pontio Pilato, sub Tetrarchis Herode, Philippo et Lysania, sub Pontificibus Anna et Caipha; Paulum ad tribunalia ductum fuisse Praesidum Felicis et Festi, etc., duas inter Iudaeos magnae auctoritatis sectas extitisse, Pharisaeorum et Sadducaeorum; Iudaeos templum hierosolymitanum magno honore habuisse, et in festis solemnibus undique ad illud confluxisse, iugi autem Romanorum pertaesos, et ad rebellionem valde proclives fuisse. Talem autem fuisse rerum et personarum statum circa saeculi primi dimidium in imperio romano, et specialiter in Palaestina, cum Iosepho Flavio etiam ethnici scriptores coaevi testantur. Certum igitur est, priori tempore libros N. T. exaratos non esse; sed neque posteriori tempore scripti sunt. Nam in Evangeliis Matthaei, Marci et Lucae referuntur vaticinia Christi de templi et urbis Hierosolymae excidio; nec quidquam additur de praedictionum completione; ex quo manifestum est, illos libros ante urbis et templi destructionem scriptos esse. In Actis Apostolorum historia Pauli usque ad primum eius in urbem Romam adventum deducitur, quod probat, librum editum fuisse ante Pauli a primis vinculis solutionem; scriptor enim posterioris aetatis res gestas Apostoli ulterius protraxisset. Eadem ratione Pauli, et aliorum Apostolorum epistolae suam produnt aetatem. — Cum igitur omnes notae authenticitatis intrinsecae, quibus critici vulgo libros genuinos a suppositis secernunt, in libris N. T. ita reperiantur, ut vix in aliquo libro omnes tam aperte promineant, nemo profecto, cuius non falsa philosophia omnem veri gustum sensumque corrupit, legitimos librorum istorum natales in dubium vocare poterit.

§. 83.

II. Libros N. T. genuinos probant characteres externi.

Authentia librorum N. T. *argumento praescriptionis, testimoniis domesticis*, et *testimoniis externorum* probatur.

1. Iuxta regulas criticae libri, qui in omnibus codicibus, versionibus et editionibus eadem auctorum nomina praeseferunt, ab iisdem auctoribus exarati sunt, quibus adscribuntur. Ast in omnibus codicibus, versionibus et editionibus libris N. T. eorundem auctorum, quibus nunc tribuuntur, tituli appositi sunt; quatuor enim Evangelia nomina Matthaei, Marci, Lucae et Ioannis in fronte gerunt; Actus Apostolorum nomen Lucae, quatuordecim Epistolae illud Pauli, aliae duae Petri, tres Ioannis, una Iacobi, una Iudae, Apocalypsis eiusdem Ioannis: atque hi auctores sunt, quibus N. T. scripta tribuuntur. Nec ulla in contrarium afferri potest ratio. Nam quod Eruditi quidam, ut *Erasmus, Maldonatus, Simonius,* aliique arbitrentur, istiusmodi titulos non ab Apostolis et Evangelistis, sed ab aliis fuisse N. T. libris additos, pro nihilo est; primo, quia innumeri alii scriptores, Apostolos ipsos et Evangelistas propria apposuisse nomina, existimant; deinde, quia nemo negare audet, hos titulos vetustissimos esse, ita ut tempus assignari nequeat, quo appositi fuerint; et denique, quia nullo modo ostendi potest, praedictos libros aliis auctoribus adscriptos fuisse. Cum ergo isti libri semper, ubique, et ab omnibus iisdem auctoribus adscripti fuerint, quibus nunc tribuuntur, firmum stat praescriptionis argumentum. Hoc argumento iam usus est *S. Augustinus* contra Faustum Manichaeum (1) inquiens: « Cum coepero Matthaei Evangelium recitare... continuo dices, illam narrationem non esse Matthaei, quam Matthaei esse dicit universa Ecclesia ab apostolicis sedibus usque ad praesentes Episcopos certa successione perducta. Tu mihi quid contra lecturus es? aliquem forte librum esse Manichaei, ubi Iesus negatur esse natus ex Virgine. Sicut ergo ego credo, librum illum esse Manichaei, quoniam ex ipso tempore, quo Manichaeus vivebat in carne, per discipulos eius certa successione praepositorum vestrorum ad vestra usque tempora custoditus et perductus est; sic et istum librum, credite, esse Matthaei, cum ex illo tempore, quo Matthaeus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum Ecclesia certa connexionis successione usque ad tempora ista perduxit (2). » Idem S. Doctor de omnibus quatuor Evangeliis (3) dicit: «Isti igitur quatuor Evangelistae universo terrarum orbe notissimi, et ob hoc fortasse quatuor, quoniam quatuor sunt partes orbis terrarum, per cuius universitatem Christi Ecclesiam dilatari, ipso sui numeri sacramento quodammodo declararunt, hoc ordine scripsisse perhibentur, primus Matthaeus, deinde Marcus, tertio Lucas, ultimo Ioannes. »

2. Testimonia domestica ex scriptoribus trium primorum saeculorum petuntur. *Papias* (4) narrat, Matthaeum hebraice Evangelium scripsisse, et postea Marcum quoque discipulum Petri Evangelium exarasse. *S. Clemens Rom.* et *S. Ignatius M.* saepius textus ex Evangeliis et ex reliquis N. T. libris in suis epistolis citant. Idem fit in operibus *S. Iustini M.* praecipue Apol. I, n. 66, ubi refert s. Eucharistiae institutio-

(1) Lib. 28, cap. 2.
(2) Cf. l. 32 c. Faustum c. 21, et l. 33. c. 6.
(3) L. 1 de consensu evang., n. 2.
(4) Ap. Euseb. lib. 3 hist. eccl., cap. 39.

nem « iuxta Apostolorum scripta, quae Evangelia dicuntur, » et Dial. c. Tryph. n. 103, ubi testatur, Apostolorum et Prophetarum scripta diebus dominicis publice in Ecclesiis praelecta fuisse. *S. Irenaeus* lib. 3 adv. haer. c. 1, n. 1 inquit: « *Matthaeus* in Hebraeis ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii, cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent, et fundarent Ecclesiam. Post vero horum excessum *Marcus*, discipulus et interpres Petri, et ipse, quae a Petro annunciata erant, scripta nobis tradidit. Postea etiam Ioannes, discipulus Domini, qui et supra pectus eius recumbebat, et ipse edidit Evangelium, Ephesi Asiae commorans. » Neque dubium est, quin S. Irenaeus etiam Evangelium Lucae admiserit; nam ibidem cap. 11 ex instituto ostendit, non plura, nec pauciora esse authentica Evangelia, quam quatuor, inter quae etiam Evangelium S. Lucae ponit, dicens: « Id vero (Evangelium) quod est secundum Lucam, quoniam quidem sacerdotalis characteris est, a Zacharia sacerdote sacrificante Deo inchoavit. » Idem *S. Irenaeus* l. 3, c. 14 commemorat Acta Apostolorum, c. 18 Ep. ad Rom., l. 4, c. 45 Ep. I ad Cor., l. 3, c. 7 Ep. II ad Cor., c. 6 Ep. ad Gal., l. 5, c. 2 Ep. ad Ephes., l. 3, c. 14 Ep. ad Col., l. 3, c. 3 Ep. II ad Tim. et Ep. ad Tit., l. 4, c. 9 Ep. I Petri, l. 3, c. 16 Ep. I Ioan., l. 1, c. 27, et saepius lib. 4 et 5 Apocalypsin. *Clemens Alex.*, qui ut veritatem inveniret, plures peregrinationes suscepit, et maxima sagacitate omnia christianae Religionis monumenta indagavit, omnes N. T. libros saepius et proprio nomine citat. *Tertullianus* Lib. 4 c. Marcionem, c. 5, hunc haeresiarcam soli Evangelio Lucae adhaerentem ita refellit: « Eadem auctoritas Ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur Evangeliis, quae proinde per illas et secundum illas habemus, Ioannis dico et Matthaei, licet et, Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cuius interpres Marcus. Nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent; capit magistrorum videri, quae discipuli promulgarint: » hoc est, ut Iacob Pamelius (1) observat, possunt magistrorum videri ea, quae discipuli promulgarint. Idem *Tertullianus* lib. de ieiun. c. 10 et alibi textus citat ex Actibus Apost. - Epistolarum Pauli frequenter citationes huiusmodi in eius operibus occurrunt. Ep. I Petr. adlegat Scorpiac. c. 12, Ep. I Io. ibid. et adv. Prax. c. 15, Apocalypsin lib. 3 adv. Marcion. c. 14. — Etiam *S. Theophilus Antioch.* saepius citat N. T. libros, ex. gr. lib. 3 ad Autol. Evangelium Matthaei et Ep. ad Rom. — *Ammonius*, scriptor tertii saeculi, teste *Eusebio* (2), harmoniam quatuor Evangelistarum composuit. *Iulius Africanus* in Ep. ad Aristidem apparentes contradictiones solvit inter genealogias Christi apud Matthaeum et Lucam. *Caius* Rom. Presbyter tredecim epistolas Paulo adscribit (omissa Ep. ad Hebr.). — *Origenes* (3) inquit: « Sicut ex traditione accepi de quatuor Evangeliis, quae sola in universa Dei Ecclesia, quae sub coelo est, citra controversiam admittuntur: primum scilicet Evangelium scriptum esse a Matthaeo, prius quidem publicano, postea vero Apostolo Iesu Christi.... Secundum fuisse accepimus Evangelium Marci, qui, prout Petrus ipsi exposuerat, in litteras retulit... Tertium Evangelium Lucae, quod a Paulo commendatur in gratiam Gentilium scriptum. Postremum vero Evangelium

(1) In adnot. ad h. l.

(2) Lib. 6 hist. eccl., cap. 19.

(3) Ap. Euseb. l. 6 hist. eccl., cap. 25.

Ioannis. » Idem (1) ita loquitur: « Ut sciatis, non solum quatuor Evangelia, sed plurima esse conscripta, e quibus haec, quae habemus, electa sunt, et tradita Ecclesiis, ex ipso prooemio Lucae cognoscamus: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem:* hoc quod ait, *conati sunt*, latentem habet accusationem eorum, qui absque gratia Spiritus S. ad scribenda Evangelia prosilierunt. Matthaeus quippe, et Marcus, et Ioannes, et Lucas non sunt conati scribere, sed Spiritu S. pleni scripserunt Evangelia.... Quatuor tantum Evangelia sunt probata, e quibus sub persona Domini et Salvatoris proferenda sunt dogmata. » *Origenes* porro, teste *Eusebio*, catalogum texuit omnium N. T. librorum, ab universa Ecclesia acceptatorum; cum Evangelio Lucae connectit Acta Apostolorum, et de epistolis Pauli scribit: « *Paulus* non omnibus, quas docuit, Ecclesiis scripsit, sed et quibus scripsit, paucis versibus scripsit. *Petrus* unam, de qua certo constat, epistolam reliquit; esto autem, et alteram reliquerit. *Ioannes* reliquit epistolam paucis versibus comprehensam: esto, adiiciatur et altera, et tertia (2). Ipse *Eusebius* accuratus antiquorum librorum collector et censor (3) tres librorum classes discernit: ad primam refert homologumenos, communi Ecclesiae consensu receptos, nempe quatuor Evangelia, Acta Apost., Epistolas 13 Pauli, unam Petri, et unam Ioannis. Ad alteram refert libros, qui vel a pluribus recipiuntur, uti epistola Iacobi, Iudae, secunda Petri, secunda et tertia Ioannis, et Apocalypsis; vel a plerisque reiiciuntur, ut historia Pauli, apocalypsis Petri etc. Ad tertiam refert libros aperte spurios, quorum auctor obscurus et ignotus sit, genus dictionis ab apostolico discrepet, et sententia a fide aberret, ex. gr. Evangelium Thomae etc.

3. Testibus domesticis adiungi possunt veteres plerique haeretici, *Ebion*, *Cerinthus*, *Marcion*, aliique, qui nostris Evangeliis et ceteris N. T. scriptis usi sunt; et quamvis ea suo modo explicarunt aut corruperunt, nunquam tamen Apostolis abiudicare ausi sunt. Quin et ipsi pagani nobis testes sunt omni exceptione maiores: quotquot enim ex illis contra Religionem christianam scripserunt, de sacrorum librorum authentia ne levissimum quidem dubium movent. Ita *Celsus* teste Origene (4) nunquam negavit, libros sacros christianorum genuinos esse; imo plura laudat ex Evangeliis, seque illa ex libris discipulorum Christi describere affirmat. Idem de Porphyrio testatur *S. Hieronymus*. *Lucianus* (5) irridet scriptoribus sacris; sed Apostolos et discipulos Christi librorum N. T. auctores esse non negat. *Iulianus Apostata* (6) nomina quatuor Evangelistarum clare exprimit dicens: « Iesum quippe illum neque Paulus Deum dicere ausus est, neque Matthaeus, neque Lucas, neque Marcus, sed bonus ille Ioannes.... primum id prodere ausus est. » Haec testimonia magni sunt momenti, quia adversariis interesse debuit, ut ostendant, libros christianorum supposititios esse.

Nota. Adversarii argumentis nostris sequentia opponunt.

Obi. 1. Ut ostenderetur, libros N. T. genuinos esse, testes coaevi adducendi essent. Sed neque iudaeus, neque ethnicus, neque etiam christianus scriptor coaevus illorum au-

(1) Hom. 1 in Lucam.
(2) V. Euseb. hist. eccl. l. 6, cap. 26.
(3) L. 3 hist. eccl., cap. 3. et 4. 24, et 25.
(4) In lib. 2 c. Cels.
(5) Lib. de morte Peregrini.
(6) Ap. S. Cyrillum Alex. lib. 10, in principio

thenticitatem testatur, quae igitur admitti non potest.

Resp. Opera *Homeri, Livii, Ciceronis* etc. ab omnibus eruditis ut genuina habentur, quamvis eorum authenticitatem coaevi scriptores non contestentur. Cur pro libris N. T. exigitur, quod pro aliis necessarium non reputatur? Increduli ipsi sine omni haesitatione scripta *Confucii* et *Mahometis* ut genuina citant; quis autem ex scriptoribus coaevis iudaeis aut gentilibus eorum authenticitatem contestatur? — Ante inventam artem typographicam libri non tam cito ut nostris temporibus ad publicam notitiam pervenire potuerunt; unde mirum non est, quod de libris N. T. testimonia non tulerint coaevi iudaei et ethnici, qui christianos vilipendebant, et de rebus ad ipsos pertinentibus parum solliciti erant. Christiani autem coaevi, seu primi fideles, si non scriptis, saltem factis de authenticitate librorum N. T. testimonium tulerunt, quia istos, ut ab Apostolis conscriptos, maxime venerabantur, in publicis coetibus sacris praelegebant, in alias linguas vertebant, ex illis revelata dogmata demonstrabant, et errores haereticorum refellebant. Haec autem omnia facta sunt adhuc vivente, et non solum nullatenus contradicente, sed etiam approbante S. Ioanne Evangelista. Tale autem testimonium primorum christianorum, de quorum sanctis moribus Iudaei et Gentiles egregia testimonia tulerunt, longe maioris est auctoritatis, quam testimonium unius alteriusve scriptoris coaevi.

Obi. 2. Canon librorum N. T. confectus non est nisi post Apostolorum mortem, atque, ut multis videtur, saeculo secundo, aut, ut alii volunt, saeculo tertio vel quarto: quamobrem testimonia coaeva penitus deficiunt.

Resp. Ridicula prorsus est haec ratio. An non prius libri illi debuerunt existere, et ut veri ac genuini agnosci, antequam eorum fieret collectio? Scimus eos diversis temporibus diversisque in locis fuisse scriptos, et quemlibet librum statim atque editus fuit, non minori cum observantia fuisse servatum, quam post canonis confectionem. Imo haec ipsa non est nisi solemnis declaratio, hos libros iam tempore praecedenti, et a coaevis ut genuinos Apostolorum foetus agnitos fuisse.

§. 84.

III. Libros N. T. genuinos demonstrat suppositionis impossibilitas.

Increduli, qui post tot saecula contendunt, libros N. T. Apostolis esse recentiores, ac sub eorum nominibus secundo aut tertio saeculo conscriptos, deberent utique assertum hoc novum et insolitum certis argumentis stabilire. At nullum hucusque ne probabile quidem argumentum attulerunt, neque huius suppositionis vel locum, vel tempus, vel auctorem, vel ullum aliud vestigium indicare potuerunt. Omni iure itaque satis noto principio insistimus: quod gratis asseritur, gratis negatur. Nos autem ulterius progredi et ostendere possumus, suppositionem moraliter impossibilem fuisse.

1. Nequit enim *auctor suppositionis* ostendi, qui vel iudaeus, vel paganus, vel christianus esse debuisset. Certe autem ipsi increduli non diffitentur, Iudaeum, vel Paganum, in infidelitate persistentem, dicta et facta Christi nec voluisse, nec potuisse ita proponere, prout in Evangeliis et ceteris N. T. libris proponuntur. Christianus autem quomodo ausus fuisset opus a se confectum Apostolo tribuere Spiritu S. repleto? si talis auctor bonus fuisset, huiusmodi fraudem, religioni christianae

perquam noxiam, non attentasset; si malus, tam puram et sanctam doctrinam non proposuisset. Imo, si a christiano quodam libri N. T. compilati, et sub nominibus Apostolorum publicati fuissent, talis auctor verum aenigma esset, quod intelligi et solvi vix posset; nam impostor ex parte intellectus magnum eruditionis apparatum, ut tantum opus moliretur, simulque defectum proderet, ut maiorem artis speciem operi suo non tribueret: ex parte autem voluntatis amorem virtutis et religionis, quam suis scriptis promovet, simulque fraudulentiam, qua toti imponere mundo nititur, possidere debuisset. Tales iam statuunt librorum N. T. auctores increduli, ut veros et ab omnibus receptos eliminent, et flocci faciunt contradictiones, quibus semetipsos involvunt.

2. Nequit assignari *tempus et modus suppositionis*. Nam si libri N. T. conficti fuissent, id contigisset vel viventibus Apostolis, vel his fato functis: utrumque vero absurdum est et impossibile. Quis enim suppositionem Apostolorum tempore, ipsis docentibus, et Ecclesiae summa cura invigilantibus tentasset? Num passi fuissent Apostoli, ut impius impostor eorum auctoritate abuteretur? iisdem reclamantibus fraus statim detecta fuisset. Ne minimum autem vestigium ex historia apparet, quod Apostoli contra suppositionem reclamaverint, quamvis ex eadem historia constet, quod gliscentibus erroribus et depravationibus doctrinae christianae strenue se opposuerint. — Etiam post Apostolorum mortem saeculo secundo, tertio, aut quarto suppositio fieri non potuit. Quomodo enim fideles ubique locorum adduci potuissent, ut libros, antea omnibus ignotos, ut genuinos Apostolorum foetus agnoscerent, et sine praevio examine ut sacros venerarentur, et in publicis coetibus praelegerent? Id admitti non potest, nisi inter fideles statuatur universalis vel ruditas, ut veritatem inquirere non possent, vel torpor, ut eam inquirere non vellent. Nullatenus autem admitti potest, omnes primos fideles penitus rudes et stupidos fuisse, quia etiam homines culti et eruditi, imo et Philosophi Religionem christianam amplexi sunt, qui iam primis saeculis egregia opera ediderunt. Multo minus universalis torpor in examinandis Religionis christianae documentis admitti potest, cum sive ex Iudaismo, sive ex Gentilismo conversis maxime interesse debuerit, ut nonnisi veram doctrinam susciperent, pro qua parati esse debebant ad diras quoque persecutiones sustinendas. Ceterum christianam Ecclesiam non sine maturo examine libros sacros recepisse, iam exinde apparet, quia plures libri, qui Apostolorum nomina praeseferebant, ut apocryphi reiecti sunt.

Nota. Huic quoque argumento adversarii quasdam difficultates opponunt, quas autem solvere arduum non erit.

Obi. 1. Notum est, veteres christianos homines fuisse rudes, artis criticae ignaros, nimis credulos, praeiudiciis mancipatos, ad pias fraudes propensos, qui, quidquid speciem pietatis praeseferebat, ambabus ulnis amplectebantur: in tali hominum coetu suppositio librorum facile contingere potuit.

Resp. Notum est, sub Imperatore Augusto artes liberales et scientias philosophicas ad summum apicem pertigisse; quam temere ergo clamitant increduli, primos christianos rudes et artis criticae penitus ignaros fuisse? neque magno scientiarum apparatu opus erat, ut fideles certo cognoscerent, num liber aliquis a quodam Apostolo conscriptus sit vel

non. Neque primi fideles caeco Religionis christianae amore praeoccupati fuerunt, cum a teneris annis in iudaica vel ethnica Religione instituti fuerint. Sicuti ergo non sine plena convinctione Religionem avitam reliquerunt, et christianam susceperunt, ita etiam non sine certis argumentis libros tanquam ab Apostolis conscriptos receperunt et venerati sunt, cum ipse amor proprius eos cautos reddere debuerit, ne in re tam gravi deciperentur. Cum ergo quaeritur, num libri N. T. sint genuini Apostolorum foetus, meliores huius veritatis testes non habemus, quam primos fideles hac in re consentientes, et praefatos libros in suis publicis coetibus cum maxima reverentia praelegentes.

Obi. 2. Iam primis Ecclesiae saeculis multa extiterunt spuria Evangelia et scripta Apostolorum, ut *Evangelia S. Petri*, *S. Thomae*, *S. Bartholomaei*, *S. Matthiae* etc., *Evangelium veritatis*, *Evangelium perfectionis* etc. Nonnulli 25 huiusmodi spuria Evangelia enumerant. His porro Evangeliis iidem Patres, quorum testimoniis nunc enituntur christiani, tanquam genuinis usi sunt, et ex ipsis textus citarunt; quae tamen postmodum, errore detecto, ut apocrypha reiecta sunt. Exinde patet, suppositionem primis saeculis facile fieri potuisse.

Resp. Mirum non est, res tantas a Christo eiusque discipulis peractas, quae christianae Religioni originem dederunt, multorum commovisse scribendi studium, et inter hos plures non satis accuratam instituisse narrationem, de quibus videtur S. Lucas loqui cap. I, v. 1, dicens: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt, rerum* etc.: quamvis nonnulli putent, eum de Evangeliis Matthaei et Marci loqui. Quod si admittatur, multos iam aevo apostolico Evangelia scripsisse, nullatenus tamen increduli probare possunt, primis saeculis praeter quatuor aliud quoddam Evangelium ut sacrum et divinum habitum fuisse. Errant enim qui dicunt, antiquos Patres spuria Evangelia citasse, quia textus, quos citant, omnes saltem quoad sensum in genuinis N. T. libris continentur. Perperam quoque adversarii numerum Evangeliorum spuriorum exaggerant. Nam antiquissimi scriptores, *S. Ignatius*, *S. Polycarpus*, *S. Clemens Rom.* et *S. Iustinus M.* illorum nusquam meminerunt, quamvis omnes et imprimis *Iustinus* multa testimonia ex veris Evangeliis describant. *S. Irenaeus* quatuor falsorum Evangeliorum meminit; sed asserit, ea ab omnibus Ecclesiis repudiata esse. *Tertullianus* (1) iam usus est argumento praescriptionis ad probandam nostrorum quatuor Evangeliorum auctoritatem. *Clemens Alex.* duo tantum Evangelia spuria commemorat, Evangelium Hebraeorum, seu interpolatum Evangelium Matthaei, et Evangelium Aegyptiorum. *Origenes* autem (2) recenset quinque aut sex Evangelia spuria, quae ab haereticis compilata, flocci habenda et reiicienda esse dicit. Ex his patet, pleraque Evangelia spuria tertio demum saeculo in lucem prodiisse haereticorum opera, qui doctrinam nascentis Ecclesiae corrumpere, et in suorum errorum confirmationem conficta Apostolorum testimonia in vulgus spargere conati sunt. Verum cum impuri hi erroris et ignorantiae foetus a christianis fuerint repudiati, magis adhuc firmant verorum librorum auctoritatem; exinde enim cognoscimus, quam cauti et diligentes christiani fuerint in expendenda genuina librorum il-

(1) Lib. 4 c. Marcionem.

2: Hom. 1 in Luc

rum origine, qui tum sub nomine discipulorum Christi evulgabantur.

ARTICULUS II.

Libri N. T. sunt integri et incorrupti.

§. 85.

Quando instrumentum in causae patrocinium producitur, primum quidem est, veram eiusdem ac genuinam originem probare; quo facto, nondum res peracta est; nam, ut fidem facere possit, necesse est, ut nullum adsit corruptae integritatis indicium; vel si de corruptione postulatur, depellenda est iniqua accusatio et omnis suspicio ex animo iudicantium excutienda: quod idem nobis circa libros N. T. agendum est. Nullam autem in his libris factam fuisse corruptionem nec demendo, nec mutando, nec interpolando 1) tum *argumentis criticis*, 2) tum *ex ipsa corruptionis impossibilitate* probatur.

§. 86.

I. Libros N. T. integros probant argumenta critica.

Si stricte loqui velimus, in praesenti quaestione probatio non ad nos, sed ad adversarios spectat. Libri enim cuiusdam mutilatio, interpolatio, aut substantialis mutatio sunt facta historica, quae non supponi, sed probari debent. Talem vero corruptionem substantialem ab incredulis nullo modo probatam fuisse, ex obiectionum confutatione apparebit. Quamvis autem hac de causa prudens dubium de librorum N. T. integritate haberi non possit, eam tamen argumentis criticis evincimus, ut omni haesitationi via occludatur.

1. Critici librum integrum et incorruptum reputant, si eiusdem codices antiquissimi cum recentioribus plane quoad substantiam conveniunt. Atqui si antiquissimi, qui detecti fuerunt, et in variis Bibliothecis servantur, librorum N. T. codices inspiciantur et examinentur, omnes tum in Ecclesia latina, tum, quod maximi momenti est, in Ecclesia graeca quoad substantiam plane consentiunt. Ipsi haeretici et schismatici, quorum intererat Ecclesiam romanam de facta corruptione accusare, hanc tamen nunquam ex collatione vetustiorum et recentiorum codicum probare potuerunt.

2. Crescit criticorum argumentum si cum textu originali consentiunt etiam versiones antiquis temporibus et variis in locis factae. Constat autem, librorum N. T. versiones multas et antiquissimas haberi, inter quas eminent syriaca et latina, quae iam primo saeculo factae sunt. At etiam istae versiones quoad substantiam tam inter se, quam cum textu originali consentiunt. Quam firmum pro integritate librorum N. T. argumentum hic consensus praebeat, agnovit vir acatholicus *Bryanus Waltonus*, qui ad Biblia Prolegom. 5, num. 3 ita recte scripsit: « Mirus etiam versionum consensus in omnibus, quae ad fidem et salutem necessaria sunt (nam in aliis minutioribus omnis fere varietas consistit), inter omnes populos tantis terrae marisque intervallis dissitos, soloque eiusdem fidei vinculo connexos, clare testatur, doctrinam horum codicum non in sapientia humana fundatam esse, sed auctoritate divina stabilitam: quorum conservatio contra Satanae eiusque satellitum furores, qui eos non tantum corrumpere, sed penitus abolere totis viribus conati sunt, aperte eorum originem divinam probant. Erroribus etiam, qui ex librariorum inscitia, incuria et audacia, vel haereticorum fraude irrepere possunt, obviatur. Nam quod in una lingua forte contingere potest, in tot per orbem versionibus fieri non potest. Praeterea versionum an-

liquarum.... collationem ad verum scripturae sensum in dubiis et obscuris eliciendum, multum lucis afferre, nemo negaverit, qui animo perpendit, verbum Dei in vero verborum sensu proprie consistere.... Si enim commentaria virorum doctorum multum conferant ad Scripturae intelligentiam, quae idcirco in locis dubiis et obscuris omnes solent consulere; quanto magis conferunt versiones antiquae ubique receptae et ab Ecclesia approbatae, quae non unius vel plurium privatorum hominum, sed totius Ecclesiae sensum et iudicium nobis exhibent? » — Magni momenti est hoc *Waltoni* testimonium, qui celeber fuit Bibliorum polyglottorum editor.

3. Liber a criticis integer et incorruptus habetur, si ex illo frequenter ab antiquis scriptoribus textus citantur, et si isti in nostris quoque codicibus accurate inveniuntur. Atqui ex libris N. T. frequentissime et ab antiquissimis scriptoribus, ut a *S. Ignatio M.*, *S. Clemente Rom.*, *S. Iustino M.*, *S. Irenaeo*, *Athenagora*, *Tertulliano*, *S. Theophilo Anthioch.*, *Clemente Alex.*, *Origene* etc. textus citantur, qui in nostris codicibus accurate inveniuntur. Similes citationes etiam frequenter occurrunt in genuinis Actis Martyrum, qui dum publice coram iudicibus ethnicis fidem suam professi sunt, tum facta, tum verba S. Scripturae saepissime adlegarunt. Imo saeculo tertio et sequentibus ab *Origene*, *S. Hilario*, *Victorino*, *S. Ambrosio*, *S. Chrysostomo*, *S. Hieronymo*, *S. Augustino*, *Theodoreto* etc. commentaria in libros N. T. edita fuerunt, quae cum nostris codicibus perfecte concordant. Quis iam negabit, libros N. T. incorruptos permansisse, cum pro nullius libri integritate tam conspicua et solida argumenta afferri possint?

Nota. Quae ab adversariis argumentis hisce opponuntur, sunt sequentia:

Obi. 1. Autographa librorum N. T. perierunt: ergo facile potuerunt adulterari.

Resp. Nullus est ex veteribus historicis, cuius autographum habeamus; multi sunt quorum versiones tantum supersunt; quis exinde concludet, veteres historias esse adulteratas? — Si ethnicorum opera integra reputantur, etsi eorum autographa desint, quomodo de Apostolorum scriptis ob defectum autographi contrarium iudicium ferre licet? — Apostolorum manuscripta non ad hoc destinata erant, ut in tabulario conservarentur, sed ut Ecclesiis communicarentur et ubique describerentur; unde ipso usu paulatim conteri debuerunt, quod Deus certe ex sapientissimis, sed nobis ignotis consiliis fieri permisit. Ceterum - si autographa extarent, absque dubio etiam contra istorum authentiam et integritatem non minora dubia increduli et haeretici moverent.

Obi. 2. Plurima quidem habentur librorum N. T. exemplaria, sed in istis innumerae reperiuntur variantes lectiones: *Millius Anglus* in editione graeca N. T. earum collegit 30000, alii circiter 50000 numerarunt. Non potest ergo admitti, quod libri N. T. corrupti non fuerint; qui etiam ideo plurimum auctoritatis deperdunt, cum ex varietate lectionum fiat, ut incerti haerere debeamus, quaenam vera et genuina sit.

Resp. Integritati substantiali adeo non obstant lectiones variantes, ut eam potius confirment. Libros enim N. T. simile cum aliis libris fatum expertos esse et accidentales mutationes subiisse, mirum videri nequit, si longa horum librorum peregrinatio per octodecim saecula, si mul-

tiplicatio exemplarium ante inventam maxime typographiam, si modus scribendi variis in locis et variis temporibus varius, si praecipitantia aut imperitia quorundam amanuensium etc. attendatur. Istae autem variantes lectiones non obstant, quominus sibi, quoad substantiam consonent libri sacri. Cl. *Millius* quotquot reperire potuit exemplaria Scripturae, versiones et citationes, quae apud SS. Patres reperiuntur, secum invicem contulit, omnes minutissimas variationes, etiam accentuum dissimiilitudines adnotavit: quod idem alii quoque praestiterunt. Haec ipsa autem variatio lectionum magis confirmat sacrorum librorum auctoritatem; probat enim infinitum fere exemplarium numerum; atqui evidens est, eo maiorem esse libri alicuius veteris auctoritatem, quo plura habentur libri istius exemplaria. — Ceterum notandum est, quod lectiones variantes in iis tantum inveniantur, quae accidentalia et minoris momenti sunt, non autem in iis, quae fidem et mores concernunt; cuius rei ratio exinde petenda est, quia prioris generis errata inemendata permanserunt, posterioris autem generis errata sedulo emendata sunt, ne fidei morumque doctrina corrumperetur. Theologi etiam regulas assignant quibus rite adhibitis inter variantes lectiones genuina et legitima inveniri possit. Ita *Waltonus* in Proleg. 5 ad Biblia n. 6 inquit: « Notandum est, dari media certa, quibus vera lectio, cum codices discrepant, stabiliri potest: scilicet analogia fidei, antiquorum scripta et commentaria, antiquae versiones, codicum antiquorum collatio, maxime vero ipsa Scriptura, in qua antecedentium et consequentium consideratio, et locorum parallelorum et similium observatio multum ad veram lectionem conferunt. Nam illa lectio, quae cum antecedentibus et consequentibus, et cum locis parallelis consentit, et analogiae fidei consona est, vel cum aliis bonae notae codicibus concordat, et ex antiquis Patrum Ecclesiae scriptis corroboratur, procul dubio pro vera et genuina habenda est. » Ex his patet, lectiones variantes substantiali librorum N. T. integritati nullatenus obesse.

Obi. 3. Citationes Patrum perperam pro librorum N. T. integritate afferuntur. Hincinde enim dum verba Scripturae adlegant, neque librum neque nomen auctoris citant; plura afferunt tanquam a Christo dicta quae in Evangeliis non reperiuntur, quale est illud *Clementis Rom.:* « Estote boni usurarii; » quandoque spuria aut saltem corrupta evangelica dicta proferunt, ut est illud eiusdem Clementis in secunda ad Corinthios Epistola: « Si in modico non fuisti fidelis, quis tibi maiora confidet? Amen dico vobis, qui fidelis est in minimo, in maximo fidelis erit. » Tales ergo citationes ostendunt Evangelia mutilata et corrupta esse.

Resp. Motae ab adversariis difficultati opponimus innumeras citationes in quibus ab antiquis Patribus liber cum nomine auctoris indicatur, et verba Scripturae ita proferuntur, prout in hodiernis exemplaribus leguntur, et ex istis citationibus argumentum nostrum infertur, quod per ea, quae ab adversariis obiiciuntur, nullatenus enervatur. Sunt quidem inter antiquos Patres aliqui, qui nomina Apostolorum, quorum testimonia adducunt, non citant, quod non raro etiam apud nos oratores sacri faciunt, imprimis quando textus aliquis ita auditoribus cognitus est, ut iam sciant eum esse ex Evangelio desumptum. Notandum etiam est, non omnia conscripta esse, quae Christus dixit et

fecit, sed multa in altero Revelationis fonte, in Traditione contineri: tale esse potuit citatum a Clemente dictum Christi, quamvis quoad sensum apertissime contineatur in doctrina Christi Matth. VI, v. 19-21 proposita. Posteriora Clementis verba in substantia eadem sunt cum verbis Christi Luc. XVI, 10.

§. 87.

II. Libros N. T. integros demonstrat corruptionis impossibilitas.

Librorum N. T. corruptio rectissime moraliter impossibilis dicitur, si ostendi potest, quod *nullo tempore* contingere potuerit, et quod *auctor*, qui eam perfecerit, assignari non valeat.

1. Si libri N. T. corrupti fuissent, istud vel tempore Apostolorum contigisset, vel statim post Apostolorum mortem, vel sequentibus saeculis: atqui nihil horum dici potest, sed quovis tempore dicta corruptio moraliter impossibilis fuit. Et sane *viventibus apostolis* haec fieri non potuit. Quis enim sibi persuadeat, Apostolorum scripta sub eorum oculis impune temerari potuisse? obstabat profecto hoc tempore una ex parte fervor Apostolorum, et ex altera parte veneratio Christianorum erga Apostolos eorumque scripta, quominus corruptio tentaretur; ab extraneis autem, qui Christianorum libros vel ignorabant vel negligebant, talis mutatio facta haud fuit. *Statim post Apostolorum mortem* recens adhuc erat Apostolorum doctrina, et autographa sacrorum codicum in Ecclesiis servabantur, aut certe probata ab Apostolis exemplaria. Constat porro iam *tribus primis saeculis* in Oriente et Occidente multas et magna ex parte ab Apostolis fundatas Ecclesias fuisse, in quibus libri N. et conservabantur et publice praebantur: quomodo tot exemplaria graeca, syriaca et latina corrumpi potuissent? Si in Oriente talis corruptio tentata fuisset, eam detexissent et reprehendissent Occidentales, et his libros sacros corrumpentibus restitissent Orientales. Neque putandum est talem corruptionem ut rem levem flocci habitam fuisse; constat enim, Episcopos mandati apostolici memores (1), sicut pro puritate fidei, ita et pro incolumitate librorum sacrorum summam curam gessisse, ita ut omnes, qui tempore persecutionum libros sacros ethnicis tradiderant, maximis poenis subiicerentur. Quomodo his temporibus nullo reclamante sacri libri corrumpi potuissent? multo minus autem posterioribus temporibus talis corruptio locum habere potuit, cum reddita per Constantinum Ecclesiae pace, religio christiana maxime ubique propagabatur, et librorum N. T. exemplaria in immensum multiplicabantur. Nam si quis cum pluribus forte sociis libros N. T. clam vel palam corrumpere in substantia voluisset, is quidem omnes codices in toto orbe dispersos, omnes versiones omnesque Patrum commentarios in suam potestatem redigere, parem in omnibus mutationem perficere, et mutatos christiano orbi absque ullo fraudis indicio iterum obtrudere debuisset: quis talem conatum non prorsus impossibilem iudicabit? Si quis autem aliqua tantum exemplaria corrupisset, talis corruptio mox detecta ab aliis Ecclesiis non recepta, sed iuxta exemplaria antiquiora et integra emendata fuisset.

2. Si libri N. T. fuissent vitiati, id factum fuisset vel a Iudaeis vel a Paganis vel a Christianis; sed nihil horum dici potest. Nam non fuerunt corrupti *a Iudaeis;* restitissent enim totis viribus Christiani: et si id tentassent Iudaei, procul dubio corru-

(1) I Tim. 6, 20.

pissent ea quae ipsis contraria erant et indecora, ac praecipue omisissent vel mutilassent, quae de miraculis Christi, de eius resurrectione et ascensione in coelum, de praedicto excidio templi et urbis, de gentis iudaicae dispersione etc. narrantur. Atqui haec omnia in cunctis exemplaribus librorum N. T. reperiuntur: absonum est ergo dicere, Iudaeum quemdam libros N. T. corrupisse.— *Ethnici* sicut Christianos, ita sacros eorum libros vilipendebant, quos eliminare potius, quam corrumpere satagebant. Et si talem corruptionem tentassent, quis credet, fieri potuisse, ut omnes codices in suam potestatem redigerent, omnes depravarent, et corruptos Christianis ita restituerent, ut ab his sine murmure et contradictione reciperentur ut libri sacri et fidei suae documenta? — His accedit quod, si Ethnici libros sacros corrupissent, ea praecipue immutassent seu delessent, quae in iis de vanitate idolorum, de miraculis et divinitate Christi, de necessitate fidei in ipsum etc. scripta leguntur. Cum autem haec omnia in hodiernis librorum N. T. exemplaribus inveniantur, non sine maxima vesania dici potest, libros N. T. ab Ethnicis fuisse corruptos. Sed neque *a Christianis* fieri potuit corruptio; haec enim vel a clericis, vel a laicis, vel ab haereticis, vel ab orthodoxis facta fuisset. Fieri autem certe non potuit a laicis, quia Clerici cum Episcopo restitissent; neque ab istis corruptio perfici potuit, quia, cum libri sacri a Clericis praelegerentur, et ab Episcopo exponerentur, substantialem corruptionem ipsi seniores laici non sine murmure tolerassent, aut saltem Episcopi aliarum Ecclesiarum illi restitissent. Episcopi enim integritati Scripturae solerter invigilabant. Hinc, ut narrat *Sozomenes* (1) cum quidam *Triphillus* coram multis Episcopis verba faciens prō vulgari voce quae in Evangelio erat, alteram, quae elegantior esse videbatur substituisset, *Spiridion* rei novitatem ferre non potuit, sed, quamvis immutatio levis momenti esse videretur, eum tamen publice redarguit. Praeterea corruptio substantialis nec ab orthodoxis, nec ab haereticis, nec ab utrisque communi fraude tentari, aut perfici potuit. Invigilabant enim orthodoxi libris suis, ne ab haereticis corrumperentur, hique vicissim orthodoxos observabant: unde communis in fraudem conspiratio iuxta leges psycologicas impossibilis fuit. Tentarunt quidem nonnulli haeretici corruptionem, sed frustra; constat enim statim repressos fuisse conatus *Tatiani* Paulum corrigentis (2), *Marcionis* Lucam et Paulum mutilantis (3), *Artemonis* et aliorum varia in sacris libris innovantium (4). Denique orthodoxi per librorum sacrorum corruptionem tum conscientiae suae, tum Religioni christianae maxime nocuissent; an enim tale tentamentum infensissimos catholicae Ecclesiae hostes latuisset? nonne exinde Iudaei, Pagani et Haeretici occasionem sumpsissent, novum odium - et non sine iusta causa in catholicos concitandi? Sed tamen ea de re omnino siluerunt.

Nota. Argumenta paris roboris pro nullo alio libro antiquo proferri queunt; cuius tamen integritatem si quis in dubium vocet, stolidi aut petulantis scepticismi accusaretur: unde, inquit Cl. *Grotius*, non solum iniquum, sed ab omni ratione alienum est, libros N. T. corruptos dicere. Nihilominus increduli quaedam facta obiiciunt, ut argumenta nostra enervent.

(1) Hist. eccl. lib. 1, cap. 11.
(2) V. Euseb. H. E. l. 4, c. 29
(3) V. Tertull. de praescr., c. 38.
(4) V. Euseb. H. E. l. 5, c. 26.

Obi. 1. S. *Irenaeus* testatur (1) *Marcionem* Evangelium Lucae et epistolas Pauli mutilasse. *Celsus* (2) Christianos de corruptione S. Scripturae accusat; loquitur enim de fidelibus, « qui similes illis quos eo impellit ebrietas, ut sibi manus inferant, primum Evangelii contextum ter, quater, pluries mutant, perverturtque, ut habeant quo res sibi objectas inficientur. Imo teste *S. Augustino*, Manichaei Catholicis saepe obiecerunt, quod apud ipsos corruptae sacrae litterae serventur: quomodo ergo corruptio impossibilis dici potest? —

Resp. Nos non negamus, variis temporibus fuisse aliquos tam impios et audaces ut sacris Evangeliis atque aliis scriptis canonicis nonnulla addere, aut ab iisdem subtrahere non dubitaverint. Verum irrito omnino conatu eos tam impium facinus perpetrasse, hoc est quod modo contendimus, et quod iam *S. Irenaeus* (3) et *Tertullianus* (4) ostenderunt. *Celso* obiicienti sacras litteras per Christianos esse corruptas, *Origenes* ipse (5) ita respondet: «Equidem non alios novi, qui Evangelii contextum immutaverint, quam *Marcionis*, *Valentini*, fortasse et *Lucani* sectatores. Id vero criminis nostrae doctrinae imputandum non est: in culpa sunt qui Evangelia depravare audent. Nam quemadmodum in philosophiam male conferres, quae a Sophistis, Epicuraeis, Peripateticis aliisque falsae excogitatae sunt opiniones: sic, quia nonnulli Evangelia corruperunt, novasque sectas a Iesu doctrina alienas induxerunt, non continuo in crimen vocari oportet verum Christianismum.» Quin imo tantum abest, ut verus Christianismus in crimen vocari inde possit, ut potius eius cura, diligentia atque constantia in conservandis sine mutatione aut corruptione sacris litteris magis magisque eluxerit, cum veri Christiani iis, qui sacras litteras mutare et corrumpere attentarunt, nunquam non aperta fronte restiterint, eorumque audaciam omnino represserint, prout ex operibus SS. Patrum ac historia ecclesiastica eruditis perspectum est. *S. Augustinus* Manichaeos asserentes, apud catholicos sacras litteras corruptas haberi, de mendacio et calumnia accusat, et (6) inquit: « O vocem a veritate fugacem, in amentia pertinacem! usque adeo invicta sunt quae adversus vos de divinis codicibus proferuntur, ut non sit aliud, quod dicatis nisi eos esse falsatos: » imo talem corruptionem S. Doctor impossibilem reputat: « Quisquis enim, ait (7), hoc primum ausus esset (hoc est, falsare sacros codices) multorum codicum vetustiorum collatione confutaretur, maxime quia non una lingua, sed multis eadem Scriptura contineretur. »

Obi. 2. In Chronico *Victoris* Episcopi Africani (8) legitur, iubente *Anastasio* imperatore, sancta Evangelia, tanquam ab idiotis Evangelistis composita, reprehensa fuisse et emendata: quod idem in suo Chronico enarrat *S. Isidorus Hisp.*

Resp. Narratio *Victoris* nullam fidem meretur, quia ceteri scriptores coaevi et proxime sequentes hac de re altum silentium tenent. Probabilius *Victor* in Africa rumore quodam deceptus fuit. Cum enim *Anastasius* Eutychiana labe infectus esset, et Concilium Chalcedonense reiecisset, merito de ipso dicebatur, quod doctrinam Christi corrupisset, quod ab aliis, qui ob distantiam loci rem examinare non poterant, et

(1) Lib. 1 c. haer. cap. 27, n. 2.
(2) Apud Origenem lib. 2 c. Cels., n. 27.
(3) L. c. (4) De praescr. c. 56.
(5) L. c. (6) L. 11 c. Faust., cap. 2.
(7) Ibid. l. 32, c. 16.
(8) Ap. Scaligerum in thesauro temporum

etiam a *Victore* de corruptione librorum sacrorum intellectum fuit. Ex *Victore* autem *S. Isidorus* narrationem exscripsit, cuius veritatem in Hispania indagare non potuit. Ceterum alius scriptor Victori coaevus, nempe *Liberatus*, diaconus Carthaginensis (1) narrat, sub imp. Anastasio *Macedonium* Patriarcham CPtanum unam tantum litteram in textu I Tim. III, 16 mutasse, et ideo ob haeresis suspicionem mox depositum fuisse. Quomodo imperator sine turbine, sine contradictione et sine lamentis S. Evangelia corrumpere potuisset? *Anastasius* auctoritate sua efficere non potuit, ut Concilium Chalcedonense reiiceretur, quia impiis eiusdem conatibus fortiter restiterunt Episcopi orthodoxi, qui illius errores et prava conamina publice redarguere veriti non sunt. Quis credet eosdem Episcopos Evangeliorum corruptionem cum silentio tolerasse et scriptores historicos, qui ceteros huius imperatoris naevos libere reprehendunt, de tanto delicto penitus tacuisse? — Praeterea si tale crimen Anastasius tentasset, aliquos tantum codices Constantinopoli, non autem omnes orientales et occidentales, non omnes versiones, non omnes Patrum citationes corrumpere potuisset, quod iam ex supra dictis patet. — Denique dictam Evangeliorum mutationem sub *Anastasio* per omnes Ecclesias revera factam non esse, inde manifeste evincitur, quia eadem semper fuit Ecclesiae fides, eademque Evangeliorum et aliorum librorum sacrorum testimonia citata legimus in Conciliis et a SS. Patribus ante Anastasium existentibus, quae in conciliis et Patribus sequentium saeculorum legunt, et etiamnum codices orientales et occidentales atque versiones concordant. Nullam ergo per *Anastasium* imp. corruptionem in Ss Evangeliis, quae universaliter propagata fuerit, inductam esse evidentissime constat.

Obi. 3. Hodiedum in libris N. T. quaedam reperiuntur, quae in multis codicibus olim non legebantur, ut ex. gr. historia mulieris adulterae Ioan. VIII, atque insignis versiculus I Io. V: *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo* etc.: ergo sacri codices fuerunt corrupti.

Resp. Nihil probat haec argumentandi ratio. Ex eo enim, quod quaedam sint Titi Livii, Caesaris et Ciceronis loca quae dubiae sint auctoritatis, non sequitur, cetera, quae unanimi exemplarium fide comprobantur, genuina non esse, aut non integra ad nos pervenisse. Eodem modo de S. Scriptura iudicandum est. Ipsa loca quae interpolata videntur, quia non in omnibus codicibus leguntur, clare ostendunt, universalem corruptionem, quae per codicum collationem detecta non fuisset, nunquam fieri potuisse; unde iis, quae in omnibus codicibus leguntur, plena fides est habenda. Ceterum nullus extat in nostris N. T. libris locus, cuius authenticitas non possit probari. Sic historia mulieris adulterae absque dubio a S. Ioanne scripta fuit; licet enim haec historia e quibusdam codicibus expuncta fuerit ab aliquibus male cautis hominibus, timentibus, ne tali exemplo mulieres adulterii sontes abuterentur, ut suspicatur *S. Augustinus* (2), tamen in longe pluribus antiquioribus reperitur, ut testatur *S. Hieronymus* (3), hancque laudarunt *S. Ambrosius* (4), *S. Chrysostomus* (5), *S. Augustinus* (6) et alii passim. Ita pariter textus I Io. V, 7 certe est Ioannis, sed in nonnullis codicibus omissus fuit vel ex

(1) Ap. eund. Scaliger.
(2) Lib. 2 de coniug. adult.
(3) Lib. 3 contra Pelagian.
(4) Hom. de muliere adult.
(5) Epist. 60 in Io. (6) L. c

incuria amanuensium v. 7 cum v. 8 confundentium, vel ex malitia Antitrinitariorum: ceterum hic textus in antiquissimis codicibus reperitur, et citatus legitur apud *Tertullianum*, *S. Cyprianum*, *Idacium Clarum*, *Victorem Vitensem* et alios. — Cum itaque de librorum N. T. integritate certissime constet, merito huic tractatui finem imponimus iis verbis, quae iam *S. Augustinus* (1) incredulis et haereticis sui temporis reposuit dicens: « Nihil mihi videtur ab eis impudentius dici, vel, ut mitius loquar, incuriosius et imbecillius, quam Scripturas divinas esse corruptas, cum id nullis in tam recenti memoria extantibus exemplaribus possent convincere.

ARTICULUS III.

Auctores librorum N. T. sunt fide dignissimi.

§. 88.

Iuxta sanam philosophiam et regulas criticas quilibet testis plenam fidem meretur, de quo certo constat, quod facta, quae refert, recte cognoverit et quod eadem non aliter, quam prout contigerunt, cum omni sinceritate enarrare velit. Utrumque autem de auctoribus librorum N. T. evidentissime probari potest. Pollent enim ipsimet in summo gradu illis dotibus, quas iuxta regulas criticas pro auctoritate fide digna testium ratio exposcit, nimirum *requisita scientia*, vi cuius de factis a se narratis debitam scientiam habuerunt, et *candida sinceritate*, qua nonnisi vera enarrare voluerunt.

§. 89.

I. Auctores librorum N. T. requisita scientia pollebant.

Testes, qui facta a se enarrata, non solum nosse potuerunt, sed et debuerunt, et contra quorum rectam notitiam nihil omnino excipi potest, certissime requisita scientia pollentes dicendi sunt. Haec autem de auctoribus librorum N. T. apertissime obtinent; illi enim facta et dicta Christi, quae referunt, et reliqua, quae contestantur, recte nosse non solum potuerunt, sed et debuerunt; et contra rectam eorum scientiam nihil omnino excipi potest.

1. Apostoli enim et Evangelistae Christo coaevi fuerunt, et in eodem loco eodemque tempore commorati sunt, quo facta, quae ab ipsis narrantur, contigerunt. *Petrus*, *Matthaeus*, *Ioannes*, *Iacobus* et *Iudas* per triennium individui Christi comites fuerunt, omnia ipsius verba audientes et actiones videntes. *Marcus* et *Lucas*, qui probabilius ex 70 discipulis fuerunt, perpetuo cum Apostolis conversati sunt, quibus dictantibus et approbantibus scripta sua exararunt. *Paulus* ante conversionem suam Hierosolymis degens et Pharisaeorum sectae addictus absque dubio magnam iam de publica Christi doctrina et vita notitiam habuit; puriorem vero et pleniorem post conversionem suam tum ex superno auxilio (2), tum ex conversatione cum discipulis Damasci habitantibus (3), tum ex commercio cum Apostolis hausit, a quibus ceu collega agnitus fuit (4).

2. Neque ex eo quod Apostoli et Evangelistae, exceptis Paulo et Luca, *homines rudes et idiotae* fuerint, aliquid excipi potest contra requisitam ipsorum scientiam. Quamquam enim in iis, quae subtiliora sunt et magnum eruditionis apparatum requirunt, testis doctus praestet indocto; attamen iis, quorum notitia a solis sensibus dependet, et quae, ut rite cognoscantur, non requirunt nisi sensus sanos eorumque usum, maio-

(1) Lib. de utilitate credendi c. 3.

(2) Act. 9, 1 etc.
(3) Ib. v. 19. (4) Gal. 2, 9.

ris auctoritatis est testis indoctus et simplex, quam doctus qui sua hinc-inde placita factis observatis immiscet. Non obstante ergo sua simplicitate, Apostoli ea quae Christus fecit et docuit, ac cetera quae eo tempore coram ipsis acta sunt, recte cognoscere et legitime contestari potuerunt. Praecipue vero miracula Christi in talibus consistebant factis externis, quae a quolibet etiam maxime rudi homine per rectum sanorum sensuum usum cognosci poterant. Apostolos autem et Evangelistas, ut non deciperentur, sed certam sibi notitiam compararent, sensibus suis rite usos esse et omnia diligenter explorasse, manifeste patet tum ex gravitate rei, cui, relicta religione avita, toto animo adhaerebant, tum ex natura factorum extraordinariorum, de quibus omnes stupebant, tum ex eorum narratione qua minutas quoque circumstantias saepe describunt. Itaque requisitam eorum, quae referunt, factorum scientiam non solum habere potuerunt, sed et debuerunt.

3. Ob certae scientiae defectum scriptoribus illis fides non habetur, de quibus constat, quod nimis creduli sint et sine debito examine omnia ut vera venditent quae ex vano rumore perceperunt. Ast haec *nimia credulitas* Apostolorum scientiam suspectam reddere non potest. In ipsorum enim historia nullum nimiae credulitatis vestigium apparet, sed saepius se nimis incredulos ostenderunt, praecipue cum ageretur de Christi resurrectione, quam ex magistri sui promissionibus expectabant et maxime desiderabant, sed ad quam credendam satis tardi erant (1). Praecipue *Thomas* ceterorum Apostolorum qui Christum resuscitatum iam viderant, testimonio non credidit, sed contra magistri sui resurrectionem dubia movit et incredulus mansit, donec ipsemet sacra Christi resuscitati vulnera vidit et palpavit. His accedit, quod nimia credulitas excipi non possit contra testes oculatos, quales plerique ex apostolis fuerunt.

4. Multo minus de Apostolis suspicari licet *fanatismum*, qui hinc-inde imaginationis partus pro veritate venditat. Apostolos enim et S. Scriptores hoc morbo non laborasse, evidenter commonstrat tum eorum mira in doctrina et testimoniis proferendis unitas et concordia, quae inter plures fanaticos nunquam observatur, tum stilus ipsorum simplex fanatismo penitus contrarius, tum denique character eorum uniformis, qui veritatem intrepide quidem defendit, sed non caeco modo se periculis obiicit.

5. Scientiae testium nil magis obest, quam *deceptio;* frustra enim veritas ab illo quaeritur, qui ipsemet in errore cubat. Neque negari potest, tales deceptiones frequentissime inter absentes contingere, dum dicta et facta hominum coram aliis, qui eadem nec audierant nec viderant, aut penitus finguntur aut saltem corrupta referuntur. Hinc-inde etiam praesentes decipiuntur, quod fit ab histrionibus, qui occultis artibus praesenti multitudini illudunt. Num forte etiam apostoli simili modo circa mira Christi facta decepti fuerunt? — Ast multa sunt quae ostendunt, talem deceptionem in Apostolis nullatenus locum habere potuisse. Tali deceptioni obstat 1° *character Christi*, qui tam sancte vixit, ut infensissimi ipsius adversarii ad eum dicerent: *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum* (2). Iidem obmutuerunt, cum eos provocaret dicens: *Quis ex vo-*

(1) Matth. 28, 17, Luc. 24, 41.

(2) Matth. 22, 16

bis arguet me de peccato (1)? Imo etiam in publico iudicio *principes sacerdotum, et omne concilium quaerebant falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent, et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent* (2). Cum autem nemo iudicandus sit malus, nisi probetur, ipsa sana ratio prohibet, quominus de illibatae sanctitatis viro dicatur, quod in re gravissimi momenti deceptorem egerit. Eidem deceptioni obstat 2° *natura factorum*, de quibus Apostoli testimonium ferunt; cum enim miracula Christi, de quorum veritate historica praecipue quaeritur, opera externa fuerint, et sine praeparatione, plena luce, multis spectantibus contigerint, deceptio plane impossibilis fuit. Huic obstat 3° *indoles Apostolorum*, qui cum propter Christum sua relinquere et multa pati debuerunt, absque dubio probe attenderunt, an non in factis ipsius extraordinariis aliqua deceptio subsit. Deceptioni denique obstat 4° *character adversariorum Christi*, qui zelo et livore ducti, omnes ipsius actiones non solum diligentissime observarunt, sed et de istis forenses inquisitiones instituerunt, atque ideo pro sua sagacitate fraudem, si quae latuisset, certissime detexissent et publice manifestassent: id autem factum fuisse, ex nullo antiquo monumento ostendi potest. Recte igitur concluditur, Apostolos in iis, quae narrant, nullatenus deceptos fuisse.

Nota. Nonnulli ex recentioribus Religionis christianae adversariis, cum cognoscerent argumenta pro Apostolorum sinceritate tam valida esse, ut nullo conatu infirmari possint, tela sua contra eorumdem scientiam direxerunt. Quae autem huic opponunt facillime refelluntur si attendatur, quod inferius probabitur, nempe auctores librorum N. T. divinitus inspiratos, atque ita a Spiritu S. directos fuisse, ut a veritate aberrare et falsa proferre nullo modo potuerint. Quoniam autem adhuc cum incredulis agendum est, qui divinam inspirationem non admittunt, eorum obiectiones etiam argumentis criticis refellendae sunt.

Obi. 1. Apostoli multa enarrant, quibus praesentes non fuerunt, et quae scire non potuerunt: talia sunt quae de Christi infantia, de eius baptismo et ieiunio, de eius transfiguratione et passione etc. in Evangeliis referuntur: in his ergo ob scientiae defectum fidem non merentur.

Resp. Apostoli facta, quibus praesentes non fuerunt, a testibus omni exceptione maioribus audierunt. Quae in Christi conceptione, nativitate et infantia contigerunt, a Maria Matre ipsius perceperunt, quae cum Apostolis conversabatur. Quae in baptismo Christi evenerunt, certe Ioannes discipulis suis narravit, quorum plerique Christo se adiunxerunt. Christus porro ipse discipulis suis manifestavit quae facta sunt in deserto, vel in aliis locis, a quibus absentes fuerant. Passionem Christi magna ex parte observarunt Petrus, *qui a longe secutus est eum usque intro in atrium summi sacerdotis* (3), et Ioannes qui cum Maria matre Iesu iuxta crucem stetit (4); praeterea aerumnae Christi publicae erant, omnibusque notae. Quam impie ergo et insipide adversarii argumentantur dum dicunt, Apostolos ea quibus praesentes non fuerunt scire non potuisse, et ideo fidem non mereri? Si talis conclusio valeret, qualis esset historicus qui vel minimam fidem mereretur? —

Obi. 2. Labilis est memoria hominum, qui eorum quoque quae propriis oculis viderunt, facile obliviscuntur, et post aliquot annos facta omnino alite-

(1) Ioan. 8, 46. (2) Matth. 26, 59 etc. (3) Marc. 14, 54. (4) Io. 19, 26.

enarrant quam prouti contigerunt. Constat autem, discipulos Christi, elapsis iam pluribus post mortem eius annis, Evangelia scripsisse, quo tempore non omnium quae contigerant accuratam notitiam habere poterant. His accedit, quod facta Christi, ut fieri solet, per loquacitatem hominum et fallacem traditionem ita corrupta et per varia adiuncta exaggerata fuerunt, ut mira et stupenda viderentur. Tali porro traditioni corruptae rudes Apostoli fidentes necessario decepti fuerunt, et falsa protulerunt.

Resp. Etiamsi a divina assistentia (qua S. Scriptores praediti erant) abscindamus, facta externa publica et extraordinaria ex Apostolorum memoria excidere non poterant, praesertim cum absque dubio de illis saepissime tum cogitaverint, tum inter se et cum aliis disseruerint. Mox enim post ascensionem Christi in coelum praedicationem suam inceperunt, in qua non solum doctrinam magistri sui annuntiare, sed ad fidem in Christum excitandam eius miracula ubique nota facere debuerunt; haec igitur cum suis circumstantiis ex eorum memoria labi non poterant. Undenam autem increduli sciunt, traditionem circa facta Christi corruptam fuisse, et Apostolos eandem in scriptis suis secutos esse? utrumque factum fingunt, et ne ex minimo quidem monumento probant. A nobis potius ostendi potest, quod talis corruptio fieri non potuerit. Haec enim certe facta non est a Iudaeis et Gentilibus qui Christo infensi erant, et ideo eius miracula obscurare potius, quam exaggerare conati sunt. Christianorum autem qui, dum fidem christianam amplecterentur, plurimis se persecutionibus exponebant, maxime interesse debuit, ut nonnisi veritatem sequerentur; atque si falsa adiuncta cum veris propalassent, maximo se periculo exposuissent, deterrimas de fraude et deceptione accusationes gravioresque persecutiones subeundi. Quod si quidam ex simplicitate aut ex alia causa falsa de Christo publicassent, ipsi Apostoli illis restitissent, et traditiones corruptas in suis scriptis non recepissent sed correxissent, quia nonnisi vera narrare voluerunt ut modo probabitur.

§. 90.

II. Auctores librorum N. T. vera narrare voluerunt.

Veracitas in teste supponi debet, donec contrarium evincatur. Cum enim homini innatus sit veritatis amor, extrinsecum dumtaxat motivum ipsum ad mendacia proferenda inflectit: tale autem extrinsecum motivum cum habeat rationem facti, non iam temere supponi potest, sed solidis argumentis probari debet, quod, quamdiu non fit, sinceritas testis admittenda est: ita communiter Philosophi et Theologi sentiunt. Pleno iure igitur de auctoribus librorum N. T. sinceritatem praedicamus, donec adversarii ex genuinis monumentis probaverint, illos ex spuriis motivis ad falsa proferenda adductos fuisse: id autem nunquam probaverunt, nec probare poterunt. Firma ergo stat propositio nostra, quod auctores librorum N. T. nonnisi vera narrare voluerunt. — Cum autem agatur de re summi momenti, operae pretium est, ut solidis argumentis eorundem *Auctorum veracitas* probetur. Haec autem plena certitudine cognoscitur, sive *ipsi scriptores*, sive *eorum scripta* debito modo considerentur.

1. *Si sacros Scriptores*, Apostolos et Evangelistas, consideramus, multa sunt quae ostendunt ipsos nonnisi vera proferre. Nam 1° plerique ex ipsis non sagaces Philosophi, non magno eruditionis et dialecticae apparatu instructi, sed homines plebeii,

simplices et idiotae fuerunt, quibus tam temerarium consilium vix in mentem venire potuit, ut per falsa testimonia litteris consignata tum Gentiles, tum Iudaeos sibi maxime infensos, et suis dictis et factis ubique invigilantes decipere tentarent. 2° Vitam egerunt integerrimam ita, ut nullus eorum ab infensissimis adversariis de quodam crimine accusatus fuerit; ipsorum enim vivendi ratio cum sanctissima, quam praedicaverunt, doctrina perfecte consensit. Quam temerarium iam est, de tantae probitatis viris in summo Religionis negotio fraudes et mendacia suspicari? — 3° Nihil ad fallendum inducere potuit auctores librorum N. T.; ex falso enim testimonio nullum omnino emolumentum sibi comparare, et neque divitias, neque honores, neque voluptates in hac vita expectare, neque mercedem pro altera vita sibi polliceri poterant, cum ipsimet scirent et profiterentur, deceptionem in gravissimo Religionis negotio aeternis suppliciis mulctandam esse. Quis ergo negabit, ipsos solo veritatis amore ad dicta et facta magistri sui enarranda adductos fuisse? — 4° Accedit, quod Apostoli plurima incommoda sustinere debuerint ut praeceptum sibi impositum adimplerent, et euntes in mundum universum praedicarent Evangelium omni creaturae (1). Debebant enim ideo patriam, amicos et parentes deserere, atque in molestis itineribus non solum famem et sitim, frigus et aestum, sed etiam opprobria, maledicta, verbera et carcerum squalores perpeti. Quis vero sanae mentis sibi persuadeat, voluisse Apostolos sine ulla spe lucri tot adversitatibus gravissimis se subiicere, ut falsa et fictitia annuntiarent? — Fragiles homines persaepe mendacia proferunt, ut poenas declinent; Apostoli vero, si, ut adversarii contendunt, decipere voluissent, mendacia protulissent ut dirissimos cruciatus experirentur, quos a falso suo testimonio desistentes effugere potuissent: quis tam inauditam stupiditatem Apostolis adiudicabit? Denique 5° praeclari Religionis christianae praecones et scriptores pro veritate testimoniorum suorum invicto animo non solum plurimas aerumnas, sed ipsam quoque mortem tolerarunt. Id constat de *S. Iacobo Maiori* ex ipsa S. Scriptura (2), de *SS. Petro et Paulo* ex monumentis plurimis, ac etiam de ceteris Apostolis, uti de *S. Marco* quoque et *Luca;* tum ex authenticis scriptis, tum ex constanti traditione, ut prudens dubium superesse non possit. *S. Ioannes Evangelista* pariter tum exilium, tum martyrium perpessus est, in quo tamen virtute divina incolumis conservatus est (3). Maius autem veracitatis argumentum pro teste haberi non potest, quam mors pro veritate sui testimonii tolerata.

2. Si Apostolorum et Evangelistarum scripta sine praeiudiciis et cum debita maturitate legantur et perpendantur, clarissime apparet, auctores librorum istorum incontaminato veritatis amore ad scribendum impulsos, et in scribendo directos esse. Nam 1° argumentum quod proponunt est Iesus Christus crucifixus, Iudaeis scandalum et Gentibus stultitia, ac Religio Christi utrisque exosa: ad tale autem argumentum ut viva voce praedicandum, ita litteris consignandum solus veritatis amor impellere potuit. 2° Accedit stilus eorum omnino simplex, quo facta magistri sui, licet extraordinaria et stupenda, breviter sine emphasi et sine verborum ornatu proponunt.— Tales vero scriptores multo maiorem semper fidem merentur, quam illi,

(1) Marc. 16, 15. (2) Act. 12, 1 etc. (3) V. Sandini, Histor. apost

qui in narrationibus suis stili elegantiam, et dictionis ornatum anhelare cognoscuntur. 3° S. Scriptores ea quoque candide narrant, quae illo tempore Christo parum honorifica videri poterant; sic ex. gr. referunt Christi nativitatem in stabulo, fugam in Aegyptum, vitam obscuram in domo fabri, imo et eius agoniam ante passionem, quam, utpote unici illius testes, facile reticere potuissent. Simili modo proprias infirmitates, natalium vilitatem, ignorantiam suam, praeiudicia sua, inordinatas suas passiones, fugam suam, dum Christus caperetur, proditionem Iudae, negationem Petri, incredulitatem Thomae etc. sine tergiversatione fatentur. Talia vero non scripsissent, si quid aliud quam solam veritatem quaesiissent. 4° Neque principibus Sinagogae aut potenti Pharisaeorum sectae, aut Gentilibus ullo modo blandiri studuerunt, sed acerrimos a Christo contra illos habitos sermones fideliter referunt, et intrepido narrant ac scribunt, Pharisaeos et principes Iudaeorum ex invidia et odio, Pilatum vero ex inani timore Christum morti tradidisse. Quis talem S. Scriptorum sinceritatem non admirabitur? 5° Magni quoque momenti est, quod plures scriptores, per varias regiones dispersi, Christi historiam ita enarrent, ut nullibi sibi contradicant, sed circa dicta et facta magistri sui plane consentiant. Nec unum alterum descripsisse dici potest; quod patet tum ex diversitate stili, tum ex occurrentibus antilogiis, quas reales non esse recta exegesis ostendit. Neque asserere licet scriptores in unanimem deceptionem coniurasse; id enim repugnat tum ipsorum characteri, tum recte rationi, quae tantae malitiae causam assignare nequit. Denique 6° deceptio impossibilis fuisset; nam S. Scriptores enarrant facta publica, in conspectu plurimorum coaevorum patrata, loco et tempore accurate assignato, appositis quoque variis circumstantiis et adiunctis quae, si non ita contigissent, prout scripta fuerunt, deceptio statim detegi, et in maximum Apostolorum opprobrium vergere debuisset. — Omni iure ergo pro conclusione hoc dilemma proponi potest: Apostoli vel deceptores erant, vel non: si primum, certe talia facta tanquam publice patrata non narrarunt quae haud contigerunt; si secundum, ergo omnem fidem merentur.

Nota 1. Veracitas Apostolorum et Evangelistarum etiam per testimonia exterorum, Iudaeorum et Ethnicorum, confirmatur. Non levis ponderis argumentum recte iam ex eo deducitur, quod ex nullo antiquo monumento ostendi possit, Apostolos, dum verbis et scriptis dicta et facta Christi publice annuntiarunt, de falsitate testimonii unquam accusatos fuisse. Eorum quidem praedicationem adversarii Christi omni modo prohibere studuerunt, sed Apostolos falsa et fictitia protulisse, nunquam asseruerunt. Iudaei ergo et Gentiles coaevi saltem silentio suo veritatem eorum confirmant, quae in libris N. T. narrantur. Imo hoc silentium pro veracitate Apostolorum et Evangelistarum eo firmius praebet argumentum, quo magis infensissimi Religionis christianae hostibus interesse debuit, ut Apostolos mendacii et falsitatis arguerent, et sic eorundem auctoritatem labefactarent. — His accedit, quod etiam nonnulli scriptores exteri coaevi, aut proxime sequentes facta Christi ab Apostolis relata confirment. Inter Scriptores Iudaeos eminet *Iosephus Flavius*, qui lib. 18. Antiq. iud., cap. 3. commemorans ea, quae sub Pontio Pilato acta sunt, haec scribit: «Eo etiam tempore fuit Iesus, vir sapiens,

si tamen virum eum appellare fas est. Fuit enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui verum cum voluptate accipiunt, multosque Iudaeos, multos etiam Gentiles ad se pellexit. Hic erat Christus, quem cum Pilatus ab hominum nostrorum primis delatum crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt, qui primum amaverant. Apparuit autem eis tertio die redivivus, divinis vatibus et haec et mille alia de eo miranda effatis. Atque ab eo denominata Christianorum natio durat usque ad hunc diem.» Hunc vero locum genuinum esse, Critici solidis argumentis probant; nam 1° in antiquissimis codicibus invenitur, in nonnullis autem, teste *Caveo* et *Baronio*, erasus videtur; ex quo colligitur, eadem Flavii verba etiam in his codicibus contenta, sed probabilius a Iudaeis in odium Christianorum extincta fuisse, sicuti etiam omissa fuerunt in citato Flavii opere, a quodam Iudaeo in compendium redacto: 2° idem locus citatur ab *Eusebio* (1), a *S. Hieronymo* (2), a *S. Isidoro Pelus.* (3), a *Sozomeno* (4), a *Cedreno*, *Nicephoro*, *Suida*, et aliis: 3° *Iosephus Flavius*, qui res iudaicas describendas sibi sumpserat, profecto non potuit silentio penitus praeterire gesta Christi, cum *Ioannis Baptistae* et *Iacobi* fecerit mentionem, quorum tam illustria non erant nomina; at si expungantur citata verba, Iosephus Flavius in toto suo opere de Christo mentionem ullam non fecisset. Ideo usque ad saeculum decimum sextum citatus locus semper ut genuinus habitus est; et quae illius authentiae officiuntur, nullius ponderis sunt. Verum quidem est Iosephi testimonium citatum non fuisse a *S. Iustino*, *Tertulliano*, *Clemente Alex.*, *S. Cypriano*, *Origene*, aliisque veteribus Apologetis; sed isti aut non habuerunt Iosephi opera, aut si habuerunt, noluerunt eius auctoritate contra Iudaeos uti, quibus Iosephus, quoniam Romanis se iunxerat, exosus erat. Temerarium porro est dicere, *Eusebium* in Christianorum favorem confinxisse hoc testimonium, et ab *Eusebio* hausisse ceteros, eius auctoritate deceptos; incredibile enim est, virum tantum, tamque illustrem, tam fuisse prodigum famae suae, ut fingere vellet, cuiusmodi fraudem detegere facillimum fuisset: omnes hausisse ex *Eusebio*, non inspectis ipsius Iosephi codicibus, arbitrarie asseritur, nec absque iniuria illorum scriptorum, ex quibus nemo est, qui *Eusebium* nominaverit, quasi omnes fuissent plagiarii. — Ethnicos Scriptores de factis Christi miris haud multa commemorare, mirum non est, quia illa vel ob distantiam loci ignorarunt, vel non crediderunt, vel contra se testimonia proferre noluerunt. Nonnulla tamen hic adduci possunt. Teste enim *S. Iustino M.* (5) et *Tertulliano* (6) Pilatus in actis ad Imperatorem missis miracula Christi enarravit. Porro *Celsus*, Philosophus epicuraeus, teste *Origene* (7), plurium miraculorum Christi veritatem historicam admisit. Idem de Porphyrio, Philosopho platonico, testatur *S. Cyrillus Alex.* (8). *Plotinus* omnia, *Hierocles* multa Christi miracula ut historice vera declararunt (9). *Arnobius Afer* (10) et *Lactantius* (11) alios Philosophos ethnicos adlegant, qui miracula Christi nullatenus negarunt, sed magiae

(1) L. 1 hist. eccl., cap. 10, et l. 3 dem. evang.
(2) Catal. script. (3) Lib. 4, Epist. 225
(4) L. 1 hist. eccl., c. 1.
(5) Apol. 1, n. 48.
(6) Apol. c. 21.
(7) C. Cels. l. 1, n. 6 etc., et l. 2, n. 47, etc.
(8) L. 10, c. Iulian.
(9) Ap. Euseb. c. Hierocl.
(10) Adv. Gent. l. 1, n. 45.
(11) L. 4, div. inst. cap. 13.

adscripserunt. Cf. *Beda Mayr* (1), *Frint.* (2).

Nota 2. Quamvis de nullo Scriptore historico scientia et veracitas ita probari possint, sicuti de auctoribus librorum N. T. probatae sunt; nihilominus temerarii homines dantur, qui praeiudiciis, et passionibus obcaecati Apostolorum et Evangelistarum testimoniis fidem detrectant, atque etiam ipsorum veracitatem obscurare tentant.

Obi. 1. Num Apostoli et Evangelistae nonnisi vera locuti sint et scripserint, ab hominibus coaevis serio examinandum et solide diiudicandum erat. Id autem eo tempore nec factum est, nec etiam fieri potuit. Nam ante Constantinum pauci admodum fuerunt Christiani; qui autem Christo nomen dederunt, erant homines plebeii, rudes, fanatici, creduli, prodigiorum amatores, quales Iudaeos omni tempore fuisse ex profanis auctoribus discimus. Ergo nec Apostolorum, nec sequentium saeculorum testimonium aliquid probat

Resp. Quae ab adversariis obiiciuntur, falso supposito laborant. Falsum enim est, primis saeculis paucos admodum Christianos fuisse. Contrarium tum sacri, tum profani scriptores testantur. Sufficiat hic testimonium *Plinii iunioris*, qui in sua ad Traianum epistola scribit: « Religionem christianam implere civitates, vicos et agros, templa esse deserta, et neminem emere victimas. » Aeque falsum est, primos Christianos homines tantum rudes et illiteratos fuisse. Certum est enim, Religionem christianam in civitatibus potissimum fuisse praedicatam, et exinde demum se se in pagos et vicos diffudisse. Iam Apostolorum tempore in celeberrimis per orbem urbibus, Romae, Corinthi, Athenis, Ephesi, Hierosolymis, Antiochiae, Alexandriae Ecclesiae christianae fundatae sunt; neque solum plebeii, sed etiam nobiles, imo et Philosophi Religioni christianae nomen dederunt. Quis ergo asserere audebit, primos Christianos omnes rudes, et plebeios fuisse? Quis inter illiteratos numerabit *Paulum*, *Lucam*, *Stephanum*? quis *Gamalielem*, *Zachaeum*, *Iairum* synagogae principem, *Iosephum* ab Arimathaea, *Nicodemum*? quis *Cornelium* Centurionem, *Sergium* Proconsulem, *Dionysium* Areopagitam, *Clementem* Romanum, et alios multos? Primos Christianos fanaticos fuisse, nullo argumento probari potest: contrarium vero ostendit tenor vitae, quam gerebant; erant enim cor unum et anima una, omnia patienter tolerabant, neminem laedebant, bona pro malis impendebant: ita nec loquuntur, nec agunt fanatici. —Etiamsi porro concederetur, quod nunquam concedi potest, primos christiani nominis sectatores tales fuisse, quales ab adversariis nostris depinguntur, quis non videt, magis adhuc exinde confirmari quae diximus? Constat enim, non natos tunc fuisse Christianos, sed factos. Nemo autem praeiudiciis ab infantia haustis, imprimis cum Religionem spectant, firmius inhaeret, nemo communi aliorum opinione magis ducitur, quam homines rudes et fanatici. Quomodo ergo fieri potuit ut homines sive Iudaei, pravis opinionibus contra Christum eiusque doctrinam a teneris annis imbuti, sive Gentiles idololatriae a pueritia dediti, Apostolorum scripta tanti aestimarent, eis plenam fidem praeberent, eaque tanta constantia defenderent? —Plebs quidem prodigia et mirabilia amat; sed cum ea favent suis praeiudiciis, suis propensionibus, suae Religioni. Porro

(1) Defens. relig. t. III, seu p. 2, sect. 2, §. 209-220.

(2) T. II, §. 546-556.

quod Iudaei ut homines creduli, et prodigiorum amatores traducantur ab auctoribus profanis, alia procul dubio ratio non est, nisi quia in libris sacris Iudaeorum multa narrantur vera miracula, quae pagani sine examine et ratione irriserunt, sicut increduli nostri Christianorum miracula sine ratione et examine irridenT. His accedit, quod, ut testatur historia, iam viventibus Apostolis non ex Iudaeis tantum, sed etiam ex Gentilibus multi fidem Christi susceperint, et Apostolorum testimoniis firma fide inhaeserint.

Obi. 2. Quovis saeculo contigit, ut miracula spuria et conficta in vulgus spargerentur, et a variis quoque auctoribus litteris consignarentur: ergo hoc idem etiam Apostolorum aevo contingere potuit; quamobrem scriptis quoque eorum testimoniis fides non est habenda.

Resp. Si christiani quidam auctores miracula fictitia commemorant, facile est, eos nimiae credulitatis convincere, quod et factum est a viris probis et eruditis, qui iuxta sanae critices regulas fabulosa a certis magna cum cura et diligentia secreverunt. Verum an ideo repudianda est veritas, quia mendacium saepe veritatis larvam induit? an repudiandae sunt omnes historiae, quia multi iam fabulas pro historiis vendiderunt? An quia saepe nummi adulterini sparsi sunt, nummos omnes nunc abiicient sagaces Philosophi? Ceterum notandum est, non omnia miracula spuria et conficta esse, quae recentiori aevo a nonnullis Criticis rigidioribus ideo tantum reiecta fuere, quia argumenta, quibus probantur, ipsis satis solida visa non sunt. Constat autem, quod multa facta vere contigerint, quae tamen sufficienter probari non possunt, et quod constans et uniformis traditio validius argumentum sit, quam unius, alteriusve scriptoris testimonium.

Obi. 3. Apostolorum et Evangelistarum sinceritas ex eo potissimum colligitur, quod nihil eos potuisset ad fallendum inducere, quod stilo simplici usi fuerint, et proprios quoque defectus manifestaverint, ac tandem pro veritate mortem pertulerint. Sed haec argumenta nil probant; nam Apostolos ambitione plenos fuisse, et inter se de primatu contentiones habuisse, ex Evangeliis patet. Vere ergo, dum miracula Christi annuntiarunt, propriam gloriam et alia commoda speraverunt; ideo etiam stilo simplici usi sunt, ut facilius decipiant; et proprios defectus propalarunt, ut humilitatem affectent, et sic tanquam vere sancti reputentur. Carceres vero, verbera et mortem pertulerunt vi coacti, cui resistere nullo modo potuerunt.

Resp. Non negamus, Apostolos aliquamdiu ambitioni in corde suo locum dedisse, et de primatu contentiones inter se habuisse, quia communi Iudaeorum praeiudicio capti falso arbitrabantur, a Christo regnum terrenum instituendum fore; sed vana haec spes necessario penitus evanuit post Christi mortem, quem extremo supplicio interemptum sciebant. Constat porro ex historia, quam nemo negavit, et eventus confirmavit, Apostolos post ascensionem Christi in coelum et adventum Spiritus S., in alios prorsus viros sapientes, intrepidos et sanctos mutatos fuisse. Ideo post Christi mortem ne minimum quidem ambitionis signum in Apostolis observabatur, ac infensissimi Religionis christianae hostes eos nunquam de ambitione accusarunt. Undenam ergo increduli sciunt Apostolos in praedicatione Evangelii propriam gloriam et alia commoda quaesiisse? id illi sine omni argumento, imo contra rationem debla-

terant; nam si nominis celebritatem, applausum hominum, et commodum proprium quaesiissent, non religionem praedicassent omnium gentium opinionibus et humani cordis concupiscentiis penitus contrariam. Temerarium porro et absonum est, quod de affectata ex perverso fine stili simplicitate effutiunt. Unde enim viris istis, idiotis et illiteratis tanta inesse potuit ingenii subtilitas, tanta in texendis fraudibus, iisque sub ingenuitatis et sinceritatis specie tam astute tegendis sagacitas, qualis in vaferrimis et subtilissimis ingeniis non reperitur? quomodo factum est, ut, quamvis alii post alios diversis temporibus scripserint, nihil tamen ipsis exciderit, quod vel leve tantum esset fraudis indicium? — Sine argumento rursus, et petulanter adversarii Apostolos calumniantur, quod ideo defectus suos manifestaverint, ut humilitatis et sanctitatis famam consequantur. Quaerimus enim, quibusnam in hac hypothesi placere studuerint? Num Iudaeis et Gentilibus? Sed isti de humilitatis praestantia rectas ideas non habuerunt: num Christianis? sed isti iam aliunde de divinitate religionis christianae omnino persuasi esse debuerunt, ut doctrinam Christi de humilitate noscerent, crederent et applicarent. Firma ergo stat nostra propositio, quod Apostoli solo veritatis amore defectus suos candide manifestaverint. — Denique ex historia constat, persecutores Christianis optionem dedisse, num a fide sua deficere, aut saltem a praedicatione Evangelii desistere, vel tormenta et mortem tolerare velint. Potuissent ergo Apostoli persecutiones et martyrium declinare, et quoniam in fide et praedicatione sua constantes permanserunt, per mortem suam egregium pro veritate praedicatae doctrinae testimonium tulerunt.

Obi. 4. Evangelistae ipsi non consentiunt, sed sibi in pluribus contradicunt; ergo fidem non merentur.

Resp. Rectius nos dicimus, incredulos sibimetipsis contradicere; modo enim talem inter Evangelistas consensum admittunt, ut clamitent, unum alterum descripsisse; modo autem talem dissensum adstruunt, ut propter apertas contradictiones nullam eis fidem habendam esse pronuntient. Nos vero concedimus quidem, Evangelistas non consentire eo sensu, quod non omnes eadem facta, neque eodem prorsus modo referant; negamus vero, eos non consentire eo sensu, quod unus neget, quod alter affirmet. Prioris autem dissensionis ratio est, quia in uno eodemque facto multae circumstantiae concurrere possunt: hinc fit, ut, si ex. gr. decem testes oculati et veracissimi idem factum enarrent, in referendis tamen circumstantiis non conveniant, quia unus hanc, alter aliam circumstantiam exponendam esse censet; quin tamen neget ceteras circumstantias, quae pariter cum facto principali vere coniunctae fuerant, et ab aliis referuntur. Id tunc praecipue contingere debet, cum celebris viri historiam plures describunt, quorum tamen nullus omnia eiusdem facta cum cunctis circumstantiis enarranda suscipit: hinc necessario sequitur, quod pro diversa indole, aut pro vario interiori impulsu varia eiusdem viri facta, aut varias eiusdem facti circumstantias referant, quin tamen sibi contradicant. His notatis facile declaratur, quare quatuor Evangelistae in factis Christi eorumque circumstantiis referendis non quidem semper conveniant, sed tamen nullatenus sibi contradicant. Contradictiones ergo, quas nobis opponunt adversarii, non sunt nisi apparentes,

quae millies iam solutae sunt. Id enim iam praestitit S. *Augustinus* in celebri opere de consensu Evangelistarum; et idem praestiterunt alii Patres, Theologi et S. Scripturae interpretes, ut ex. gr. *Calmet*, *Cornelius a Lapide*, *Estius*, *Laurentius Veith* (1). Ceterum, ut ait Cl. *Liebermann* (2), « etiamsi in Evangeliis conciliandis quaedam remanerent obscura, id nihil probaret contra eorum veracitatem. Cum enim alia temporum illorum monumenta desint, cum usus, mores et instituta illius aetatis a nostris longissime distent, quid mirum, si quaedam occurrant impedita et explicatu difficilia? » Sufficit profecto nobis, ut ostendamus, non dari apertam contradictionem, quam probare deberent adversarii, sed nunquam probare poterunt. Sola ignorantia modi, quo praecise quaedam facta et dicta inter se concilianda sint, non officit sinceritati scriptorum, nec veritati factorum. Ut autem pateat, infirma esse quae hac in re ab adversariis obiiciuntur, praecipuas quasdam difficultates ab iisdem motas enodabimus; plures enim in decursu Theologiae theoreticae tum generalis, tum specialis solventur.

Obi. 5. Apertam contradictionem reperimus in duplici genealogia Christi, quarum alteram S. Matthaeus, alteram S. Lucas descripsit. Ita autem inter se pugnant isti Evangelistae, ut impossibile sit, utrumque vera narrare. Nam iuxta Matthaeum *Salathiel* fuit filius *Iechoniae*, quia a Davide per *Salomonem* descendit. S. Lucas eundem *Salathiel* filium dicit *Neri* a Davide per *Nathanem* descendentem. Iuxta utrumque *Salathiel* genuit *Zorobabel*, post quem eadem iterum occurrit dissensio usque ad *Ioseph*, qui a Matthaeo dicitur filius *Iacobi* ex Zorobabele descendentis per *Abiud*, a S. Luca vero filius *Heli* a Zorobabele descendentis per *Resa;* atque in his contradictionem esse nemo negabit. His accedit, quod recenseatur genealogia Iosephi, non autem *Mariae, ex qua natus est Iesus:* et si admittatur eam descendisse a Davide, saltem ex genealogia Lucae patet, quod a Davide descenderit non per *Salomonem*, sed per *Nathanem;* sed benedictio Davidi promissa erat in *Salomone;* ergo non solvitur difficultas.

Resp. Varia genealogias Christi conciliandi initur via. Unam hic ostendemus, quam passim sequuntur recentiores interpretes. Dicimus igitur 1° *Salathielem* filium fuisse verum et naturalem *Iechoniae*, ut habet S. Matthaeus, qui expressis verbis ait: *Iechonias genuit Salathiel;* eundem autem fuisse filium *Neri* legalem, cuius filiam unicam duxerat; cum enim *Neri* filios non habuerit, omnia successionis iura ad *Salathielem* transierunt, qui ideo in eius genealogiam successit. Itaque *Zorobabel*, filius unicus *Salathielis*, duplici titulo filius erat *David;* primo per *Salomonem* ex parte patris, et per *Nathan* ex parte matris. 2° *Zorobabel*, qui duplicis stirpis iura in se collegit, ea duobus filiis reliquit, quorum unus, nempe *Abiud*, genealogiam Davidis per *Salomonem*, alter, *Resa* dictus, genealogiam Davidis per *Nathanem* ad posteros produceret. Hae duae stirpes in *Iosepho* iterum coniunctae sunt. *Iosephus* enim filius erat naturalis *Iacobi*, et filius legalis ac adoptivus *Heli* (qui etiam *Heliacim* vel *Ioachim* vocabatur), quia filiam eius unicam *Mariam* uxorem duxerat. 3° Evangelistae *Iosephi* genealogiam descripserunt servando communem morem Iudaeorum, qui mulierum genealogias texere non so-

(1) In op. cit. p. 7, sect. 5.

(2) T. 4, lib. 1, p. 2, cap. 1, art. 1, § 5, ad Obi. 7, inst. 1

lebant. Neque dicas, christianos exinde concludere non potuisse, Iesum ex sanguine davidico progenitum fuisse, cum Ioseph eius pater non fuerit; sciebant enim christiani ex iudaeis conversi, pro quibus S. Matthaeus Evangelium scripsit, viros iustos, praecipue regia stirpe ortos, non alias quam eiusdem stirpis uxores sumpsisse; accedebat quoque traditio in Ecclesia semper servata, qua constabat Mariam filiam fuisse David. Denique 4° Maria vere etiam a Davide per Salomonem descendit, quia inter illius progenitores etiam secundum Lucam (1) numeratur *Zorobabel*, qui per patrem suum *Salathiel* ex Salomone descendebat.

Obi. 6. Matthaeus, Christi genealogiam referens, in pluribus hallucinatur. A Davide usque ad captivitatem babylonicam 14 generationes numerat, et tres ex regibus Iuda omittit dicens c. I, v. 8: *Ioram genuit Oziam*, qui tamen genitus fuit ab *Amasia*. A captivitate autem babylonica usque ad Christum 13 tantum generationes recenset, et nihilominus v. 17 concludit: *Itaque a transmigratione babylonica usque ad Christum, generationes* 14.

Resp. Nulla hic occurrit contradictio; nam Ioram genuit *Oziam* non immediate, sed mediate, quomodo Iesus mediate fuit filius David; nec verbum *genuit* magis significat quam verbum *filius*. Ceterum inter Iudaeos consuetudo viguit, genealogias in varias epochas seu partes dividendi, ac ideo aliquas hincinde generationes omittendi, ut in qualibet parte aequalis numerus habeatur; hinc, ut observat *D. Bullet*, apud auctores sacros vix duae reperiuntur genealogiae integrae et completae. Evangelista ergo nolens excedere tesseradecadem generationum in singulis trium ordinum classibus promissam, omisit hic tres generationes. Quare vero *Ochoziam*, *Ioam* et *Amasiam* potius omiserit, quam alios, ratio esse videtur, quod hi essent geniti ex *Athalia* filia impiissimi *Achab* et crudelissimae *Iezabel*, quorum memoriam ad quartam usque generationem Deus abolitam voluit; et ideo in odium parentum hae tres generationes a Christi genealogia excluduntur. — In ultima vero genealogiae parte vitio scriptorum ex textu excidit una generatio: duo enim vocabantur *Iechonias*, nempe *Eliacim*, filius *Iosiae*, *cuius nomen in Ioakim vertit Pharao* IV Reg. XXIII, 34, et *Ioachin*, filius *Ioakimi*, nepos *Iosiae*, ut constat ex IV Reg. XXIV, 6, ubi dicitur: *Dormivit Ioakim cum patribus suis, et regnavit Ioachin filius eius pro eo*. Scriptores ergo videntes nomen Iechoniae bis repetitum, mendum crediderunt, quod emendare volentes textum corruperunt. Legendum ergo est: *Iosias genuit Iechoniam* (seu *Ioakim*) *et fratres eius*. Iechonias autem genuit Iechoniam (seu *Ioachin*) *in transmigratione Babylonis*, seu sub tempus abductionis Iudaeorum in Babyloniam, quae coepit anno tertio eiusdem *Ioachin* IV Reg. XXIV, 8. Hanc porro solutionem esse fundatam, ex eo patet, quia solus primus *Iechonias*, filius *Iosiae*, habuit plures fratres; secundus vero, qui fuit pater *Salathielis*, habuit unicum fratrem, nempe *Sedeciam*.

Obi. 7. Solus Matthaeus c. II, v. 13 etc. narrat Christi fugam in Aegyptum: ex adverso Lucas II, 39 post adorationem pastorum ad praesepe Domini, et finitam purificationis Mariae historiam ait: *Reversi sunt in Galilaeam in civitatem suam Nazareth: puer autem crescebat, et confortabatur plenus sapientia* etc. En contradictionem! Christus infans a Matthaeo in Aegyptum ducitur; a

(1) Cap. 3, 27.

Luca constanter a tempore nativitatis suae in Iudaea perstitisse dicitur.

Resp. Ad hanc difficultatem tollendam nonnulli dixerunt, purificationem post reditum ex Aegypto factam fuisse: cum autem S. Lucas l. c. dicat: *Perfecerunt omnia in templo secundum legem Domini*, asserendum est, B. V. Mariam etiam quoad tempus legem divinam exactissime observasse. Melius igitur alii cum *Calmeto* respondent, B. Virginem post partum Christi toto 40 dierum spatio Bethlehemi remansisse. Ad finem horum dierum venerunt Magi ab Oriente, et divinum infantem adorarunt: succedente autem nocte ab Angelo admoniti, ne redirent ad Herodem, per aliam viam ad propria remearunt. B. Virgo autem expletis iam 40 illis a puerperio diebus ascendit ad templum pro purificatione cum S. Iosepho et puero Iesu: dumque peracta purificatione in Nazareth reverterentur, ab Angelo per quietem a S. Iosepho viso iussi sunt fugere in Aegyptum. Neque huic explicationi obest, quod apud S. Lucam statim post purificationem referatur commoratio S. Familiae in Nazareth, et incrementum pueri Iesu in sapientia; quia S. Lucas non determinat commorationis tempus, et puer Iesus ubique crevit, et sapientiam suam magis magisque manifestavit. Observandum porro est, non singulos Evangelistas singula Christi facta referre, sed saepe ab uno facto transire ad aliud non commemorato facto, aut factis intermediis. Hinc enim, ut ait *Salmeron* (1), est familiaris mos S. Scripturae, ut, quae non sunt simul continuata, quasi continuata essent, enarrentur. Quare, sicut solemus dicere: mulier concepit et peperit, licet nonnisi novem mensibus expletis pepererit; item sicut S. Matthaeus enarrato ad finem capitis secundi reditu Christi ex Aegypto, statim incipit caput tertium his verbis: *In diebus autem illis venit Ioannes Baptista praedicans in deserto Iudaeae*, licet inter reditum Christi ex Aegypto, et praedicationem Ioannis viginti et amplius anni intercesserint: ita ex citatis Lucae verbis ne id quidem sequitur, quod inter purificationem et reditum in Nazareth non intercesserit fuga et commoratio in Aegypto. Nonnulli enim cum *S. Augustino* (2) censent, eos immediate ex Ierusalem fugisse in Aegyptum, et post reditum tantum reversos esse in Nazareth.

Obi. 8. S. Lucas II, 1 etc. inquit, tempore, quo Christus natus est, factam fuisse universi orbis descriptionem a Praeside Syriae *Cyrino*. Verum de hac recensione non tantum silent auctores profani, sed ex *Ios. Flavio* et aliis constat, Cyrinum illum Praesidem Syriae non fuisse, nisi 10 circiter annis post obitum Herodis: falsum ergo est quod Lucas narrat.

Resp. Duplex a *Cyrino* facta est descriptio; prima vivente adhuc primo *Herode;* quae cum ad finem non fuerit perducta, altera deinde post annos decem, cum idem Cyrinus praeses esset Syriae, instituta est. S. Lucas loquitur de prima, et sensus est: haec est prima descriptio, quam fecit *Cyrinus*, qui postea praeses Syriae fuit. Silentium scriptorum profanorum est argumentum mere negativum, quod eo minus positiva enervat, quia, ut observat *Tillemontius*, solus *Dio* accuratam *Augusti* Imperatoris historiam scripsit, et huius quoque pars intercidit. *S. Iustinus* et *Tertullianus*, dum in suis Apologiis de hoc facto loquuntur, a publicas census illius tabulas provocant in scrinnis imperii asservatas.

(1) Tom. 5, tract. 44.

(2) L. 3 de cons. Ev., c. 5.

Obi. 9. Matth. VIII, 5 dicitur: *Accessit ad eum Centurio:* et Luc. VII, 3 de eodem Centurione legitur: *Misit ad eum seniores Iudaeorum;* et v. 6: *misit amicos.* — Matth. IX, 18 Princeps Synagogae dicit: *Domine, filia mea modo defuncta est:* et Marc. V, 23 dicitur: *Deprecabatur dicens: quoniam filia mea in extremis est.* — Matth. X, 10 Christus praecipit Apostolis, *ne habeant peram in via neque virgam:* et Marc. VI, 8 idem *praecepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum.* Nonne istae sunt contradictiones apertae?

Resp. Nulla inter citatos textus contradictio invenitur. Nam Centurio primum Iudaeos, dein amicos ad Christum praemisit, ut Lucas narrat; ac demum ipse ad Christum accessit, ut Matthaeus refert: cuius narratio, ut monet *S. Augustinus* (1), vera esset, etiamsi Centurio immediate ad Christum non accessisset; quidquid enim aliquis per procuratorem facit, recte dicitur et ipse fecisse. — Dum Princeps Synagogae ad Christum venit, filia ipsius nondum mortua, sed in extremis erat; mox autem patri nunciatum est, filiam defunctam esse, ac ideo denuo Christum interpellavit, ut Matthaeus testatur: ceterum poterat afflictus pater etiam sine nuncio accepto utrumque de agonizante filia dicere: tum *in extremis est*, tum *defuncta est;* solent enim, ut observat *S. Chrysostomus*, miseri aerumnas suas augere et calamitates exaggerare, ut facilius opem, quam implorant, impetrent. — Matthaeus litteraliter per *virgam* intelligit virgam defensoriam seu vindicatoriam, quam Christus vetat Apostolis: Marcus vero intelligit virgam viatoriam seu baculum, cui pauperes inniti solent in via (2).

Obi. 10. Tres Evangelistae testantur, Christum *prima die azymorum* in ultima coena agnum paschalem manducasse: Ioannes vero c. XIII, v. 1 refert, id factum esse *ante diem festum Paschae;* et c. XVIII, v. 28 inquit, Iudaeos non introisse in praetorium, *ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha:* imo c. XIX, v. 14 dicit: *Erat autem parasceve Paschae,* cum Pilatus Christum morti addixit. Aperta igitur inter Evangelistas contradictio habetur.

Resp. Tres priores Evangelistae loquuntur de die religioso, qui computatur a vesperis usque ad vesperas: Ioannes vero loquitur de die naturali, qui computatur a media nocte usque ad mediam noctem, vel ab ortu solis usque ad occasum: c. XVIII, v. 28 per *Pascha* non intelligitur agnus paschalis, sed cibi paschales, seu hostiae pacificae, quae per septem dies immolabantur, sed ab immundis licite non manducabantur: *parasceve* appellabatur quaelibet sexta hebdomadae dies; dicitur autem a Ioanne *parasceve Paschae*, quia hoc anno coincidit cum festo Paschae, sicut nunc a nobis dicitur Dominica Paschatis. Ita communiter Theologi propositam difficultatem solverunt. Recentiores vero observarunt, apud Iudaeos post captivitatem babylonicam usum invaluisse, ut festa nunquam immediate ante vel post sabbatum celebrarentur, ne duo concurrerent dies, in quibus abstinendum esset ab operibus servilibus; idque imprimis propter sepulturam mortuorum factum esse. Exinde ortae sunt regulae quaedam translationis festorum, quae adhuc hodiedum a Rabbinis observantur. Igitur cum Pascha eo anno, quo Christus mortuus est, in diem veneris incidisset, iuxta morem iam introductum in sequens sabbatum translatum est. Christus ergo, qui hac dispensatione, vel potius Rabbino-

(1) L. 2 de cons. Ev., c. 20.

(2) Cf. Cornel. a Lap. in Matth. 10

rum interpretatione uti noluit, Pascha celebravit die Iovis ad vesperam, cum dies religiosus, nempe festum Paschatis iam incepisset, eo scilicet tempore, quo iuxta ordinationem legis agnus paschalis comedendus erat, quod probabilius et alii religiosi Iudaei observarunt; sacerdotes vero cum maxima populi parte die veneris tantum ad vesperam, ergo 15ª lunae agnum comederunt, et sequenti sabbato, qui idcirco iure a S. Ioanne *magnus dies* sabbati vocatur, paschalem solemnitatem celebrarunt. Recte igitur tres Evangelistae dicunt, Christum celebrasse Pascha *prima die azymorum*, qui vere iam 14ª lunae inceperant: Ioannes vero dicit, Christum celebrasse Pascha *ante diem festum*, quo Iudaei iuxta recentiorem disciplinam agnum paschalem manducabant (1).

Obi. 11. Matthaeus (2) et Marcus (3) dicunt, utrumque latronem convicia in Christum crucifixum protulisse. Lucas autem (4) inquit: *Unus de his qui pendebant latronibus blasphemabat eum* etc.; *respondens autem alter increpabat eum* etc.: quomodo haec concordant?

Resp. Hanc difficultatem iam solvit *S. Hieronymus*, qui in verba Matthaei: *Idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, ita prosequitur: « Hic per tropum, qui appellatur σύλλμπσις (coniunctio), pro uno latrone uterque inducitur blasphemasse. Lucas vero asserit, quod altero blasphemante alter confessus sit, et e contrario increpaverit blasphemantem. Non quod discrepent Evangelia, sed quod primum (i. e. ab initio) uterque blasphemaverit: dehinc sole fugiente, terra commota, saxisque disruptis, et ingruentibus tenebris unus crediderit in Iesum, et priorem negationem sequenti confessione emendaverit. » Etiam *Origenes*, *S. Hilarius*, *S. Chrysostomus* et alii Graeci dicunt, utrumque latronem initio Christum blasphemasse; sed unum visis miraculis resipuisse. At *S. Augustinus* (5) docet, unum duntaxat latronem Christum blasphemasse, Matthaeum vero et Marcum more Hebraeis usitato posuisse numerum pluralem pro singulari. Et sane - hic loquendi modus, ut in genere aliquid dicatur de pluribus, quod tamen uni aut alteri tantum convenit, frequenter occurrit, ut cum dicitur: etiam ab amicis meis mala sustinui, etiam filii insurrexerunt contra me, quamvis unus tantum amicus, unus ex filiis id fecerit.

Obi. 12. Marc. XV, 25 dicitur: *Erat hora tertia, et crucifixerunt eum:* Ioannes vero cap. XIX, v. 14 dicit: *Erat autem parasceve Paschae hora quasi sexta*, quando Pilatus Iesum tradidit crucifigendum. Praeterea Evangelistae valde discordant, dum de potu, qui Christo in monte Calvariae oblatus est, loquuntur. Matthaeus c. XXVII, v. 34 ait, fuisse *vinum*, vel, ut graeci codices habent, *acetum cum felle mixtum*, additque: *et cum gustasset, noluit bibere.* Marcus vero c. XV, v. 23 id vocat *vinum myrrhatum*, testaturque: *et non accepit.* Lucas XXIII, 36 id vocat acetum; sed nihil dicit, utrum Christum illud acceperit, necne. Ioannes denique c. XIX, v. 29 etc. narrat, *spongiam plenam aceto, hyssopo circumpositam oblatam* fuisse *ori eius.* et accepisse Iesum hoc acetum. Quis non videt, apertas hic esse contradictiones? —

Resp. Nulla in citatis textibus contradictio occurrit. Quod enim priorem difficultatem attinet, facilis est responsio. Iudaei enim sicut noctem,

(1) Cf. Com. de Stolberg Hist. Rel. I. Chr., tom. 5, Append. 2.

(2) 27, 44. (3) 15, 32. (4) 23, 39 etc.
(5) L. 3 de cons. Evang., cap. 16.

ita et diem dividebant in quatuor horas, quae dicebantur *Prima*, *Tertia*, *Sexta* et *Nona*, et quaelibet earum (tempore aequinoctii, quo Christus mortuus est) complectebatur tres horas communes. Pilatus ergo tradidit Iesum hora quasi sexta, id est, sub finem horae tertiae, quae durabat a nona nostra communi usque ad meridiem; et illa durante Christus fuit traditus et crucifixus. Recte ergo Marcus dicit id factum esse *hora tertia*, quae nondum finita, et Ioannes hora *quasi sexta*, quae nondum coepta fuit. Ceterum etiam cum Cl. *Weitenauer* et aliis dici potest, Marcum de decreto crucifixionis, Ioannem vero de eius executione loqui. — Etiam posterior difficultas evanescit, si cum *S. Augustino*, *Cornelio a Lap.* et aliis dicatur, vinum Christo oblatum fuisse simul felle et myrrha mixtum, quo esset amarius; aut S. Matthaeum fel posuisse pro amaritudine, ut myrrha ipsa fel dicatur ob amaritudinem. Praeterea notandum est, hanc Christi potationem a Matthaeo et Marco (1) recensitam, aliam et diversam esse ab ea de qua Matthaeus alibi (2) et Lucas ac Ioannes (3) agunt. Prior enim ante crucifixionem oblata est Christo; altera vero data est Christo iam crucifixo clamanti: *Sitio*, et fuit aceti: graeci quidem codices etiam priorem potum *acetum* vocant, vel quia error irrepsit, vel quia acetum non est nisi vinum corruptum; atque etiam prior potus erat vinum quidem, sed felle et myrrha corruptum, et ob eius amaritudinem acetum vocari poterat. Neque contradictio est in eo quod Matthaeus dicat, Christum, cum gustasset, noluisse bibere, Marcus vero scribat: et non accepit. Nam Marcus his verbis nil aliud voluit dicere quam quod Matthaeus dixit: *et cum gustasset, noluit bibere;* gustavit enim, sed non bibit, nec accepit sic, ut intra se hunc potum in copia transmitteret: et sane etiam communi loquendi modo de eo qui oblatum potum gustat tantum et statim removet, recte dicitur: noluit bibere, seu potum non accepit.

(1) Loc. cit (2) C. 27, v. 48. (3) Loc. cit.

SECTIO II.

DE DIVINAE REVELATIONIS EXISTENTIA

§. 91.

Ex cognita Revelationis possibilitate et necessitate, eius existentia certo inferri non potest; homini enim et non Deo necessaria dicitur. Et cum tantum beneficium hominibus non debeatur, ideo a liberrima Dei voluntate dependet, quam ratio sibi relicta cognoscere non valet. Ast ex monumentis genuinis, integris et fide dignissimis liquido constat, a Deo benignissimo supernaturalem Revelationem vere hominibus concessam esse. Infinitae autem Dei sapientiae placuit, talem in concedenda Revelatione oeconomiam servare, ut non statim plena Revelationis lux hominibus affulgeret, sed successive et pedetentim hominibus communicaretur. Hinc videmus *divinae Revelationis primordia in Religione patriarchali, incrementum in Religione mosaica; complementum denique et summam perfectionem in Religione christiana.* Hoc ordine procedentes divinae Revelationis existentiam probamus.

CAPUT I.

REVELATIONIS DIVINAE PRIMORDIA IN RELIGIONE PATRIARCHALI.

§. 92.

Si ad prima mundi tempora respiciamus, in monumentis genuinis, integris et fide dignis, nimirum in libris Moysis invenimus, primos iam homines, eorumque posteros, proxime subsequentes verum Deum non

solum agnovisse, sed etiam interne et externe coluisse, ideoque Religionis expertes non fuisse, licet lex scripta nondum adesset. Quodsi Religionem hanc Patriarcharum, qui ab Adamo usque ad Moysen floruerunt, propius consideremus, sat solide persuademur, illius auctorem Deum ipsum fuisse, qui non solum per rationem, sed etiam modo prorsus extraordinario illorum temporum homines instruere dignatus est. — Religio ergo patriarchalis vere a Deo revelata fuit, quod iuxta theoriam rationalem (§. 60 et seq.) traditam ex *characteribus internis* et *externis* probandum venit.

Nota. Periodus patriarchalis in tres epochas dividi potest, quarum *prima* ab Adamo usque ad diluvium, seu usque ad Noachum, *secunda* a diluvio, seu a Noacho usque ad Abrahamum, *tertia* ab Abrahamo usque ad Moysen durat (1). Ad probationem autem nostram opus non est harum epocharum historiam in specie enarrare, quae aliunde iam satis nota esse solet.

§. 93.

I. Characteres interni Religionis Patriarchis revelatae.

Cum characteres interni ex ipsa materia repetendi sint, ideo functione hermeneutica veritatum ad Religionem, et Ecclesiam patriarchalem pertinentium summam exhibere, seu Patriarcharum *Symbolum*, *Codicem* et *Hierarchicon* proponere, et functione philosophica examinare oportet.

1. *Symbolum* Patriarcharum Deum proponebat unum sub nomine *Schaddai*, i. e. fortis, omnipotentis (2), Creatorem coeli et terrae (3), providumque Gubernatorem, qui non solum generalem sed et specialem hominum curam gerit (4). — Deus praeterea a Patriarchis agnoscebatur ceu Legislator, qui Adamitis (5) et Noachidis (6) et Abrahamidis (7) praecepta dedit, nec non ceu Iudex moralis, qui iam inobedientes protoparentes (8), dein corruptos Noachi coaevos (9), et demum luxuriosos Sodomitas (10) iustis poenis affecit. — Hominem ad imaginem Dei conditum (11), ac proin praeditum anima spirituali ac libera, qua bene vel male agere possit, Patriarchae credebant. — Originem malorum non ab ipso Deo, non a malo principio, non a caeco fato, sed a lugenda hominis lapsi praevaricatione repetendam esse (12), Deum autem clementissimum homini locum dedisse poenitentiae, futurum Liberatorem promisisse (13), huiusque benedicti seminis mediatione novum pactum cum homininibus iniisse cognoscebant. — Hominem post peccatum libertate privatum non fuisse, sed illius esse dominari appetitui suo, tum ex legibus, tum ex verbis Dei ad Cainum (14) clare colligitur. — Status etiam futurae vitae Patriarchis ignotus non fuit; ideo Abraham (15) mortuus, congregatus ad populum suum dicitur, et Deus dicitur Deus Patrum - iam defunctorum - qui tamen non est Deus mortuorum, sed viventium (16).

2. *Codex* patriarchalis officia Religionis tum *internae* tum *externae* praescribit. a) Commendantur in illo *officia erga Deum*, quem colendum, invocandum et timendum (17) proponit, in cuius providentiam confidens Abraham (18) laudatur, in cuius voluntate facienda tota iustitia et sanctitas reponitur; ideo enim iusti, divinis mandatis obtemperantes

(1) Cf. Dobmayr, t. III, § 39.
(2) Gen. 17, 1. Exod. 6, 3.
(3) Gen. 1 et 2. (4) Gen. 3, et 7, 18, et 45.
(5) Gen. 2. (6) Gen. 9. (7) Gen. 17.
(8) Gen. 3. (9) Gen. 7. (10) Gen. 19.
(11) Gen. 1, 27. (12) Gen. 3.
(13) Gen. 3, 15. (14) Gen. 4, 7.
(15) Gen. 25. (16) Matth. 22.
(17) Gen. 21, et 27, et 47. (18) Gen. 24.

passim dicuntur placuisse Deo, invenisse gratiam coram Deo, ambulasse cum Deo, etc. Inter *officia erga alios homines* praecipue inculcatur reverentia erga parentes, licet defectus habeant, hospitalitas erga omnes, fides coniugalis, castitas filiarum, concordia et conservatio vitae aliorum, quas virtutes colentes passim laudantur, et illis contraria vitia arguuntur. Denique *officia erga seipsum* Patriarchis incognita non fuisse ex ipsorum vivendi tenore elucet. Si enim corpus temperantia conservabant, labore exercebant, et corroborabant, multo magis animam Religionis notitia, pietate ceterisque virtutibus perficiendam esse sciebant. b) Quoad Religionem externam praescribitur *Sabbatum* Deo sanctificandum (1). Patriarchae habebant etiam *altaria*, plerumque ex lapidibus constructa et oleo Deo dicata, in quibus *Sacrificia* offerebantur de fructibus terrae a Caino, de primogenitis gregis sui ab Abele, de animalibus mundis a Noacho. Sacrificiis accedit *invocatio* Domini, quam Enos in publico coetu peragere coepit, Noë cum sacrificio coniunxit, Abraham, Isaac et Iacob saepius pro se et pro aliis susceperunt. — Praeterea in historia Abrahami *iuramentum*, in historia Iacobi *votum* occurrit. — Cultum externum interno iunctum esse debere, et sacrificia Deo non placere, si corde impuro offerantur - in historia Caini et Abelis - exprimitur. — Additionem accepit rituale patriarchale tempore Abrahami, qui celebrato sacrificio foedus cum Deo iniit, totamque familiam suam quoad sexum virilem ritu *Circumcisionis* ad cultum unius Dei initiavit, quem ritum omnes Abrahami posteri observare tenebantur.

3. *Hierarchicon* Patriarcharum non videtur specialem statum minis-

(1) Gen. 2. (2) Gen. 14, 18.

strorum pro externo cultu determinasse. Dicitur tamen Melchisedech speciali modo sacerdos Dei altissimi (2). Ceterum quilibet paterfamilias inter suos cultum externum ordinavit et sacrificia obtulit.

4. Si iam Religio ista patriarchalis functione philosophica examinetur, — est quidem ea tenuis et simplex, prout primaevae illi aetati, curandis vitae necessitatibus maxime occupatae convenit: sed nil in ea occurrit, quod vel rectae rationi adversetur, vel conceptibus Dei, Religionis aut hominis contrarium sit, vel inter se pugnet. Omnia potius ceu bona et sancta a ratione approbantur; prima omnis Religionis fundamenta continent, ac simul fundamenta constituunt, quibus Moyses et Christus superstruunt. — Quodsi comparatio instituatur cum iis, quae de Deo rebusque divinis alii senserunt, absque dubio Religio Patriarcharum multo melior est Religione populorum maxime excultorum, non solum coaevorum Phoeniciorum et Aegyptiorum, sed et subsequentium Graecorum et Romanorum, imo etiam philosophorum quos Graecia et Latium laudat (3).

5. Talem autem bonam, sanctam, erroribus expertem et in vita Patriarcharum ordinanda efficacem Religionis notitiam homines primaevi, corporalis vitae necessitatibus maxime occupati, sine educatione, sine duce et magistro Deo sibi comparare non potuissent (§. 57). — Praeterea varia in symbolo patriarchali occurrunt quae sine speciali Revelatione divina cognosci non poterant, uti sunt ea, quae de creatione, de promissione Messiae etc. leguntur. — Ex his omnibus iure infertur, Deum pro infinita sua providentia et bonitate homines, quos prae omnibus animantibus ad imaginem suam con-

(3) Cf. §. 53.

didit, et praeclaris facultatibus exornavit, in re summi momenti non deseruisse, sed ipsis necessaria Religionis capita revelasse, ad quorum rectam cognitionem sibi relicti pervenire non potuissent.

Nota. Contra sanctitatem doctrinae Patriarchis revelatae sequentes praecipue difficultates moveri solent.

Obi. 1. Si Deus Religionem patriarchalem revelasset, in symbolo praecipue fides immortalitatis et vitae futurae adstrueretur, quae est omnis verae Religionis et disciplinae moralis fundamentum. Sed haec in symbolo patriarchali obscure solum exprimitur, solaque felicitas temporalis ceu moralitatis motivum proponi videtur, quod est Deo et homine immortali indignum, et genuinae moralitati contrarium.

Resp. a) Non omnia, quae patriarchis revelata fuerunt et ipsorum symbolum constituerunt, in Genesi scripta leguntur. Iure autem praesumitur, Deum, qui tam paternam curam pro Patriarchis monstravit, ipsis etiam maxime necessarium fidei articulum de statu alterius vitae clare revelasse, et per oralem traditionem ipsorum posteris communicasse. b) Fatentibus utique et philosophis et historicis, constans cunctarum gentium, turpissimis licet superstitionibus deditarum, persuasio fuit, mortem non esse interitum cuncta delentem, sed post hanc vitam aliam sequi; an soli Patriarchae, qui de Deo tam praeclare sentiebant, hoc dogmate caruerunt, quod necessario ex genuina Dei notione fluit? — c) Reliquarum gentium fides de statu alterius vitae ex pietate in defunctos et reverentia erga sepulcra colligitur, et hinc factum esse dicitur, ut totum fere coelum iuxta ethnicorum commenta humano genere impletum fuerit. Quis autem nescit, Patriarchis semper maximam fuisse in mortuos reverentiam, summamque sepulcrorum Religionem? — d) Certe ergo in religione patriarchali non sola felicitas temporalis moralitatis motivum erat, sed patriarchae venerabantur voluntatem Dei, quem timebant et amabant, atque ad futuram quoque vitam respiciebant. Ideo se in hac terra peregrinos et hospites esse confitebantur, diesque suos vocabant dies peregrinationis pravos et malos (1). *Qui enim haec dicunt*, ait Paulus, *significant, se patriam inquirere: et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi; nunc autem meliorem appetunt, idest coelestem* (2). Et sane — Abrahae non sola felicitas temporalis, sed ipse Deus in praemium obedientiae promittitur; in foedere enim inito ait Deus: *Ego ero merces tua magna nimis* (3). Et Iacob, cum morti proximus filiis benediceret, subito filum orationis abrumpens exclamat: *Salutare tuum expectabo, Domine* (4).

Obi. 2. Religio, quae sacrificia humana praecipit, pessima est, et Deo indigna. Sed in Religione patriarchali Deus tam crudelis describitur, ut Abrahamo unici filii sui Isaaci immolationem praeciperet, et Abraham impius laudatur, qui talem victimam offerre paratus erat: ergo Religio haec non est a Deo.

Resp. Homines Deo offerre non possunt, nisi ea, quorum domini sunt; ideo ipsis vitam hominis immolare non licet, cuius dominium non habent. Deus autem, omnium Dominus supremus ac independens, victimam humanam exigens neque iniustus, neque crudelis dici potest. — Nam si salus patriae interdum vitam filii a patre exigat, cur Deus auctor et dominus vitae, patris, ut illustrius obedientiae et fiduciae ex-

(1) Gen. 49, 9. (2) Hebr. XI, 14 etc. (3) Gen. 15. (4) Gen. 49, 18.

amplum praeberet, et maiori praemio se dignum redderet, promptitudinem immolandi filii exigere nequit? — Neque Deus aliud nisi hanc promptitudinem exegit, et ideo post exploratam Abrahae obedientiam aliam victimam suppeditans, satis ostendit, se victimas humanas nolle. Neque Abraham impietatis argui potest; non enim motu proprio ad filium immolandum se accinxit, non animo placandi Numen iratum, uti agere consueverant gentiles, sed expresso Dei iussu excitatus, plenus fide in divina promissa solummodo ostendens, amorem in Deum omnem alium, etiam dilectissimi filii amorem superare debere, quod utique omnis Religio praecipit et omnis approbat ratio. Ideo ex isto facto divinitas Religionis patriarchalis clarius illucescit, quae tam sublimes erga Deum sensus infirmo homini ingessit.

§. 94.

II. Characteres externi Religionis Patriarchis revelatae.

Deum primis iam mundi temporibus cum hominibus extraordinario modo conversatum fuisse, iisque benignissima sua in eos eorumque genus consilia patefecisse,

1. testatur *Moyses*, qui plures enumerat *Theophanias*, quae omnes miraculi conditiones in se continent. Apparuit enim Deus Adamitis, prohibens comestionem fructus de ligno scientiae boni et mali (1); apparuit iisdem ceu iudex post peccatum, poenam dictans et liberatorem promittens (2); apparuit ceu vindex propter fratricidium Caini (3); apparuit Noacho, ipsum instruens de instante diluvio et de ipsius liberatione (4), novas leges promulgans, et arcum statuens in signum foederis post diluvium (5). — Apparuit Deus Abrahae cui praecepit, ut in Palaestinam migraret (6), duplicem promissionem addens (7), et legem circumcisionis dictans (8), mandatum quoque insinuans, ut filium suum Isaacum immolaret etc. (9) — Tot vero Theophaniae, seu apparitiones Dei satis ostendunt, quam spcialem Deus Patriarcharum curam gesserit, quos ideo certe in maximo Religionis negotio ignorantes non reliquit. — Istae autem apparitiones vera miracula fuerunt, quia Deus modo supernaturali, i. e. contra consuetum naturae ordinem et supra vires naturales, et quidem modo sensibili vel speciem externam oculis exhibendo, vel saltem sonos miros et insolitos edendo etc. illas perfecit, atque sine dubio talibus illas characteribus insignivit, ut Patriarchae etiam subiective de vera divina apparitione certi esse potuerint, prout ex effectu apparet. Cum demum Deus Patriarchis apparens se semper ceu Legislatorem vel Iudicem manifestaverit, dubitari nequit illas Theophanias Religionis causa contigisse, ut cultus veri Dei et obedientia erga ipsius mandata promoveantur. — Persaepe etiam Theophaniis adiuncta fuerunt *Vaticinia*, quorum adimpletio mox secuta Patriarcharum fidem corroboravit. Sic protoparentibus in poenam peccati mors praedicta fuit, quam haud multo post in Abele occiso horrentes considerarunt. Noë ea, quae de diluvio, de ipsius liberatione et de nova universi restauratione praedicta fuerant, propriis oculis vidit. Abraham interitum Sodomae et nativitatem Isaaci per vaticinium didicerat, et in eventu cognovit. Haec autem omnia, sicut iuxta consuetum naturae ordinem non contigerunt, sic per vires naturales praevideri non poterant. — Fides ergo Patriarcharum de Revelatione di-

(1) Gen. 2. (2) Gen. 3. (3) Gen. 4. (4) Gen. 6. (5) Gen. 9. (6) Gen. 12. (7) Gen. 15. (8) Gen. 17. (9) Gen. 22.

vinitus facta, teste Moyse, miraculis et vaticiniis innixa fuit.—

2. Patriarchas a Deo ipso institutos fuisse, constans erat *persuasio Hebraeorum*, quam prae ceteris exprimit auctor Ecclesiastici (XVII, 10) dicens: *Testamentum aeternum constituit cum illis* (Patriarchis) *et iustitiam et iudicia sua ostendit illis.*

3. Imo communis *apud gentes* semper *persuasio* erat, Deum hominibus apparuisse, eosdem instruxisse, et sic Religionem e coelo in terram delatam fuisse. — Antiquissimae etiam et universales notiones miraculorum et vaticiniorum, quae divinitati semper attribuebantur, a factis per traditionem cognitis repetendae sunt, cum mens rudis sine facto cognito vix ad talem suppositionem progredi posset (1). — Ideo magna quoque semper fuit apud omnes populos antiquitatis auctoritas, et insita naturae erga illam reverentia, quippe quod persuasum omnibus erat, antiquitatem propius accedere ad Deos, dicente Tullio: « quo propius aberant homines ab ortu et divina progenie, hoc melius ea quae erant vera perspexisse. »

Omni itaque iure asseritur, Religionem patriarchalem divinitus revelatam fuisse. Facile etiam est difficultates, quae opponuntur, enodare.

Obi. 1. Theophaniae Deo sunt indignae eiusque maiestatem dedecent, quare a recta ratione admitti nequeunt, illaeque, quae in Genesi narrantur, allegorice explicandae sunt - iuxta genium primae aetatis, in qua extraordinaria omnia immediato divinitatis influxui adscribebantur, licet ex causis naturalibus profecta fuerint.

Resp. Quid Deum agere deceat vel dedeceat, non est humanae rationis definire. — Sed etiam iuxta sana huius principia Deum non magis decet creaturis suis rationalibus ad fines bonos promovendos apparere, quam ipsum dedecuit easdem creare. Nihil sane Deo parvum est cui nihil magnum est. — In ipsa quoque Theophania maiestas divina - modo hominibus accommodato ostendi potest, sicut e tota creatione resplendet. — Praecipue autem Deus in apparitionibus suam omnipraesentiam, omnipotentiam et providentiam manifestat; atque ideo Theophaniae Deo dignissimae censendae sunt. — Non ergo necesse est, neque licet ad mythos et allegorias confugere, cum Moyses, auctor fide dignus, illas vere contigisse enarret, illiusque testimonium consensu totius antiquitatis firmetur.

Obi. 2. Si Homero, Ovidio et aliis iure non creditur, plurimas Theophanias enarrantibus, cur Moysi credendum erit, in superstitiosae antiquitatis aevo viventi?

Resp. Iure reiicimus Theophanias poëtarum, quibus veritas historica et philosophica deest; et iure credimus Theophanias patriarchales, de quibus utraque veritas probata fuit. — Poëtae enim suae phantasiae indulgentes fidem historicam non merentur; Moyses vero, scriptor historicus omnem fidem meretur. Praeterea Theophaniae, a poëtis confictae et non raro obscoenae, rationi repugnant, cum e contra Theophaniae a Moyse enarratae nihil nisi honestatem spirent, et ad moralitatem promovendam maxime conducant. — Ceterum - ipsa poëtarum figmenta de Deorum apparitionibus - populorum persuasionem de vere peractis Theophaniis ostendunt.

(1) Cf. § 51, 1 Not.

CAPUT II.

DIVINAE REVELATIONIS INCREMENTA IN RELIGIONE MOSAICA

§. 95.

Foedus gratiae cum primis parentibus initum, post diluvium cum Noacho instauratum, cum Abrahamo solemni ritu et iureiurando denuo sancitum, atque demum Isaaco et Iacobo confirmatum inter posteros sola fere traditione orali conservabatur, quae paulatim oblitterari et corrumpi coepit. — Ideo Deus, ut Revelatio antiqua conservaretur et nova luce augeretur, gentem Hebraeorum ex Aegypto in Palaestinam reducere, ipsique legem scriptam ac specialem constitutionem tradere decrevit; pro quo opere maximo perficiendo *Moyses* electus est, qui liberator, doctor atque legislator Israëlitarum iure vocatur. — Ipsum autem a Deo vere vocatum et instructum fuisse, et ideo Religionem, ab ipso populo israëlitico traditam, divinitus revelatam esse, solida probant argumenta. Id enim tum *ex characteribus internis*, tum *ex characteribus externis* i. e. *miraculis* et *vaticiniis*, tum *ex speciali Dei providentia* in hac Religione conservanda usque ad Christum elucet.

Nota. Tractatio de religione mosaica magni est momenti: a) in hac enim Religione doctrinae praestantissimae occurrunt, et facta omni admiratione digna exibentur; b) admodum benefica fuit haec Religio pro natione cui destinata fuit, quae per illam divinam constitutionem accepit; c) admodum benefica fuit etiam pro posteritate, quia ex illa Religio christiana prodiit; d) ideo contra illam increduli nostrorum temporum vel maxime aciem vertunt, cum tali modo ipsius Religionis christianae fundamenta concutere se posse autument. Eousque nonnulli pervenerunt, ut in dubium traxerint, an Moyses unquam extiterit, cum tamen id ex universali et constanti Iudaeorum persuasione, et ex testimoniis exterorum antiquissimorum scriptorum certissime constet (1).

(1) Cf. Beda Mayr, t. II, §. 110, Dobmayr, t. III, §. 49.

ARTICULUS I.

Characteres interni Religionis per Moysen revelatae.

§. 96.

Ad examen Revelationis mosaicae functione *hermeneutica*, *philosophica* opus est.

A. Ideo praeprimis Religionem, et Ecclesiam mosaicam summatim considerare, seu *symbolum*, *codicem*, et *hierarchicon*, per Moysen populo israëlitico traditum exponere oportet.

1. *Symbolum* mosaicum omnia doctrinae capita complectitur, quae ab initio Patriarchis revelata fuerunt, eaque in clariori luce collocat. Ubique praedicatur Deus unus, qui totius universi Creator est, omniumque rerum Dominus et supremus arbiter: *Audi, Israël, Deus tuus Dominus unus est* (2). — Natura Dei ita exprimitur, ut nihil cogitari possit sublimius. *Ego sum qui sum*, ait Deus (3). — Deus passim dicitur aeternus, omnipraesens, *magnus, et potens, et terribilis, qui personam non accipit, nec munera* (4); sed etiam *misericors, et clemens, et multae miserationis, et verax* (5). Providentiam Dei, et hominis dignitatem Moyses ex speciali populi israëlitici electione ostendit, dicens: *En Domini Dei tui coelum est, et coelum coeli, terra, et omnia, quae in ea sunt; et tamen Patribus tuis conglutinatus est Dominus, et amavit*

(2) Deut. 6. Cf. Ex. 20, 1-6, Deut. 4, 35, et 39.
(3) Ex. 3. (4) Deut. 10, 17.

eos, elegitque semen eorum post eos (1). Eodem modo caetera hominum fata ordinationi divinae adscribuntur. Libertas hominum ita statuitur, ut obedientia benedictionem, inobedientia maledictionem acquirere possit (2). Fides de immortalitate animae et de statu alterius vitae deducitur ex illo loquendi modo Scripturis usitato, quod mortui dicantur *colligi, pergere, ire ad populum suum :* haec enim de sepulcro intelligi non possunt, cum Aaron et Moyses, de quibus id asseritur (3), appositi non fuerint in sepulcro patrum suorum. Ex legibus quoque, quas Moyses tulit (4) contra eos, qui diis manibus fidem darent, Pythones consulerent, aut a mortuis veritatem quaererent, manifestum est, Hebraeos credidisse, animas corporibus superstites fore.

2. *Codex* mosaicus officia *Religionis internae* et *externae* egregie praescribit. a) Omnium officiorum tum erga Deum, tum erga proximum summam complectitur Decalogus, quo non actiones tantum malae cohibentur, sed interiores etiam animorum motus, pravaeque cupiditates (5). Praeceptorum cunctorum fundamentum ponitur amor Dei et proximi: ideo (6) dicitur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.* Deus adorandus (7), timendusque (8) proponitur, et illi soli serviendum esse adstruitur. Dilectio proximi frequenter inculcatur- non solum amici (9), sed etiam advenae, de quo dicitur: *sit inter vos, quasi indigena: et diligetis eum, quasi vosmetipsos* (10). — Quidquid offendit proximum, homicidium, adulterium, furtum, falsum testimonium, fraus etc. prohibetur; e contra respectus erga parentes, cura et educatio filiorum (11), beneficentia erga viduas et orphanos (12), erga pauperes (13), erga servos et ancillas (14), erga senes (15), erga mutos et caecos (16), sicut etiam officia iudicum, testium, coniugum, dominorum, servorum, et sacerdotum praescribuntur. Pro motivis vero moralitatis non solum felicitas, aut infelicitas terrena et temporalis proponitur (17), sed officia etiam implenda dicuntur ex reverentia erga supremum Dominum (18), ex grato animo erga maximum benefactorem (19), ex amore et timore Dei (20). b) Quoad Religionem externam sapienti consilio, ut unitas servetur, et abusibus locus non detur, unus pro cultu publico *locus* determinatus fuit. Et quidem in deserto, cum stabile aedificari templum nondum posset, tabernaculum maxima, qua fieri potuit, pompa Moyses procuravit, tribus constans partibus, — atrio, in quod populo, sancto, in quod Sacerdotibus et Levitis, *quum involverint Aaron et filii eius Sanctuarium et omnia vasa eius* (21), atque Sancto Sactorum, in quod summo tantum Sacerdoti semel in anno ingredi licuit, ut ordo et reverentia servaretur. In tabernaculo stabat arca foederis, in quam Moyses, spectante populo, tabulas decalogi, volumen legis, virgam Aaronis, et urceum manna impletum reposuit, atque ita non solum symbolum praesentis Iehovae - populo sensuali aptum, sed etiam memoriam beneficiorum et obedientiam erga divina mandata commendavit. — *Tempus* quod attinet, Moyses praeter *Sabbatum* in memoriam

(1) Deut. 10, 14. (2) Deut. 11, 26-28.
(3) Num. 20 et 27. (4) Deut. 18.
(5) Ex. 20. (6) Deut. 6, 5.
(7) Deut. 6, 13. (8) Ib. 10, 12.
(9) Lev. 19, 18. (10) Ib v. 34.
(11) Deut. 6, 22-25. (12) Ex. 22, 22.
(13) Ex. 23, 10. (14) Lev 19, 13.
(15) Ib. v. 19. (16) Ib. v. 14.
(17) Ex. 20. Deut. 19 et 28.
(18) Lev. 19. (19) Deut. 10.
(20) Deut. 6. Ex. 20, 5; 24, 6. (21) Num. 4, 15.

creationis ordinatum, tria festa maiora instituit, et per septem dies celebrari praecepit; nimirum *Festum Paschatis* ob exitum ex Aegypto. *Festum Pentecostes* ob legislationem sinaiticam, et *Festum Tabernaculorum* ob beneficia in deserto accepta; hisce festis praecipuis addidit *Festum expiationis*, singulari ritu (1) celebrandum, quo poenitentia et spes fovebatur.—Inter *caeremonias*, quas multas quidem, sed optimis finibus destinatas Moyses praescripsit, occurrit *circumcisio*, quam a familia Abrahami ad gentem eiusdem transtulit legislator, urgens etiam circumcisionem cordis (2). — Sacrificium triplicis generis praescriptum fuit, nimirum: *holocaustum* in signum supremi dominii Dei, *hostia pacifica* ad obtinenda divina beneficia, vel in gratiarum actionem pro obtentis, et *sacrificium pro peccato*. Alii ritus vel victum, vel vestitum, vel usum purificationum etc. concernebant.

3. *Hierarchicon* duplex secerni potest, nimirum, a) *religiosum*, in quo Moyses, ut cultus publicus rite perageretur, simulque observatio legis promoveretur, stabilem hierarchiam in tribu Levi instituit. Determinavit enim ordinem Levitarum, Sacerdotum et summi Pontificis, tum consecrationem et officia, ac demum redditus eorum ex decimis et parte sacrificiorum, ut nihil fere arbitrio, ambitioni et avaritiae relinqueret. Quo autem utilius suo fungi officio ministri possent, non specialem eis tractum in Palaestina assignavit, sed eosdem inter reliquas tribus distribuit. b) Hierarchicon *civile* leges tum de gerendo bello, tum de administranda iustitia contra fures, homicidas etc., tum de dividendis et colendis agris continebat, ut securitati, tranquillitati et felicitati temporali consuleretur. — Forma vero constitutionis mosaicae erat *theocratica*, quia Deus ipse fuit Rex populi israëlitici, illumque summus Pontifex cum sacerdotibus et iudicibus repraesentavit.

B. Si iam Religio mosaica functione philosophica examinetur, ipsa non quidem Evangelii perfectionem attingit, sed tamen in ea nihil occurrit, quod vel rectae rationi adversetur, vel cum conceptibus Dei, Religionis et hominis, vel inter se pugnet: aeque enim aliena est ab erroribus Gentilismi, ac a vanis Philosophorum ethnicorum placitis. Omnia potius, quae in ea continentur, Deo digna, hominibus accommodata, bona, pia, atque sancta sunt, quare a S. Paulo dicitur: *Lex sancta, et mandatum sanctum, iustum et bonum* (3). *Symbolum* enim tales tradit de Deo, et homine notiones, quae sicut Deo sunt dignissimae, ita etiam hominis ad Deum relationes in optima luce collocant; a Deo enim omnis veritas, omnis iustitia, omnis felicitas repetitur: corruptionis nostrae peccatum ceu causa adstruitur, et in promisso Messia, seu liberatore remedium proponitur, in quem credendum est, ut per cor contritum et humiliatum Deus post culpam placetur, et remissio peccatorum obtineatur.—*Codex* talem tradit doctrinam moralem, quae, sicut statutis Deum inter et homines relationibus optime respondet, sic etiam ab omni vera Philosophia probatur. Nec carpi potest, quod circa Religionem externam sancitum est: rituale enim mosaicum genio nationis, temporis et regionis omnino accommodatum fuit. Multitudinem enim caeremoniarum exigebat genius nationis, ad imitandos ritus Aegyptiorum valde proclivis. In ritibus autem et sacrificiis a Moyse praescriptis nulla crudelitas, ut in cultu Baal et Dagon, — nulla obscoe-

(1) Lev. 16. (2) Deut. 10, 16.

nitas uti in cultu Bacchi et Veneris, — nulla superstitio, uti in cultu Isidis deprehenditur, sed omnia ad promovendam religionem et moralitatem disposita sunt. Ritus enim omnes eo tendebant, ut vel insignia beneficia a Deo populo exhibita in memoriam revocarentur, vel unius summi Dei fidem firmarent; et Israëlitas quasi fraeno a Gentilium mensa, connubio, altaribus, et caeremoniis cohiberent, vel rituum externo splendore veri Dei summam maiestatem ad vivum repraesentarent, vel populum rudem, et sensibilibus assuetum de suis officiis admonerent, puritatis internae necessitatem, et obtinendae reconciliationis media edocerent, vel saltem Iudaeum a Gentili distinguerent: imo nonnulla ordinata fuisse, ut felicitati temporali, vel etiam sanitati provisum sit, graves auctores ostenderunt (Michaëlis Staudlin etc.). *Hierarchicon* quoque tum religiosum, tum civile, finibus iam nominatis valde accommodatum fuit. — Ex dictis iam apparet, Religioni mosaicae characteres internos Revelationis tun. negativos, tum positivos convenire. — Ast tam puram, sanctam, erroribusque expertem Religionis doctrinam Moyses eo tempore, quo populi omnes, eorumque duces et sacerdotes vanis et impiis superstitionibus inhaerebant, sibi relictus per vires solum naturales invenire, proponere, et in populo suo propagare non potuisset. Certe enim Moyses hanc Religionem percipere non potuit in Aegypto, ubi populus polytheismo et crassae idololatriae deditus erat, nec in Madiam, cuius regionis religio ignota est, et in qua pastorem egit. Ideo, ut causa sufficiens Religionis mosaicae habeatur, ad interventum Divinitatis, seu ad Revelationem divinam confugiendum est; ipsaque ratio dicit, Moysi credendum esse, qui coram populo suo aeque ac coram rege Aegypti constanter usque ad mortem professus est, se extraordinario modo a Deo vocatum, instructum et missum esse.

Nota. Religionem mosaicam varii iam increduli acriter impugnarunt. — Tindal, Morgan, Bayle, ac praecipue Voltairius, cuius dubia, cavillationes, et sophismata repetiit, et iuxta principia spuriae suae Philosophiae proposuit Hegel (1). Praecipuae saltem difficultates, quae moventur, audiendae et solvendae sunt.

Obi. 1. Moyses Deum proponit aemulatione et egoismo plenum, qui omnia ad se trahere studet, et solus honorari poscit. Dii Deaeque gentilium, praecipue Graecorum, multo humaniores describuntur. Ideo nulla gens tam frequenter a Diis suis defecit, uti Israëlitae a Deo suo.

Resp. Tota Hegelii obiectio oritur ex falso supposito, quod Deus non sit nisi τὸ cogitare purum, seu ratio impersonalis, quae absque dubio nec cultum, nec obedientiam exigere potest. Sed si Deus existit-ens primum, absolutum, unum, personale, infinitis perfectionibus praeditum, omnium rerum Creator et Gubernator, ipsa sana ratio (seu ipse deus hegelianus) postulat, ut illi summa aestimatio obedientia et dilectio exhibeatur (§. 46): talem autem Deum vere existere, sat solida argumenta probant (§. 28 et seq.): Moyses ergo optimam, uniceque veram de Deo notionem proposuit. Non minus autem vesanum, quam impium est, notioni, quam de vera Divinitate sistit Moyses, praeponere illam, quam tenuere Graeci, qui Iovem adulterum, Iunonem superbam, Mercurium furem etc. colebant, et Deos Deasque fato subiiciebant. Nec mirum est, quod Israëlitae saepius a Deo suo,

(1) Cf. Hegels, Lehre von der Religion u. Kunst. Leipsig. Otto Wigandt 1842.

quam alii populi a Diis suis deflexerint: id enim facile declaratur ex corruptione humanae naturae, quae a moralitate, quam verus Deus praecipit, per stimulos abducitur, et inordinatis passionibus, quibus fictitii Ethnicorum Dii blandiuntur, libenter indulget. Nunc quoque ab optimis praeceptis moralibus homines saepe deflectunt, quin tamen ideo de istorum veritate et bonitate dubium moveatur.

Obi. 2. Deus a Moyse proponitur iniustus, qui furta Hebraeorum in Aegypto approbat, mendacia obstetricum remuneratur, peccata parentum punit in tertiam et quartam generationem etc. imo et crudelis, qui gentem Chananaeorum cruenta nece extinguere iubet: talis vero Dei notio vera esse nequit.

Resp. Propter ea, quae ex narratione mosaica hic citantur, Deus nec iniustitiae, nec crudelitatis argui potest. Deus enim absolutus rerum omnium Dominus potuit dominium vasorum ab Aegyptiis in Israëlitas transferre: dein Hebraei tum in praemium laborum, quibus eos Aegyptii oppresserant, tum in compensationem domorum et agrorum in Aegypto relictorum poterant iure vasa secum ferre. — Obstetrices aegyptiacas Deus remuneravit, non propter mendacia, sed quia, ut dicitur Ex. I, v. 17 et v. 21, timuerunt Deum, nec voluerunt iniustum regis mandatum exequi. — Verba Ex. XX, 5, ubi Deus dicitur visitare iniquitates Patrum in tertiam et quartam generationem, intelligenda sunt de mala et perversa sobole; quia enim scandala parentum in plures generationes propagantur, ideo etiam poenae non cessant. Hunc sensum exigunt ea, quae v. 6 subiiciuntur, et tot alia Scripturae testimonia, ex quibus Iudaeis persuasum erat, Deum nunquam punire innocentes. Caeterum divinae sapientiae et iustitiae etiam non repugnat, per tribulationes temporales filios ab imitatione parentum perversorum retinere. — Chananaei propter scelera maxima promeriti sunt atrocissimam poenam, quam Deus per manus Hebraeorum ipsis infligere iustissime decrevit.

Obi. 3. Moyses unum duntaxat Deum nationalem proposuit, seu potius Deum familiae Patriarcharum ad Deum nationalem elevavit.

Resp. Haec asseruntur, non autem probantur. Contrarium docet Scriptura totaque antiquitas, Pentateuchi interpres. — Omnis et littera et spiritus mosaicae constitutionis ad unitatem Dei vindicandam tendit. — Moyses Deum proponit, qui creavit coelum et terram, et non solum familiae Patriarcharum, sed toti generi humano initium dedit (1) : fidem in hunc Deum primo Decalogi loco ponit (2), et reiecto fetischismo ac magismo (3), unum Deum praedicat (4) ; ac potissimum (5) ait : *Audi, Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est.* Formula: *Deus Abraham, Deus Isaac* etc. immerito irridetur a Voltairio; aptissima enim est pro tempore et indole nationis ad indicandam specialem Dei ad israëliticum populum relationem.

Obi. 4. Ab auctoribus V. T. multa referuntur a recta philosophia et a veritate aliena, e. g. solem moveri, terram basibus suffultam esse etc. ergo qui hos libros conscripserunt, non fuerunt a Deo inspirati.

Resp. Auctores sacri iuxta opiniones tunc receptas locuti sunt, ut nempe captui vulgi sese accommodarent, faciliusque intelligerentur; nec immerito: nam scopus revelationis est virtutis cultores efficere, non philosophos; si scriptores sacri ali-

(1) Gen. 1 et 2. (2) Ex. 20, 1-6 (3) Deut. 4, 16-19. (4) Deut. 4, 35. (5) Deut. 6, 4.

ter locuti fuissent, dubia et altercationes excitassent, multumque auctoritati suae nocuissent; etiam nostris temporibus viri omni doctrina ornati, ut facilius intelligantur, et vulgo sese accommodent, de motu, ortu et occasu solis loquuntur, neque ideo mentiri dicuntur, quoniam non systemata naturalia declarare, sed id, quod oculis apparet, enuntiare volunt.

Obi. 5. Lex Moysis pietati adversa est, quia immundum declarat eum, qui mortui cadaver tangit, quod homines ab officiis retinet mortuis exhibendis; praeterea saevissimos odii et vindictae motus fovet, quod Christus ipse testatur, dicens: *Audistis, quia dictum est: oculum pro oculo, dentem pro dente:* et: *Audistis, quia dictum est: diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum* (1). Ergo haec lex a Deo esse non potest.

Resp. Non tantum vetitum non fuit Iudaeis mortuos sepelire, sed ut officium humanitatis Deo gratissimum habitum fuit a piissimis viris: exemplo sit Tobias c. I et II. — Impuritas illa, quae, ut quidam volunt, ab iis tantum contracta fuit, qui mortui cadaver absque necessitate tangebant, mere legalis fuit, a qua per purificationem liberari facile erat: neque hac lege tactus mortuorum ceu moraliter mali reprobabantur, quia etiam per alia opera bona et necessaria impuritas legalis contrahi potuit: probabilius ideo haec lex Hebraeis posita fuit, ne ritibus superstitiosis mortuorum corpora colerent. Lex talionis concupiscentiae non fomes erat, sed limes, ut observat *S. Augustinus*. Nil in ea iniusti deprehenditur, dummodo locum habeat inter aequales, et nihil fiat privata auctoritate, prout mosaica lex ordinavit. Iniurias enim auctoritate publica puniri posse, omnis vera philosophia testatur. Porro - inimicos odisse lege vetitum erat (2). Si Christus dixit: *audistis, quia dictum est* etc., id intelligi debet de falsis interpretationibus et traditionibus Pharisaeorum.

Obi. 6. Inter leges mosaicas nonnullae sunt sanae rationi contrariae, uti e. g. est lex de animalium discrimine et ciborum delectu, quae his verbis concipitur: *Omne, quod habet divisam ungulam, et ruminat in pecoribus, comedetis. Quidquid autem ruminat quidem et habet ungulam, sed non dividit eam, sicut camelus et caetera; non comedetis illud, et inter immunda reputabitis* (3). Non potest talis lex a Deo repeti, qui omnia bona et munda creavit, et pro hominibus destinavit.

Resp. Quidquid Deus decernit, iam ideo semper bonum et sanctum est, quia Deus ita vult, neque infinitae Sapientiae decreta ante tribunal infirmae rationis humanae vocare licet. Et certe sufficiens iam eiusmodi legum motivum esset, si Deus illas ad probandam Israëlitarum fidem et obedientiam tulisset. — Si animalia, quae bona creata sunt, immunda dicuntur, non iam de immunditie morali, sed legali sermo est; seu si illa intelligitur, synecdoche occurrit, quia homines - legem violantes - immundi redduntur. — Animalia ad varios fines creata sunt, et si Deus quaedam pro alimento hominis destinavit, non se iure privavit istorum usum aliquando interdicendi. — Si autem quaeratur, ex quonam praecise fine lex de animalium discrimine et de ciborum delectu lata fuerit, — varii varia respondent: quidam cum *S. Thoma* Deum hoc ciborum discrimen statuisse volunt, ut populi sui valetudini prospiceret: sic carnem suillam fere omnes orientales populi

(1) Matth. 5 (2) Cf. Ex. 23. Lev. 19. (3) Lev. 11. 5 et 4.

respuunt ut sanitati noxiam. Alii putant, animalium discrimen et ciborum delectum institutum fuisse in detestationem idololatriae. Nam Gentiles, et praecipue Aegyptii huiusmodi animalia prohibita idolis immolabant, vel iis ad maleficia utebantur; animalia vero, quorum comestio licita erat, non comedebant, sed ea tanquam Deos colebant, vel propter aliam causam ab iis abstinebant. Huius sententiae erant *Origenes* (1), *Theodoretus* (2), *S. Basilius* (3). — Aliis visum est, ciborum discrimen institutum esse a Deo, ut Israëlitarum intemperantiam coërceret, eos quibusdam abstinentiae rudimentis informaret, et sic libidinis et luxuriae fomitem de medio tolleret; sic sentit *Tertullianus* (4). Aliam rationem assignat *S. Iustinus M.* (5), sic Iudaeos alloquens: « Quin et a cibis quibusdam, ut vos abstineatis, vobis Deus mandavit, ut etiam inter edendum et bibendum vobis ob oculos versaretur Deus - promtis admodum et proclivibus ad deficiendum a notione eius. » Alii tandem discriminis ciborum a Deo instituti rationes typicas, symbolicas et allegoricas reddunt. Dicunt, animalia munda ab immundis secreta fuisse, ut indicaretur, Israëlitas gentem sanctam, Deo in peculium consignatam, et a profanis gentibus separatam esse, quod innuitur in Lev. XX, 24 etc., ubi Deus dicit: *Ego Dominus Deus vester, qui separavi vos a caeteris populis: separate ergo et vos iumentum mundum ab immundo, et avem mundam ab immunda.* Sub certis etiam animalium vetitorum generibus, quasi figuris, certa hominum vitia notari, tradit *auctor epistolae S. Barnabae* adscriptae, qui per porcos homines luxuriae deditos, per aquilas et corvos homines rapaces etc. intelligit. Similia habent *Origenes* (6), *Augustinus* (7), *Cyrillus Alex.* (8).

Obi. 7. In Rituali mosaico crudeles etiam caeremoniae praescribuntur. Nam Lev. XXVII dicitur, homines quoque Deo consecrari posse; et ibidem v. 29 statuitur: *Omnis consecratio, quae offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.* Religio vero, quae praecipit sacrificia humana, pessima est, et Deo indigna.

Resp. Sacrificia humana sub gravissimarum poenarum comminatione ab ipso Moyse (9) prohibentur, et ideo semper ut interdicta considerabantur (10). Citata Levitici verba intelligenda sunt de illis rebus, quas occidere licitum erat. — Multa sane eius naturae fuerunt, ut Deo quidem offerri, non vero occidi potuerint e. g. agri, domus etc. Idem de homine dicendum est. — Homines nimirum Deo consecrati redimi non poterant, sed Deo cedebant in perpetuum, ac templi servitio per totam vitam quasi in statu anathematis erant mancipati (11). Sola ergo animalia occidebantur, ut supremum Dei in omnia dominium ostenderetur.

Obi. 8. Leges politicae per Moysen latae nullo modo perfectissimae sunt: anne divinae dici possunt, si successu temporis ab hominibus perfectiores latae sunt? — Imo in lege mosaica talia continentur, quae bono publico noxia, et ideo rationi contraria sunt, uti sunt leges, quibus annis sabbaticis quies praescribitur, omnesque mares certis temporibus templum adire coguntur, qua occasione arrepta, hostes facile Iudaeam

(1) L. 4 c. Cels. (2) Quaest. in Lev.
(3) Or. 6. (4) L. 2 c. Marc., c. 18.
(5) In Dial. c. Tryph.
(6) Hom. 7 in Lev. (7) L. 6 c. Faust.
(8) L. 14 de ador. in spir. et ver. Cf. Natal. Alex. Hist. eccl. t. II, in 4 mundi aetatem, Diss. 3, art. 5, § 2.
(9) Deut. 12, 30 etc.
(10) Cf. Ier. 19, 5. Isa. 66, 3. Mich. 6, 7.
(11) I. Reg. 1 et 2

invadere et devastare potuerunt: tales leges a Deo certe non sunt.

Resp. Nemo contendit, legem mosaicam summum perfectionis apicem attigisse; Apostolus diserte ait: *Nihil ad perfectum adduxit lex, introductio vero melioris spei* (1). Deus, qui hominibus nullam revelationem debuit, pro liberrimo suo consilio efficere potuit, ut huius lux pedetentim ipsis affulgeat. — Ceterum notandum est, leges in se perfectissimas non semper etiam sapientissimas esse. Legum enim sapientia ex earum bonitate relativa desumenda est. Stultum esset homines rudes aut pueros iisdem legibus regere, ac homines excultos, aetate et ingenio maturos. — Sed lex mosaica, ut dictum est, paedagogus fuit, pueros et rudes homines instituit, pro circumstantiis populi et temporis sapientissima fuit, et legi meliori ac perfectiori viam praeparavit. Nec quidquam bono publico noxium et rationi contrarium occurrit. — Quies enim annis sabbaticis erat utilis, ut studio legis et cultui religioso Iudaei operam diligentiorem navarent. Et licet hoc anno messis nulla haberetur, promiserat iam Deus messem anni praecedentis etiam pro futuro sufficientem; hancque promissionem semper adimpletam observabant Iudaei. — Sic pariter Deus promiserat, se terris Iudaeorum invigilaturum esse iis temporibus, quibus templum adirent, semperque promissis stetit, nec enim Iudaeorum fines per hoc tempus ab hostibus attentatos fuisse legitur.

Obi. 9. S. Scriptura V. T. historias continet maxime scandalosas, et eorum quoque, qui ceu iusti laudantur, vel ut Patriarchae venerantur, pudenda scelera refert, e. g. incestus Lothi, Iudae etc. Quis talem librum ut divinum habebit? — Ita cum rerum sacrarum irrisore Voltairio quaerunt increduli. Hegel eousque progressus est, ut generatim diceret, Iudaeos omnibus aliis populis nequiores characteres, peioresque mores habuisse: id autem repetit ex falsa notione Dei, quem a sua natura et persona divisum et ita excelsum putabant, ut omnia ad ipsum referenda sint: ita loquitur in sua Aesthetica et in Phoenomenologia.

Resp. S. Scriptura non solum ut opus doctrinale, sed etiam ut opus historicum consideranda est, quod per bona et mala exempla erudit. Scelera, quae commemorantur, non laudantur, sed reprehenduntur, eorumque mali effectus et poenae ostenduntur. Homines etiam fragilitatis suae conscii redduntur, cum iustos praviter cecidisse comperiunt. Deo ergo indignum non est, illustrium caeteroquin virorum lapsus enarrare. Horrendam autem vel ignorantiam, vel impietatem ostendit assertio, qua populi polytheismo et idololatriae dediti quoad moralitatem antiquis praeferuntur Hebraeis. Omnes enim historici fatentur, mores non solum Barbarorum, sed etiam Aegyptiorum, Graecorum et Romanorum corruptissimos fuisse, cum scelera ipsis Deorum Dearumque exemplis insinuarentur. Quodsi scriptores ethnici populorum suorum vitia non tam candide fassi sunt, ut scriptores sacri, exinde summa horum veracitas elucet. — Hegelius characteres Iudaeorum hodiernorum, qui sicut a Deo defecerunt, ita a Deo reiecti sunt, videtur turpiter confudisse cum characteribus veterum Hebraeorum, qui tunc populum Dei constituerunt. Nihil autem magis insipidum est, quam ratio, seu causa, ex qua Hegel corruptionem repetit: innititur illa falso prorsus et absono principio, quod Deus non sit nisi τὸ cogitare purum, seu ratio impersonalis. Anne

(1) Hebr. 7, 19.

notio talis Dei magis moralitati consulet, et morum corruptioni obviabit? — ratio utique impersonalis actuum personalium capax non est, et ideo nec leges ferre, nec iudicare, nec punire, nec moralitati correspondentem felicitatem tribuere potest, et si in homine sui conscia fit, eodem momento eiusdem infirmitatis suae conscia redditur. Statuta ergo notione dei hegeliani omnem moralitatem evanescere necesse est. Imo ex Hegelii principio sequi, omnes potestates sublimiores de medio tollendas, regesque et principes moralitati noxios esse nonnulli iam omni iure observarunt. — (Plures difficultates solvunt *Daniel Huet.* (1), *Nonnotte* (2), *Bergier*, *Beda Mayr* (3), *Liebermann* (4), *Dobmayr* et alii).

ARTICULUS II.

Miracula ceu characteres externi Religionis per Moysen revelatae.

§. 97.

Si historia mosaica, liberatio Israëlitarum ex Aegypto, et legis promulgatio cum omnibus suis circumstantiis consideratur, lucide apparet, miracula non solum utilissima, sed vere necessaria fuisse — tum ipsi Moysi, ut ad tam arduum et molestum opus se accingeret, — tum Regi aegyptiaco, ut Israëlitas dimitteret, — tum Israëlitis ipsis, ut Moysi obtemperarent, et ab ipso ceu legato divino leges acciperent. Mirum ergo non est, quod multa in Pentateucho miracula enarrentur, quorum *veritatem historicam*, *philosophicam* et *relativam* iam expendere oportet.

1. In Pentateucho genuino, integro et omni fide digno sequentes eventus omnino extraordinarii et stupendi enarrantur: a) *In monte Horeb* Moyses singulari modo ad munus suum vocatus fuit; vidit enim rubum ardentem, qui non comburebatur, et ex quo Deus loquens ipsi mandavit, ut populum israëliticum ex Aegypto educeret, addita assistentiae promissione (5). — Moyses, de vocatione sua certus, ad destinatum sibi a Deo locum perrexit, et statim b) *in Aegypto* voluntatem Dei senioribus populi exposuit, qui propter signa, quae viderant (6), etiam crediderunt. Tum vero Moyses et Aaron confidenter Regem adiere, et nomine veri Dei, quem Hebraei colunt (7), dimissionem populi israëlitici petierunt. Rex vero mandato ignoti sibi Dei se submittere recusans populum israëliticum gravius afflixit. Ideo signis et portentis, quibus manum suam Deus super Aegyptum extendit, cogi debuit, ut populum dimitteret. Primo enim portento, quo virga Aaronis in colubrum mutata est, decem successerunt plagae: I omnis aqua in sanguinem conversa est, et ideo pisces perierunt; II ranae campos et domus Aegyptiorum repleverunt; III sciniphes, et postea IV muscae homines et animalia dire vexarunt; V pestis iumenta prostravit; VI ulcera homines et iumenta contaminarunt; VII grando cuncta destruxit, quae fuerunt in agris; VIII locustae, ingenti copia Aegyptum replentes - omnia devorarunt, quae relicta sunt a grandine; IX tenebrae per tres dies tam densae fuerunt, ut nemo videret fratrem suum; X ultima tandem plaga fuit strages primogenitorum, ob quam Rex perterritus Israëlitis discessum permisit, et populus aegyptiacus tremens illum accelerare studuit: unde Moyses cum populo suo primum Pascha celebravit, et ex Aegypto discessit (8). — c) *Ad mare rubrum* nova sequuntur signa (9). Columna enim nubis,

(1) Dem. ev. (2) Lex. (3) L. c. t. II, §. 120 etc.
(4) T. I. c. II, Sect. 4.
(5) Ex. 3. (6) Ex. 4, 31. (7) Ex. 5, 1.
(8) Ex. a cap. 7 — cap. 11, 29.
(9) Ex 14 et 15.

quae praecedebat castra - Israëlitis lucem, et Aegyptiis tenebras offudit, et cum Moyses ex mandato Dei manum super mare extendit, *divisa est aqua, et ingressi sunt filii Israël per medium sicci maris; erat enim aqua quasi murus a dextra eorum et laeva.* Ingressis autem Aegyptiis, cum Moyses iterum manum extenderet, reversum est mare ad priorem locum, et exercitum Aegyptiorum sepelivit. — d) *In deserto* magna signa contigerunt. Columna nubis per diem et lucis per noctem, Dei praesentis et protegentis symbolum fuit. — Manna singulis diebus in tanta copia decidit, ut ad saturandum populum sufficeret, sexta vero hebdomadae die in duplici mensura; ante ortum solis colligenda fuit — post 24 horas, excepto Sabbato, computrescens. — Aquam Moyses ex percussa petra elicuit (1). — Seditiosos Core, Dathan et Abiron terra deglutiit (2); aliis etiam 250 incensum offerentibus, et insuper 14700 murmurantibus incendio consumtis. — Aliud quoque miraculum a plerisque celebratur, scilicet Israëlitarum vestes toto eo tempore, quo in deserto permanserunt, nunquam fuisse vetustate detritas: idque aperte colligi posse videtur ex verbis Deut. VIII, 4: *Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, et pes tuus non est subtritus: en quadragesimus annus est.* Imo *S. Iustinus M.* addit, vestimenta cum iunioribus crevisse, non minus quam cum cochleis crescant earum domus. Eiusdem fere opinionis, teste Calmet, fuerunt S. Hieronymus, H. Grotius et alii interpretes, licet non desint qui laudata Deuteronomii verba intelligenda putant de novarum vestium copia, quas divina providentia Israëlitis suppeditavit (3). —

2. Eventus modo enarratos vera miracula fuisse, et ipsum Deum, extraordinario modo agentem, auctorem habuisse, luculentissime ostendi potest. Ipsa enim *occasio* et *finis* eventuum singularium ad divinam Moysis vocationem ostendendam et ad divinorum mandatorum contemtum in Pharaone puniendum, ac ad eius animum flectendum necessariorum vel utilissimorum, si etiam naturali modo explicari possent, singularem tamen Dei ordinationem, et specialem influxum innuunt. — Quodsi *natura* eventuum expendatur, statim apparet, illos naturaliter explicari non posse. Licet enim una vel altera plaga ex causis mere naturalibus oriri possit, nullum tamen exemplum aliud historia ostendit, quod eadem provincia intra breve tempus quatuor vel sex hebdomadarum tot terribilium plagarum serie, quarum nulla alteram praeparat, nulla alterius causa est, obducta fuerit. Praeterea Moyses eosdem stupendos eventus quoad diem et horam praedixit, et iterum illis vel fusa ad Deum oratione, vel pauca verba proferendo, vel extensa virga, vel sparso per aërem cinere finem imponit, ita quidem ut coelum, terra, mare tota quo tere natura mutui unius viri parere videretur. Mirum quoque vel maxime fuit, praedictas plagas solos Aegyptios tetigisse, et terram Gessen, quam Israëlitae inhabitabant, ab illis penitus immunem mansisse, quomodo id de decem, sibi succedentibus, plagis naturaliter explicabitur? — Multi demum eventus eius iam sunt naturae, ut non solum naturaliter explicari non possint, sed legibus naturae omnino repugnent, uti sunt e. g. rubus ardens et non combustus, subitanea aquae in sanguinem mutatio, siccitas in fundo maris et aqua ceu murus erecta persi-

(1) Ex. 17. (2) Num. 17. (3) Cf. Gazzaniga Prael. theol t. 4, diss. 2, cl 3 in Nota

stens etc. Tum vero si *modus* attendatur patratio signorum praefatorum non occulta, sed publica spectantibus duabus nationibus peracta, patratio eorum varia pro opportunitate temporis et loci, patratio aliquorum per annos 40 perdurans facile tum illusionis, quae tanto tempore circa integram nationem ne probabilis quidem est, tum artificii mere naturalis, quale a nullo alio homine patratum fuit, tum praestigiae diabolicae, qua cultus Iehovae non promovetur, suspicionem avertit. — Ipsi denique *effectus* in illis qui eventibus interfuerant, et illos examinare poterant, producti, veritatem istorum miraculorum philosophicam confirmant. — Visis enim istiusmodi signis Aegyptii instant apud Regem, ut Israëlitas citissime dimitteret, Magi ipsi obstupefacti exclamant: *Digitus Dei est hic!* Pharao, licet aegerrime, licentiam tamen Moysi cum populo suo abeundi tribuit; Israëlitae ducem suum libenter in desertum sequuntur, et in maximis angustiis positi, licet murmurent, viso tamen novo signo Deum laudant, liberationem suam ipsi soli adscribentes; legibus tandem mosaicis, licet duris, se humiliter submittunt, easque ceu divinas venerantur (1): imo exterae quoque gentes Deum Hebraeorum propter signa, quae in Aegypto facta sunt, timere discunt (2). — Quae si omnia rite considerentur, dubium superesse nequit, Deum ipsum extraordinaria causalitate praedictos eventus produxisse, illaque vera miracula fuisse.

3. Veritas relativa, seu nexus miraculorum cum religione et constitutione mosaica sole clarior est. Omnes enim circumstantiae ostendunt, Deum, qui impostorem non iuvat, miracula patrasse, ut Moysen ceu Legatum suum commonstret, et sic tum Pharaonem ad dimittendum populum, tum Israëlitas ad accipiendam legem revelatam adigeret. Ipse Moyses ubique aperte tum coram Pharaone, tum coram Israëlitis professus est, se a Deo instructum et missum esse (3). Et cum sisteret ad radices montis Sinai, in quo legem promulgandam accepit, populo in memoriam revocavit magnalia, quae Deus contra Aegyptios ostenderat; quibus auditis Israëlitae, de divina Moysis missione non dubitantes, dixerunt: *Cuncta quae locutus est Dominus, faciemus* (4). — Et cum Israëlitae legem iam haberent, Moyses dixit ad eos: *In hoc scietis quod Dominus miserit me, ut facerem universa, quae cernitis, et non ex proprio ea corde protulerim* (5). Hoc iam Moysis - legati divini - testimonio rite perpenso, dubium superesse nequit, religionem per ipsum Israëlitis traditam a Deo ipso esse revelatam (6).

Nota. Increduli omnem lapidem movent, et non raro ad maximas absurditates confugere non erubescunt, ut miracula Moysis naturaliter explicent: illorum figmenta recensemus, ut veritatis lux, umbrae opposita, clarius splendeat.

Obi. 1. Rubus ardens, erat phoenomenon naturale. Sol enim occidens, ait *Barthius*, radiis suis rubescentibus, et inter rupes erumpentibus ita rubum afficiebat, ut ardere videretur: — vel, uti opinatur *D. Bauer*, fulmen rubum tetigerat, et tamen non conflagravit, quem eventum Moyses admiratus, putabat sibi pro signo datum esse ad liberandos Hebraeos ex Aegypto.

Resp. Mirum sane et incredibile est, Moysen, scientiis aegyptiacis instructum, et in deserto per longius iam tempus pastorem agens, natura-

(1) Ex. 8-12. (2) I Reg. 4 8.
(3) Ex. 3, 16; et 4, 1-6.
(4) Ex. 19, 8. (5) Num. 16, 28.
(6) Cf. Dobmayr t. III, § 59.

les vel solis vel fulminis effectus non cognovisse, tales eventus haud saepius observasse, talique signo naturali ad opus maxime arduum et periculi plenum adactum fuisse. Et undenam vox orta est, quam se audivisse Moyses testatur? an sol, an fulmen sonos articulatos edidit, et praecepta annuntiavit? — mos Orientalium, cogitata hominis per modum sermonis proponendi Moyse posterior est, ac poëtis, non historicis communis. Eventus demum subsequentes divinam Moysis vocationem et veritatem miraculi extra dubium ponunt.

Obi. 2. Plagae aegyptiacae causis naturalibus adscribi possunt; fuerunt enim naturales effectus pestilentiae, quae in Aegypto grassabatur. Lues enim pisces cum crocodilis et aliis animantibus fluxu sanguinis corripuit, et inde colorata est aqua fluminum. Infectio aquarum ranas - genus amphibiorum - in terras expulit. Sciniphum et muscarum multitudo magnae copiae ovorum in pulvere delitescentium, et a magno solis aestu calefactorum tribui debet. Insecuta est pulveris ardentis pluvia - calidissimis illis regionibus non insolita, et haec ulcera produxit in hominibus et iumentis, pestique attulit incrementum. — Paulo post excutiunt procellae ingentem grandinem, quae sane nihil miraculi habet. Ventus aestuosus locustas adduxit, et contrarius sustulit. Demum lues vehementius in homines irruens in primis iuniores sustulit, quos Moyses primogenitos vocavit. Nihil autem facilius erat Moysi, quam exitiales has calamitates tanquam miracula venditare apud suos, qui in terra Gessen nihil tale fuerant experti. Ita cum Spinoza non pauci.

Resp. Pestilentia, quae plagis praemittitur, est vanum commentum nulli historico fundamento innixum. Hypothesis quoque de fluxu sanguinis, cui totum Spinozae systema innititur, rationi ac experientiae adversatur. Qua enim ratione tantus sanguinis fluxus cogitari posset, ut derepente omnes fluvii, rivi, paludes, lacus etc. in sanguinem verterentur (1)? — quodnam, non dicam aequale, sed vel simile exemplum in historia legitur? — Si plagae istae phoenomena mere naturalia fuerunt, quare terra Gessen in medio Aegypti posita, ab illis libera remansit? quare Israëlitae etiam in aliis Aegypti regionibus plagis istis non fuerunt infecti? — haec sane in ordine naturali explicari non possunt. — Imo si etiam concederetur, plagas praedictas naturaliter contigisse, concedendum tamen est, illas fuisse eventus insolitos et prorsus singulares, et ideo maximum miraculum in hoc occurreret, quod Moyses huiusmodi eventus ita praeviderit, ut ipso iubente et inciperent et desinerent. Neque Moyses potuisset plagas aegyptiacas Iudaeis ceu splendida miracula venditare, ni haec ita fuissent. Illa enim commemorat, ut in eorum conspectu peracta, tanquam publica. Nam inter Israëlitas et Aegyptios frequentissimum erat commercium. Iudaei Aegyptiis erant immixti, a quibus illi dire vexabantur. Terra Gessen in medio Aegypti erat posita. Potuerunt et debuerunt ergo Israëlitae non minus quam Aegyptii prodigia ista observare, nec sane incuriosi neglexerunt perpendere signa, quae Moyses fecit, cum ipsis maxime interesse debuit, an impostorem, an legatum divinum in desertum sequantur (2).

Obi. 3. Plagae aegyptiacae Deo sunt indignae; ipse enim, cuius natura est bonitas, beneficiis et non plagis Pharaonem ad dimittendum populum compulisset. Praeterea iustitiae divinae repugnat ob pervica-

(1) Ex. 7, 19.

(2) Cf. Beda Mayr l. c. §. 155

ciam Pharaonis innocentem quoque populum tot aerumnis vexare.

Resp. Deus bonus est et iustus, ideo bonos remuneratur, malos autem iustissime punit. Primum signum coram Pharaone patratum - nimirum virga in serpentem mutata - plaga non fuit. Cum autem rex nihilominus mandatum divinum sperneret, poena dignus, et non iam beneficiis cumulandus, sed plagis terrendus erat; nam si eius pervicaciam beneficia secuta fuissent, obstinatum suum animum a Deo veluti iustificatum putasset. — Nec populus recte innocens dici potest, postquam a Pharaone ipso culpae reus declaratus fuit, dicente: *Dominus iustus, ego et populus meus impii* (1). — Et si Aegyptii de pervicacia regis sui non participabant, aliorum iam criminum rei erant, quoniam Israëlitas - hospites suos - dire vexabant, impium de trucidandis Hebraeorum pueris decretum frequenter exequebantur, et pessimae idololatriae dediti erant.

Obi. 4. In transitu maris Rubri non potest miraculum probari. Poterat enim Moyses, qui ad oram huius maris diu vixerat, aestum eius reciprocum diligenter observare, et tempore fluxus populum per sinum subducti maris perducere. Transitum tali modo peractum esse, testatur *Artapanus*, scribens Iudaeorum transitum sic a Memphitis narrari (2). *Iosephus* quoque Flavius, vir iudaeus, incertum reliquit, an illa divisio maris naturaliter, an per miraculum contigerit, et transitum Moysis comparat cum transitu Alexandri M. per mare Pamphiliae favente aestu maritimo. Neque intelligi potest, etiam admissa aquarum divisione, quomodo tota multitudo ad maris profundum - rupibus saepe refertum - descendere, et per illud transire potuisset.

Resp. Moyses, scriptor veracissimus, stilo candido, historico, figuris nudato refert, aquas divina virtute fuisse divisas, et instar muri ex utraque parte erectas (3) quod non contingit in aestu maris. Aegyptii non minus quam Moyses aestuum maritimorum gnari erant, imo non potuerunt haec nescire, quae quotidie in ipsorum littoribus contingebant: igitur finem aestus maritimi cognovissent, vel saltem suspicati essent; aliam aestus reciprocationem exspectassent ad Israëlitas insequendos, nec sese mari tunc commisissent, nisi amentes. Porro refluxus maris tam repentinus non est ut fugae locus non detur; cum enim gradatim fiat, maior saltem pars exercitus se aquis subducere potuisset. Traditioni Memphitarum traditio Heliopolitanorum iure opponitur, qui, teste eodem Artapano, transitum Hebraeorum per mare Rubrum et interitum Aegyptiorum non aliter, quam in Exodo legitur, enarrant. Heliopolitani autem magis audiendi sunt, quam Memphitae; illi enim contra se, hi pro se testantur. Iosephi Flavii testimonium iuxta omnes criticae leges auctoritati Moysis longe postponendum est: et si scriptor iste iudaeus, forte ethnicorum causa, dubitanter locutus est, probabilius tamen de veritate miraculi in corde non dubitavit. Cum enim eiusdem narrationem aggreditur, dicit: «Ut vero ad extremum littus ventum est, tum Moyses sumta virga Deum supplex invocat, dicens: Tu, Domine! scis ipse, quod nec viribus, nec artibus humanis ullum hinc pateat effugium, — ad te solum confugimus.» Haec precatus, mare virga percutit, quo ictu repente scissum - nudum solum reliquit.» Imo et illud, quod Alexandro M. contigit, divinae virtuti attribuit, cum Deus, uti ait, eius opera ad destruendum Persarum regnum uti decrevis-

(1) Ex. 9, 27.

(2) Ap. Euseb. Pr. ev. 9. (3) Ex. 14.

set. Magnum tamen inter utrumque transitum discrimen est; milites enim Alexandri usque ad dimidiam corporis partem aquis immersi iter peragebant, cum Israëlitae sicco pede mare transiissent. — Cum profunditas maris gradatim crescere possit, ideo recedentibus aquis itineratio per illud non minus patuit, quam nobis patet ex uno monte descensus, et in alium ascensus. Et si transitus Israëlitarum tali naturali modo explicari non potest, cum factum certum habeatur, novum erit miraculum admittendum: et absque dubio qui dividere aquas potuit, viam quoque in mari sternere valuit (1).

Obi. 5. Manna qua vescebantur Israëlitae in deserto inter miracula non potest recenseri. Nam mannam in Arabia frequenter reperiri, Iosephus aliique scriptores testantur: Isidorus illam vocat mel in Arabia coagulatum, ramis inhaerens in similitudinem salis.

Resp. Mannam Israëlitarum in deserto naturalem non fuisse, sed in illa continuatum miraculum contigisse, ostendunt iam circumstantiae loci et temporis, quia inventa est eo in loco ubi antea non inveniebatur, — nimirum super terram, in circuitu castrorum et non alibi; nec verno solum tempore ut manna medicinalis, sed etiam hiemali; et quidem per annos quadraginta in tanta copia decidit, ut quotidie sufficeret ad sat numerosam nationem Israëlitarum saturandam. Naturaliter etiam explicari nequit, quod manna in alium diem reservata corrumperetur, excepto Sabbato, pro quo reservari potuit; hac enim de causa feria sexta duplex mensura cecidit. Accedit testimonium doctissimi itineratoris *Niebuhr*, qui neque in Arabia, neque in terra Chanaan praedictam mannam detegere potuit, quam solummodo invenit in Ispahan, sed in exigua quantitate, et aestivis solum mensibus colligendam (2).

Obi. 6. Si miracula ita contigissent, prouti a Moyse narrantur, non potuissent Aegyptii tam obstinati et Israëlitae tam inconstantes, et ad idololatriam tam proni esse; sed omnes potius unum verum Deum agnovissent, et Religionem mosaicam amplexi essent: quod cum factum non sit, miracula decantata fidem non merentur. —

Resp. Miracula Moysis, ut supra dictum est, praeclaros effectus produxerunt; Pharaonem ad dimittendum populum, Magos ad exclamandum: *Digitus Dei est hic*, Israëlitas ad Moysi obtemperandum compulerunt, et, ut multi volunt (3), nonnullos etiam ex Aegyptiis permoverunt, ut rectam fidem susciperent, et relicta patria se Israëlitis iungerent etc. Tales autem effectus sine miraculo explicare, maioris esset difficultatis quam causas pertinaciae aegyptiacae, et inconstantiae israëliticae assignare. Nemo enim hac de re stupebit, qui experientia duce hominum indolem infirmam et corruptam cognoscit. Intellectus enim, praeiudiciis captus, clarissimas non raro veritates reiicit, et voluntas passionibus depravata, cognitis licet gravissimis motivis, saepe a bono ad malum deflectit. Neque ergo propter pertinaciam Aegyptiorum, neque propter Israëlitarum inconstantiam miracula Moysis in dubium vocari possunt - alias fere omnia - etiam certissima documenta, et morum praecepta dubia redderentur, quia homines corrupti illa vel credere, vel exequi recusant. — Aegyptii certo magna ex parte, et forte etiam inter Iudaeos, nonnulli mira Moysis facta

(1) Cf. Beda Mayr l. c. 2. 135.

(2) V. Natal. Alex. Hist. eccl. t. 2, c. 1. art. 2. Storchenau Rel. Phil. Zugaben. 2, B. N. 4 5. V. Beda Mayr l. c.

magiae, vel occultis artibus adscripserunt, non quia veri miraculi conditiones deerant, sed quia illa propter praeiudicia sua haud recte diiudicarunt. Tandem ad conversionem cordis et perseverantiam in bono non sufficiunt signa externa, sed requiritur interna et efficax gratia, quam Deus pro sua misericordia, quibus vult largitur, et pro sua iustitia indignis denegat. Permisit itaque iustissimus Deus, indurari cor Pharaonis atque Aegyptiorum, et inconstantes Hebraeos in idololatriam aliaque turpissima scelera saepius delabi: quare autem et quomodo id permiserit, hominis non est scrutari. Interim contra omnes criticae leges peccaret, qui certissima Moysis miracula ideo negare vellet, quia iis visis nec Aegyptii conversi sunt, nec Israëlitae Domino liberatori suo constanter adhaeserunt, quia iam praefatorum miraculorum veritas historica, philosophica et relativa probata est, et huius inconstantiae, sicut illius pertinaciae causae sufficientes assignatae fuerunt (1).

ARTICULUS III.

Vaticinia ceu characteres externi Religionis per Moysen revelatae.

§. 98.

Tota vita publica Moysis potest prophetica dici, quia singulis, quae edidit, factis plerumque praedictionem praemisit, ut attentionem populi ad ea rite observanda excitaret. Sunt autem *tria praecipua vaticinia*, quae omnem admirationem merentur, et quae exponere hoc loco sufficit.

I. Cum filii Israël territi ab iis, qui ad explorandam terram Chanaan missi fuerant, contra Moysen et Aaronem murmurassent, Moyses, spiritu Dei plenus, praedixit, neminem eorum, qui vigesimum annum iam expleverant, terram illam visurum, Iosue et Caleb exceptis (2). — Huius vaticinii *veritas historica* ex authentia Pentateuchi et consensu nationis, *philosophica* autem ex natura eventus patet; nemo enim nisi solus vitae mortisque dominus scire potest, duos solummodo ex integra natione, reliquis omnibus mortuis, ad sexagesimum vitae suae annum pervenire eosdemque expresse denominare: *eventus*, prophetiae exacte respondens, Num. XXVI, 63-64 refertur, ubi legitur, Moysen in campestribus Moab cum Eleazaro, Aaronis iamiam defuncti filio, populum lustrans solum Iosuam et Calebum, prout praedixerat, superstites invenisse: *relatio* vaticinii adimpleti ad auctoritatem Moysis et legis ab eo latae inde patet, quod praematura reliquorum mors poena fuit murmuris contra Moysen et Deum.

II. Moyses praecepit populo, ut postquam terram promissam occupaverit, septimo quolibet anno quiescat, neque agros serat, aut vineam putet: praedicit autem, daturum Deum benedictionem anno sexto, ut faciat fructum trium annorum (3). Prophetiae istius veritas *historica* ex locis citatis, et constanti Iudaeorum persuasione, *philosophica* autem ex eo patet, quod triplex quovis anno sexto messis utique ab auctore et gubernatore naturae pendeat. Peritissimi de agris suis ubertatem messis ne de anno in annum quidem praedicere queunt; quomodo Moyses triplicem anni sexti messem de regione sibi ignota naturaliter praescire potuisset? — *Eventum* prophetiae respondisse, exinde constat, quia Iudaei legem de anno sabbatico (4) observarunt, quin tamen fame conficerentur, vel de penuria

(1) Cf. Gazzaniga l. c. n. 125-128.
(2) Num. 24. 32. Deut. I, 35.
(3) Ex. 23, 10. Lev. 25, 3. Deut 16, 16.
(4) I Mach. 6, 59.

conquererentur. Et quis credat, nationem periculo famis periodicae se exposuisse, nisi promissionem Moysis accurate adimpletam observasset? — *Relatio* satis per se clara est; ipsa enim promissio ad cultum divinum, anno sabbatico praescriptum, promovendum ordinatur; et rediens quolibet sexto anno eventus, prophetiae respondens, auctoritatem Moysis, ceu legati divini, in perpetua veneratione conservavit apud eos etiam, qui Moysen ipsum non viderunt. — Huic vaticinio aliud adnecti potest, nimirum praeceptum Israëlitis datum, ut tribus anni temporibus omnis masculus, deserta propria regione, appareret in conspectu Domini, in loco scilicet electo a Domino, adiuncta promissione, quod nullus inimicus interea terram eorum aggressurus sit (1). Haec profecto sine divina virtute uti non perfici, sic nec praevideri poterant; et nunquam legitur, tali tempore hostium irruptionem factam fuisse, quae, si in reipublicae detrimentum contigisset, certe legem istam Israëlitae implere detrectassent.

III. Saepius Moyses Israëlitis omnes a Deo benedictiones promisit, si mandata eius observaverint, e contra vero bella, clades, famem, exilia, omnisque generis calamitates, si ea violaverint (2). — In specie Deut. XXVIII, 49 etc. praedicitur, Regem, quem electuri erant, cum ipsis transferendum esse ad gentes exteras et incognitas: in eodem capite notatu digna est terribilis comminatio: *Adducet Dominus super te gentem de longinquo... quae non deferat seni, nec misereatur parvuli... donec te disperdat, et conterat in cunctis urbibus tuis, et destruantur muri tui firmi, atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua... et comedes fructum uteri tui, et carnes filiorum tuorum, et filiarum tuarum... in angustia et vastitate, qua opprimet te hostis tuus.* — Harum prophetiarum veritas *historica* ex Pentateucho antiquissimo abunde constat; *philosophica* ex eius indole ostendi potest. Non enim semper et ubique Deus temporalibus ac publicis aerumnis praevaricatores legis punire, ac obsequentes sibi temporalibus bonis remunerari solet: haud raro pii aerumnis oppressi, impii bonis temporalibus repleti conspiciuntur: ipsi Israëlitae in Iobo iusto tribulationibus obruto exemplum prophetiae mosaicae ipsorum nationem spectanti contrarium cognoverunt. — Neque electio Regis, et abductio illius cum populo in captivitatem naturaliter praevideri poterat. Quid dicamus de destructione urbium, et murorum firmissimorum, et praecipue de ultima circumstantia, quae incredibilis videtur, qua praedicitur, matres filios suos comesturas esse? — *Eventum* autem omnis historia Israëlitarum confirmat. Israëlitae enim legi divinae obtemperantes felices erant, illam transgressi gravibus semper calamitatibus obruebantur; ut (3) ostendetur. Rex Iechonias cum magna populi sui parte in captivitatem babylonicam abductus fuit, eandemque sortem rex Sedecias post viginti annos cum reliquiis populi expertus est. Porro iam in obsidione Samariae facta a Benadab, rege Syriae (4), dein in obsidione Hierosolymae per Nabuchodonosorem (5), et tandem in ultima sub Tito, teste Iosepho Flavio (6), mulieres filios suos comederunt, et muri firmissimi destructi sunt. — *Nexus* vaticinii cum Religione evidentissimus est: per illud enim Moyses legislator non homines, non na-

(1) Ex. 34, 23 etc. (2) Deut. 29-32.
(3) Art. seq. (4) IV Reg 6.
(5) Baruch. 2, 3.
(6) De bello Iud. l. 7, c. 7.

turam, sed ipsum naturae Dominum legis suae executorem, iudicem et vindicem constituit. — Sicuti ergo Moysi coaevi per miracula, quae viderant, sic posteri per vaticinia, quae impleta cognoverant, de facta divinitus revelatione evidentissime persuaderi debuerunt.

Nota. Contra citata Moysis vaticinia nil solidi et notatu digni Religionis revelatae adversarii unquam proferre potuerunt. Aliud autem ex Genesi vaticinium citant, quod exacto modo impletum non esse dicunt. Deus enim Abrahamo dixit (1): *Scito praenoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subiicient eos servituti, et affligent quadringentis annis; — generatione autem quarta revertentur huc* (2). Sed in Exodo (3) Israëlitae per 430 annos in Aegypto commorati esse dicuntur. — Nulla autem contradictio hic occurrit; nam computatio temporis a Deo determinati, quoniam de semine sermo est, a nativitate Isaaci incipi debet, a qua usque ad exitum Israëlitarum ex Aegypto 405 anni transierunt, pro quibus, ut saepius fit in S. Scriptura numerus rotundus 400 ponitur. Generatio autem pro longaeva Patriarcharum vita 100 annos complectitur. In Exodo autem anni computantur ab egressu Abrahami e patria sua, quia ab hoc tempore in terra aliena cum suis versatus est (4).

ARTICULUS IV.

Specialis Dei erga Hebraeos providentia.

§. 99.

Sicut Deus mundum, quem creavit, tam sapienter gubernat, ut vestigia ipsius Providentiae ubique eluceant: sic ratio haud ex vano coniicit, Deum Religionem, quam per Moysen Hebraeis tradidit, ita in eodem populo conservasse, ut singularis divinae providentiae indicia ubique appareant. Et sic historia Religionis mosaicae, seu populi hebraei Religionem hanc profitentis, argumenta de divina huius origine maxime confirmat. — Historia autem ista, annos circiter 1500 complectens in tres dispesci epochas potest, quarum *prima* heroica vel bellica, a Iosue usque ad Samuelem; *secunda* regia et prophetica, a Samuele usque ad Zorobabelem; *tertia* chaldaice-graeca a Zorobabele usque ad Christum durat. Ubique deprehenduntur eventus mirabiles specialem Dei de Hebraeis curam ostendentes, nimirum a) *viri*, singulari auctoritate mosaismum tuentes, et b) *fata nationis* vel tristia, vel laeta cum observatione, vel praevaricatione legis intime connexa-iuxta vaticinium a Moyse prolatum (5).

§. 100.

Prima Epocha.

1. Moysi successit *Iosue*, non officio tantum, sed et spiritu, qui Palaestinam - Israëlitis iam diu promissam non sine miraculis, victis triginta fere regibus, occupavit. — Cum enim Israëlitae ad Iordanem venissent tempore messis, quo ripas alvei sui impleverat (6), *steterunt aquae descendentes in loco uno, et ad instar montis intumescentes apparebant.... quae autem inferiores erant, in mare solitudinis (quod nunc vocatur mortuum) descenderunt, usquequo omnino deficerent* (7); ita ut populus liberum transitum haberet, sicuti Iosue iam die praecedenti praedixerat (8), ut de veritate miraculi dubitari non possit. — Porro cum ad Iericò, urbem clausam et munitam ventum esset, *omni populo vociferante, et clangentibus tubis, muri*

(1) Gen 15, 13. (2) V. 16. (3) 12, 4.
(4) V. Calmet etc. (5) §. praec.
(6) Ios. 3. (7) Ib. v. 16.
(8) 3. 5 etc.

illico corruerunt, quem stupendum eventum Iosue iterum iam ante plures dies praedixerat (1). Vesanum autem esset, murorum destructionem naturali vi clangoris tubarum aut strepitus populi adscribere, cum solus sonus tormentorum bellicorum, licet vehementissimus, id perficere non valeret. Et cur idem clangor et stridor sex diebus praecedentibus nullum effectum produxit, nisi ut Israëlitae ab oppugnatis despectui haberentur (2)? — Demum cum in bello contra Amorrhaeos deficeret iam dies, ut victoria Israëlitarum compleretur, iubente *Iosue*, steterunt sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis, — et non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israël (3), quae verba satis clare innuunt miraculum, quod doctores tam iudaei, quam christiani semper agnoverunt (4). Tum rationi igitur, tum S. Scripturae repugnant, qui prodigium istud vel illusioni, vel radiis solaribus refractis, vel coruscantibus fulgoribus etc. adscribunt (5).

2. Status nationis iuxta praedictionem Moysis laetus erat, dum Iehovam coluit, et tristis, dum ab ipsius mandatis defecit. — Iam sub Iosue mandatum divinum de non usurpando anathemate violatum fuit, et ideo filii Israël caesi sunt a paucissimis hostibus civitatis Hai (6); punito autem praevaricatore, urbs expugnata est (7). Haud multum post mortem Iosue Israëlitae fecerunt malum in conspectu Domini, et obliti sunt Dei sui; iratusque contra Israël Dominus tradidit eos in manus Regis Mesopotamiae, cui servierunt octo annis: et *clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis Salvatorem et liberavit eos* per Othonielem, *fuitque in eo spiritus Domini* (8). Vix liberati iterum defecerunt a Deo, traditi ideo in manus Moabitarum; sed clamantes ad Dominum iterum liberati sunt per *Aod* (9). — Peccantes post mortem Aod tradidit Deus in manus Regis Chanaan, et ad se clamantes liberavit per *Debboram* et *Barak* (10), qui egregio cantico Deo soli totam victoriae laudem, et gloriam tribuerunt (11). — Infidelem denuo Israëlem tradidit Deus in manum Madian per septem annos, et oppressus est valde. Cum vero humiliatus poenitentiam ageret, et auxilium a Deo peteret, misit Deus *Gedeonem*, quem per Angelum vocavit (12), et duplici mirabili signo de auxilio suo certum reddidit (13). — Israëlitae rursus praevaricantes oppressi sunt a iugo Philisthinorum et Ammonitarum, qui autem caesi sunt a *Iephte*, cum Israël poenitentiam egisset (14). — Deficientibus autem ipsis iterum a Deo, praevaluerunt Philisthaei, contra quos Dominus, ut populo poenitenti succurreret, fortissimum *Samsonem* excitavit, cuius nativitas ex matre sterili per Angelum indicata, et cuius robur a Deo extraordinario modo concessum fuit; donec ipse turpiter a Deo deficeret (15). — Sic ergo Deus se perpetuo legis mosaicae et auctorem, et vindicem ostendit in prima epocha, quae annos fere 450 complectitur.

(1) Ios. 6, 20.
(2) Cf. Braun comment. in Ios. 6, 20.
(3) Ios. 10, 13 etc.
(4) V. Calmet diss. de statione solis.
(5) Cf. Braun comment. in l. c.
(6) Ios. 7. (7) Ios. 8. (8) Iud. 3, 9 et 10.
(9) Iud. 3, 15. (10) Iud. 4. (11) Iud. 5.
(12) Iud. 6, 11. etc. (13) Ib. v. 36 etc.
(14) Iud. 10 etc. (15) Iud. 15 etc.

§. 101.

Seconda Epocha.

1. In hac epocha plurimi viri prodierunt, divina auctoritate conspicui, qui mosaicam constitutionem vindicarunt, maioremque illi lucem affuderunt. Primus est *Samuel*, precibus

a matre sterili impetratus, et ideo templi servitio dedicatus (1). — Populi peccata ipse audacter exprobravit, illumque ad cultum divinum ac legis observationem sedulo adhortatus est (2). Revelationes etiam divinas habuit, unde domui Heli proximum interitum praedixit (3). Saulem divinitus destinatum Regem esse cognovit (4), ipsius asinas inventas (5), aliaque futura quoad minimas circumstantias indicavit (6). *Vir Dei*, et *Videns* ideo appellatus (7). Reprobato Saule Davidis electionem idem Samuel divinitus accepit (8). — *David* autem Rex cultum divinum mire promovit. Arcam enim non sine speciali Dei auxilio magnifice in Sion transtulit (9), et Psalmos divino afflante Numine composuit, publice decantandos, in quibus praecepta, et facta Moysis populi memoriae imprimebantur et dilucidabantur. Sub regimine ipsius vixerunt *Gad* Propheta (10) et *Nathan*, ad quem sermo Domini factus est (11), legis mosaicae, et cultus divini strenui vindices, quos Deus etiam ad carpenda vitia Regis misit. — Davidi successit *Salomon*, admirabili sapientia praeditus, quam a Deo precibus impetravit (12). Is, ut cultum Dei promoveret, magnificentissimum templum extruxit, sapientissimisque scriptis codicem praecipue mosaicum dilucidavit et auxit. — Successu temporis deficiente populo hebraeo a vera Religione Deus ad illam instaurandam continuo Prophetas misit, qui infidelitatem populi carperent, et miraculis ac vaticiniis divinam suam missionem ostenderent. Inter istos eminet *Elias*, qui Regis non minus, quam populi vitia vehementer corripuit, — ignem sacrificia consumentem e coelo advocavit ad confundendos Sacerdotes Baali, qui idem ingentibus clamoribus impetrare non potuerunt (13). — Achabo etiam, et Iezabeli funestam mortem praedixit (14); — Sarephtae multiplicavit farinam et oleum, mortuumque viduae filium fusis ad Deum precibus vitae restituit (15). — Milites ad ipsum capiendum missi igne delapso e coelo consumti sunt (16); etper ipsius pallium Iordanus divisus est (17). — Ipsi successit *Eliseus*, qui mortuos ad vitam revocavit (18), Naamum Syrum a lepra mundavit (19); famem, et meliora iterum tempora prophetavit (20). — *Isaias* zelo divino repletus, et vaticiniis clarus per 43 annos sub Regibus Iuda Ozia, Ioathan, Achaz, et Ezechia munere prophetico functus est. Priusquam Nabucho Ionosor natus esset, et cum Babilonia omni adhuc splendore careret, Isaias, divinitus inspiratus, iam illius potentiam, et huius magnificentiam praedixit, — sed repentinum quoque interitum vaticinatus est: populi quoque iudaici captivitatem, et liberationem, et praevidit, et praenuntiavit (21). — Post ipsum *Ieremias* scelerum acerrimus vindex eadem et Iudaeorum, et exterorum fata cum minutis quandoque circumstantiis praedixit (22), quarum prophetiarum eventum mox Iudaei experti sunt. — In ipsa etiam captivitate babylonica Deus populum suum non sine viris reliquit, qui auctoritatem legis mosaicae tuerentur. *Ezechiel* infidelitatem Iudaeorum gravissimis verbis persecutus est (23), et in ipsa etiam captivitate babylonica a munere hoc prophetico non destitit (24).

(1) I Reg. 1. (2) I Reg. 10 et 12.
(3) I Reg. 3, 8. (4) I Reg. 9, 15.
(5) Ib. v. 20. (6) I Reg. 10.
(7) I Reg. 6, 9 et 19. (8) I Reg. 16.
(9) I paral. 15 et 16. (10) I Reg. 22, 5.
(11) II Reg. 7, 4. (12) III Reg. 3, I. Par. 22.
(13) III Reg. 8. (14) III Reg. 22.
(15) Ib. c. 17. (16) IV Reg. 1.
(17) IV Reg. 2. (18) Ib c. 4.
(19) Ib. c. 5. (20) Ib. c. 7 et 8.
(21) Is. 13, et 14 et 21 et 45 etc.
(22) Ier. 50 et 51. (23) Ezech. 4-24.
(24) Ezech. 29, 17.

— *Daniel* diligentissimus legis mosaicae in ipsa aula regia observator, mira enituit cum suis sociis venustate prae illis, qui exquisitis cibis vescebantur (1). Interpretatus est somnium Nabuchodonosoris, quem Sapientes illius regionis declarare non poterant, magnis idcirco honoribus cumulatus (2). Ipsius socii Sidrach, Misach et Abdenago in fornacem ignis ardentis missi, eoquod statuam regis non adoraverint, stupendo miraculo incolumes evaserunt (3). Idem Regi Balthasari Scripturam, cunctis ignotam, exposuit, et statim eventus, quem praedixit, secutus est (4); ipseque missus in lacum leonum nihil inde mali passus est (5). Tali ergo modo Deus se Religionis mosaicae auctorem et conservatorem non solum Iudaeis, sed etiam exteris nationibus ostendere dignatus est.

2. Fata nationis etiam in hac epocha relationi ad legem iuxta Moysis vaticinium responderunt. — Iam ab initio epochae propter flagitia, quae in ipso tabernaculo committebantur, Israëlitae ita a Philisthaeis profligati sunt, ut et arca Dei in manus inimicorum inciderit, impiis Heli filiis trucidatis. Sed arca Dei per magna miracula facta est insignis; Dagonem enim - idolum - iterato prostravit, ac Philisthaeos tantis affecit plagis, ut illam donis locupletatam sponte Israëlitis reddendam decernerent, quam duae vaccae foetae, quibus iugum non fuerat impositum, recta via mugientes reduxerunt (6). — Saul, cum Deo fidelis esset, feliciter regnavit, cum autem mandata divina transgrederetur, a Deo reiectus, a daemone vexatus, miserrime in bello periit (7). — Sub Davide iusto - instaurato cultu divino, refloruit regnum, sed post adulterium commissum non recessit gladius tribulationis a domo ipsius, prout Nathan praedixerat (8). Vidit enim David inter filios suos Amnonem occisum, Thamar oppressam, Absalonem rebellem; et - Sub Salomone sapienti maxime splenduit imperium, sed cum a Deo defecisset, splendor quoque regni imminui coepit; deficientibus enim decem tribubus ab arroganti filio eius Roboamo scissum est regnum. — Sed et Ieroboam - schismatis auctor - cum populum a cultu Dei detineret, mox vindictam Dei experitur; filius ipsius moritur, dum regina domum ingreditur, et tota eius posteritas - regnante filio eius Nadab - destruitur, prout Propheta Ahias praedixerat (9). — Eandem sortem experti sunt impius Achab et superba Iezabel, Elia vaticinante (10). — Tandem totum regnum Israël, cum semper magis magisque a lege mosaica deficeret, sceleribusque abundaret, iuxta vaticinia prophetarum Ahiae (11), Oseae (12), Amos (13), Isaiae (14), a Salmanassare Rege Assyriorum in captivitatem abductum est (15). — Regnum Iuda legi mosaicae fidelius insistens, diutius incolume stetit. Et licet saepius ob peccata commissa aerumnis affligeretur, per poenitentiam tamen ab illis liberatum fuit. Sic cum Ezechias - ab Assyriis ad maximas angustias redactus - ad Deum recurreret, mox opem divinam expertus est, ingenti Sennacheribis exercitu in una nocte per Angelum vel trucidato, vel in fugam acto (16). — Sed cum Ezechiae successores cum populo iterum a Deo deficerent, et scelera sceleribus cumularent, regnum quoque Iuda a Nabuchodonosore in captivitatem babylonicam abductum est, uti praedixerunt Prophetae Michaeas (17),

(1) Dan. 1. (2) Dan. 2. (3) Dan. 3.
(4) Dan. 5. (5) Dan. 6. (6) I Reg. 4-6.
(7) I Reg. 14; II Reg. 1. (8) II Reg. 7, 10-13.
(9) III Reg. 13, 14, 15. (10) III Reg. 21.
(11) III Reg. 14, 15. (12) 9, 11-19. (13) 5
(14) 5, et 7, et 8. (15) IV Reg. 17.
(16) IV Reg. 19. (17) 3 et 4.

Ieremias (1), Isaias (2). Sic et secundae epochae fata veritatem mosaici vaticinii contestata sunt.

§. 102.

Tertia Epocha.

1. Post 70 annos iuxta clarissimum Ieremiae vaticinium (3) soluta per Cyrum captivitate Iudaei, duce praestantissimo viro *Zorobabele*, in patriam revertuntur. Mox divina Providentia magnos suscitat viros. *Esdras* et *Nehemias* - magno pro lege mosaica zelo repleti - canonem S. Librorum colligunt, atque efficiunt, ut erectis ubique Synagogis lex praelegatur. *Zacharias*, *Aggaeus* et *Malachias* munere prophetico funguntur, populumque iudaicum ad mosaicae legis observantiam et ad templum reaedificandum excitant, promittentes Messiam templum hoc secundum ingressurum esse. — Licet autem post Malachiam nullus Propheta apparuisset, sufficiebant Iudaeis oracula Prophetarum, quae prae manibus habebant, et successive adimpleta videbant, ut continuum pro Religionis suae divinitate testimonium haberent. Inter reliquos enim praecipue Daniel quatuor Monarchiarum sibi succedentium fata sic praedixerat, ut potius historiam scripsisse, quam vaticinia protulisse dicendus sit (4).

2. In hac epocha Iudaei fidelius quam in prioribus legi mosaicae obtemperarunt, et ideo iuxta Moysis oracula benedictiones divinas perceperunt. Ab ipsis enim Regibus Persarum contra hostes suos defensi, ab ipso Alexandro M. in honore habiti sunt, et ab eius successoribus tum Syriae, tum Aegypti Regibus dona ac privilegia obtinuerunt. Per tria propemodum saecula status iste quietis et felicitatis duravit. — At Iudaei cum Gentilibus nimium communicantes, ac eorundem ritus ac lusus imitati a puritate Religionis deficiunt. Mox Antiochus, Rex Syriae, populum iudaicum vexare incipit et penitus destruere conatur: Hierosolymam cum magno exercitu ingressus templum ipsum diripit et profanat, horrendas crudelitates exercens. — Deus autem, qui peccantem populum affligi, non destrui voluit, fratres Machabaeos suscitat, qui parva manu, sed magna virtute Antiochi copias profligant, templum purgant, cultum divinum restaurant, et legis mosaicae observantiam inculcant. Mox, populo ad meliores sensus reverso, Iudaeae quoque status laetior fit, ita ut libera a iugo gentilium - devictis quoque Samaritanis, Idumaeis, Philisthaeis et Ammonitis - magno splendore circumdaretur. Successu autem temporis per sectas Pharisaeorum et Sadducaeorum puritas Religionis corrupta in superstitiosas observantias degeneravit, factionibus omnia repleta, et mores corrupti sunt. Nec diu abfuit vindicta divina: Pompeius enim, Romanorum bellidux, Iudaeam subegit, quae diro postea Romanorum iugo premebatur. En! quomodo Deus continuo iuxta factam praedictionem se legis mosaicae auctorem et ceu vindicem transgressionum eius ostendit! —

Nota. Lectu dignissimum est quod de hac materia disserit doctissimus *Bossuetus* (5).

§. 103.

Conclusio capitis.

Si iam omnia recolantur, quae de Religionis mosaicae characteribus tum internis, tum externis dicta

(1) 4, 27. (2) 22, et 50, et 59.
(3) Ier. 29, 10-14.
(4) Cf. Stolberg Gesch. de Rel. 4, B. 2. 8, et seq.

(5) In Discurs. Hist. univ. p. 2, a n. 1-4 Cf. Storchenau Zugaben zur Philos. d. Rel. 4, B. N. 1. Dobmayr t. 5. 2. 62-67.

sunt, et si specialis Dei in conservandâ Religione mosaica Providentia attendatur, nemo sanae mentis, nisi praeiudiciis obcaecetur, vel passionibus malis in devia abripiatur, dubitare potest, Religionem per Moysen populo israëlitico traditam vere fuisse divinitus revelatam. — Crescit sane argumentum, si Religiones aliorum populorum ante Christum examinentur, quae sicut quoad doctrinam tum theoreticam, tum practicam erroribus pravissimis refertae erant, sic veris miraculis et vaticiniis penitus caruerunt.

Nota. Specialem Dei providentiam circa Hebraeorum genus, cui Revelatio divina facta dicitur, increduli impugnant ex eo, quia ipsis Deus videtur in illa studio partium laborasse, qui tamen acceptor personarum non est. Quomodo, aiunt, a recta ratione admitti potest, Deum, qui omnium hominum benignus pater est, qui omnes creavit, conservat et aequaliter amat, solis Hebraeis revelationem omnibus necessariam dedisse, et specialis providentiae beneficia impertisse? — Ad hanc obiectionem, saepius ab incredulis recoctam, solvendam variae animadversiones iuvant. 1° Attendendum nimirum est, decreta Dei investigabilia esse, et de illis rationem exigere, cum independentia sint, rationi repugnare. Deus enim nulli hominum Revelationis beneficium debuit, quare, si in nonnullos bonus fuit, erga alios tamen iniustus dici nequit. 2° Per Revelationem Hebraeis concessam nihil amiserunt reliquae gentes, quibus lumen rationis et conscientiae relictum fuit, quo Religionem naturalem cognoscere, et per illius observantiam lumine Revelationis se digniores reddere potuissent. 3° Multum quoque specialis divina erga Hebraeos providentia reliquis gentibus prodesse poterat. Miracula enim, quae pro Hebraeis patrata sunt, eius erant naturae, ut non iam occulte, sed publice fierent, ita ut eorum notitia ad omnes fere gentes pervenerit. Quanta enim miracula non viderant Aegyptii, Chananitae, Philisthaei et reliquae vicinae nationes? — nonne posterioribus temporibus Assyrii, Babylonii, Persae, Graeci et Romani specialis Dei pro Hebraeis providentiae testes fuerunt, cum de miraculis factis, vel de vaticiniis adimpletis satis certam notitiam habuerunt? — nonne potuissent tali modo ad cognitionem unius Dei et revelatae ab ipso Religionis perduci? — Sane ergo Deus impertiendo Hebraeis Revelationis et specialis providentiae beneficium etiam erga caeteras gentes paterno se exhibuit modo, quae ipsae in culpa fuerunt, si veritatis lumen non susceperunt. 4° Neque Deus in electione Hebraeorum iuxta humanum conceptum caeco modo processit, qui in tanta humani generis depravatione talem familiam elegit, quae traditionem iam primis Patriarchis communicatam melius conservavit, idolis non serviit, sed cultui unius Dei fidelis permansit, et in qua Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, et multi alii pietatis in Deum, caritatis erga proximum, castitatis, aliarumque virtutum praeclara specimina ediderunt.

CAPUT III.

LEGI MOSAICAE SUCCEDERE DEBUIT REVELATIO PERFECTIOR

§. 104.

Religio mosaica, utut divina auctoritate insignis, tamen imperfecta fuit, et perfectiorem Revelationem promisit. Fuit illa imperfecta

1. *argumento:* Licet enim omnia, quae in Moysis symbolo et codice continebantur, non solum erroris

expertia, sed etiam in se praeclara ac populo israëlitico maxime accommodata essent, perfectiora tamen desiderantur: Rituale mosaicum multis caeremoniis, iisque molestis, onustum erat, prout inculti et carnalis populi ratio, et ad tempora futura relatio exigebat: homines demum timore potius, quam amore, — imo sanctione quoque civili et terrestri ad observandam legem adigebantur: —

2. *ambitu:* uni enim populo Religio mosaica data, uni regioni apta, et templo ac sacerdotio, uni tribui inhaerenti affixa erat. — Perfectior ergo Religio revelata, omnibus Gentibus apta, per novum Legislatorem afferenda, a Deo summe bono exspectanda erat. — Et revera in ipso Mosaismo a) talis novus Legislator, seu perfectioris Revelationis praeco, ab Hebraeis *Messias* dictus, clare *promissus* fuit; b) *tempus* adventus illius accurate determinatum est; imo et c) *characteres* ipsius satis perspicue assignati sunt.

Nota. Haec exponentes viam nobis sternimus ad tertiam Revelationis epocham, seu ad Religionem christianam clare et solide pertractandam. — Argumentum ex vaticiniis V. T. pro veritate Religionis christianae petitum summi fecerunt viri doctissimi, inter quos eminet Daniel Huetius in sua demonstratione evangelica. Ipsa quoque dignitas et excellentia Religionis christianae clarissime patescit, si intimus huius cum Religione patriarchali et mosaica nexus ostendatur.

ARTICULUS I.

De promissionibus Messiae.

§. 105.

Variis temporibus variae promissiones venturi Messiae ceu novi legislatoris, perfectioris Revelationis praeconis et totius generis humani liberatoris factae fuerunt.

1. Magnifica promissio iam protoparentibus statim post peccatum, quo a serpente seducti patrarunt (1), facta legitur. Deus enim serpentem i. e. malignum spiritum sub serpente latitantem ita affatus est: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius, ipsa* (iuxta textum hebraicum, versiones iudaicas et Patres legitur *ipse*) *conteret caput tuum* (2). Hisce verbis promittitur unus ex posteris Adami et Evae, qui fastum et potentiam daemonis conculcaret, damna ab ipso hominibus illata repararet, et humanum genus a Deo abductum ad hunc reduceret. Hunc profecto sensum ipsae iam circumstantiae exigunt, ut protoparentes sensu miseriae iam imbuti, et iustitiam Dei experti, spe erigerentur, et divinam misericordiam agnoscerent. Tali quoque sensu hunc locum intellexerunt tum Iudaei, uti testantur tres paraphrases antiquissimae Ionathani, Onkelosi, et Hierosolymitana, tum SS. Patres, qui citatum locum *Protoevangelium* nominare consueverunt (3).

2. Promissiones venturi Messiae repetitae sunt Abrahamo, Isaaco et Iacobo, cum Deus futurum ipsis spopondit, ut benedicantur in iis, et in semine eorum cunctae tribus terrae (4). Ex quibus verbis apparet, unum ex posteris praedictorum Patriarcharum non ut Moysen solis Hebraeis, sed omnibus terrae gentibus benedictionem allaturum esse, quamobrem in benedictione Iudae a moribundo Patre Iacobo praenuntiata, ille, qui mittendus erat, *exspectatio gentium vocatur* (5).

3. Novum Legislatorem et novae Revelationis praeconem claris verbis promisit Deus, ita Moysen affatus:

(1) Gen. 3. (2) Gen. 3, 15.
(3) V. Calmet, Dan. Huet. Pr. 7, n. 7.
(4) Gen. 12, 3; 18, 18; 22, 10; 26, 4 et 28.
(5) Gen. 49.

Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi. Qui autem verba eius, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam (1). Agitur hic de propheta aliquo singulari, ab omnibus aliis prophetis V. T. distincto; ex his enim nullus, fatentibus ipsis Iudaeis, Moysi similis haberi potest, quia nullus ex ipsis dux populi fuit, aut legislator, aut novi foederis auctor. Ideo citatus locus ab ipsis Iudaeis antiquioribus de Messia intellectus fuit, qui Propheta sit excellentissimus, et sicut Moyses dux et liberator populi sui, legislator et novi Testamenti mediator fiat (2).

4. Mosaicae legi aliam legislationem - et quidem auctoritate divina successuram esse, apertissime praenuntiatur Ier. XXXI, 31: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israël et domui Iuda foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum .... sed hoc erit pactum.... dabo legem meam in visceribus eorum* etc. Hanc vero legislationem et revelationem ad omnes gentes extendendam esse, in variis S. Scripturae locis traditur. Sic (3) Deus ad Messiam loquitur: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* — Deus de Messia dicit (4): *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus.* — Messias ipse ait (5): *Ecce ego venio, ut congregem cum omnibus gentibus et linguis, et venient et videbunt gloriam meam.... et assumam ex eis Sacerdotes et Levitas.* Lex ergo mosaica caeremonialis abroganda erat per Messiam, et novum Sacerdotium instituendum, quia Sacerdotes antiquae legis non poterant assumi nisi ex familia Aaronis.

5. Notatu quoque dignissimus est locus Malachiae (6): *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda:* ex quo loco iterum infertur, legem mosaicam caeremonialem abrogandam esse, iuxta quam solummodo in templo hierosolymitano sacrificia offerre licuit, et manifeste apparet, veram Religionem ad omnes gentes propagandam esse, ut ubique oblatio munda, seu sacrificium Deo acceptum offerri possit.

6. Ex locis citatis aliisque multis factum est, ut Iudaei Messiam in omni tempore non solum unanimi consensu expectarent, sed et ardentissime desiderarent. Hinc frequentes erant illae veterum iustorum ad Deum preces: *Domine, mitte, quem missurus es* (7). *Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae* (8). *Rorate, coeli, desuper, et nubes pluant iustum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem* (9). Hodierni quoque Iudaei non diffitentur, Messiam vere promissum esse, at in eo errant, quod illum adhuc expectandum putent, quia tempus pro illius adventu a Prophetis determinatum, et characteres de illo assignatos non recte attendunt.

(1) Deut. 18, 18 et 19.
(2) Cf. Euseb. Demonst. evang. l. 3.
(3) Ps. 2. (4) Is. 55. (5) Is. 66.

ARTICULUS II.

De tempore adventus Messiae.

§. 106.

Deus O. M., qui Messiam benignissime promisit, tempus quoque pro ipsius adventu satis clare per Prophetas determinare dignatus est.

(6) C. 1, v. 10 et 11. (7) Ex. 4, 13.
(8) Is. 16, 1. (9) Is. 44, 8.

— Id variis temporibus vario modo factum fuit. Tempus enim pro adventu Messiae determinarunt 1. *Iacob* Patriarcha, 2. *Daniel*, 3. *Aggaeus* et *Malachias*, 4. aliique Prophetae, qui *dispersionem Iudaeorum*, et 5. *vocationem gentium* praenuntiarunt.

§. 107.

I. Vaticinium Iacobi.

Iacob, morti appropinquans, filios suos coram se collegit, *benedixitque singulis benedictionibus propriis* (1). Iudam vero his verbis allocutus est: *Iuda, te laudabunt fratres tui; manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. — Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium* (2): quo in vaticinio, ut tempus pro Messiae adventu determinetur, sequentia rite sunt attendenda:

1. In vaticinio hoc vere sermo est de Messia; nam a) vox, quae adhibetur ad eum, qui praedicitur, indigitandum, id satis probat; vocatur enim *Schiloh*, cuius equidem sensus etymologicus non satis certe determinari potest, quia iuxta Vulgatam *mittendum*, iuxta Samaritanum *pacificum*, iuxta tria Targumim *Regem*, iuxta Schulthensium *natum de muliere* designat; omnes autem istae denominationes Messiae in aliis S. Scripturae locis tribuuntur, siquidem *mittendus* (3), *pacificus* (4), *Rex* (5), *semen mulieris* (6) dicitur. b) Idem apparet ex contextu; nam qui praedicitur, appellatur *exspectatio gentium*, quae denominatio optime convenit ei, *in quo benedicendae sunt omnes gentes*, i. e. Messiae. Vocatio gentium ad cognitionem veri Dei et ad viam salutis communiter a Prophetis Messiae adscribitur. c) Iudaei locum citatum semper de Messia intellexerunt, e. g. paraphrasis chaldaica, hierosolymitana, Onkelosi, Ionathani, Talmud etc. (7).

2. In vaticinio Iacobi praedicitur, potestatem rectoriam, seu principatum et dominatum in tribu Iudae futurum esse, quod indigitatur per sceptrum illi promissum. Vox enim *Schebeth*, etsi simpliciter virgam, et quandoque afflictionem, seu oppressionem significet (ubi tamen epitheton adiici solet uti fit Ps. II, 9); saepius, et praecipue si nude ponatur, supremam potestatem exprimit (8); et hoc in sensu sceptrum in isto loco sumendum esse, apparet ex eo, quia a) Iacob filio suo Iudae prospera et laeta, victorias de inimicis, honorem et gloriam praenuntiat, b) sceptrum cum duce, seu legislatore coniungitur, atque c) in hunc sensum veteres Versiones, et Rabbini consentiunt; sic e. g. in versione 70 locus praedictus ita legitur: *non deficiet princeps ex Iuda* (9).

3. Sceptrum iuxta vaticinium non solum accedere debuit ad tribum Iudae, sed et in illa perdurare, *donec veniat, qui mittendus est*, i. e. usque ad Messiam. Cessante ergo sceptro in Iuda Messias advenire debuit; sic enim vaticinium ipsi Iudaei intellexerunt, e. g. paraphrasis chaldaica, Rabbini Salomon, Kimchi etc. Iosephus Flavius, et alii. Imo universalem fuisse de tali expositione persuasionem ex eo elucet, quia Iudaei cum a Romanis subiecti fuerint, et ab Herode alienigena regerentur, communi consensu Messiam tunc expectarunt, quare etiam ad S. Ioannem Baptistam nuntios miserunt,

(1) Gen. 49, 28. (2) Ib. v. 8 et 10. (3) Ex. 4, 3. (4) Is. 9, 6. (5) Ps. 2. (6) Gen. 3, 15. (7) V. D. Huet. prop. 9, c. 4. (8) Zach. 10, 11. Amos 1, 13. (9) V. Calmet in hunc locum.

qui interrogarent, an ipse sit Messias (1).

Nota. A nonnullis recentioribus Iudaeis vaticinium Iacobi non ad Messiam, sed ad alios e. g. ad Moysen, ad Davidem, ad Nabuchodonosorem, ad Cyrum etc. relatum fuit. Sed, qui ita sentiunt, satis refutantur ex adductis argumentis; citatique viri *exspectatio gentium* dici nequeunt, et illorum tempore sceptrum in Iuda vel non adfuit, vel non fuit ablatum. Graviter etiam errant, qui vel de accessione, vel de perduratione sceptri in vaticinio sermonem esse putant. Plane enim sibi opposita sunt: *non accedet - donec* etc. et *non auferetur, donec* etc. Et si in priori sensu vaticinium sumatur, saltem sub Davide, primo Rege ex tribu Iuda, Messias adventare debuisset. Si autem de perduratione sceptri, quod per mille, et amplius annos in tribu Iuda permansit, vaticinium intelligendum esset, nullo modo tempus pro Messiae adventu determinatum fuisset; et nunc perdurare nequit, quod iam ante 18 saecula penitus cessavit.

§. 108.

II. Vaticinium Danielis.

Appropinquante ultimo captivitatis babylonicae anno, cum fervidas preces funderet Daniel, ut triste exilium propter peccata populi non prolongaretur, missus a Deo Archangelus Gabriel sic ipsum alloquitur: *Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem:* quibus verbis declarat Angelus, se ex decreto divino adesse, ut Danieli futura praediceret, et ideo tam magnifico exordio attentionem Danielis excitat. Postea sic prosequitur: *Septuaginta hebdomades abbreviatae* (i. e. determinatae) *sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, et animadverte. Ab exitu sermonis ut iterum aedificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt, et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum; et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio* (2). Ut praeclarum hoc vaticinium rite intelligatur, plura investigare et dilucidare oportet.

1. Agitur hic vere de Messia, quod aperte colligitur a) *ex nominibus*, quibus praenuntiatus insignitur; appellatur enim *Dux*, *Christus*, *Sanctus Sanctorum* (in hebr. *Sanctitas Sanctitatum*), quibus nominibus Messias etiam in aliis Scripturae locis insigniri solet: b) *ex praeclaris effectibus* de consummanda praevaricatione, de fine imponendo peccato, de delenda iniquitate, de adducenda iustitia sempiterna, de implenda omni prophetia etc. qui omnes effectus soli Messiae adscribi possunt: c) *ex fatis* dueis praedicti, qui dicitur non agnoscendus a suis, negandus et occidendus; quae omnia saepius

(1) Io. I, 19 etc

de Messia in V. T. praenuntiantur (1): d) *ex magnitudine poenae* ob occisionem Christi irrogandae; dicitur enim urbs cum templo evertenda, et desolatio perpetua inducenda, qualis poena ob mortem, aliis Prophetis illatam, nullibi annuntiatur: e) *ex consensu Iudaeorum*, qui teste Iosepho Flavio semper crediderunt, per hoc Danielis vaticinium tempus advenientis Messiae designatum esse.

2. Tempus, quod in vaticinio pro adventu Messiae determinatur, complectitur 70 hebdomades. Non possunt autem hic intelligi hebdomadae dierum, intra quas omnia, quae Angelus praedixerat, evenire haud poterant, quia, historia teste, pluribus annis opus erat, ut Ierusalem aedificaretur et muris cingeretur; — neque intelligi possunt hebdomadae mensium, iubilaeorum, vel saeculorum, quae Iudaeis notae non fuerunt; sed intelligendae sunt hebdomadae annorum, quia uti dies septimus, sic etiam annus septimus apud Iudaeos sabbaticus erat, et ideo apud ipsos sicut septem dies hebdomadem dierum, sic septem anni hebdomadem annorum conficiebant; hasque hebdomades a Gabriele indigitatas esse, constans fuit antiquorum Iudaeorum fides. — Istae vero 70 hebdomades conficiunt 490 annos. Tempus hoc ab Angelo determinatum dividitur in tres partes: *prima pars* constat ex 7 hebdomadibus, seu ex 49 annis, quibus lapsis *aedificabitur platea et muri*, i. e. ad finem perducetur urbis et murorum aedificium: *secunda pars* continet 62 hebdomades, quarum in exitu ungendus erit Christus, seu Messias apparebit ut Christus, seu unctus a Domino: *tertia pars* complectitur unam, et quidem ultimam hebdomadam, in cuius *dimidio occidetur Christus*, et *deficiet hostia et sacrificium.*

(1) Ps. 21; Ps. 68; Is. 53.

3. Summi profecto momenti est, ut cognoscatur, quandonam septuaginta hebdomadarum calculus incipiendus sit, ut istarum finis, seu tempus pro Messiae adventu determinatum certo innotescat. Id autem satis clare in vaticinio indigitatur, iuxta quod exordium hebdomadarum *ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem*, i. e. ab edicto regio de reaedificanda urbe duci debet. — Quatuor autem edicta extant, quae a Regibus Persarum in favorem Iudaeorum emanarunt. Primum edidit Cyrus (2), secundum Darius filius Histaspis (3), tertium Artaxerxes Longimanus anno septimo (4), et quartum idem anno vigesimo regiminis sui (5). Exinde gravis inter eruditos agitatur quaestio, a quonam horum edictorum computatio hebdomadarum incipi debeat. — Celebriores autem Chronologi, uti Dionysius Petavius, Dan. Huetius, Bossuetus, Rondetus, et alii docent, hebdomadarum initium ducendum esse ab ultimo edicto Artaxerxis — et quidem non sine gravi ratione. Nam in hoc unico edicto sermo occurrit de urbe aedificanda et muris cingenda, cum in reliquis non de aedificanda urbe, sed solum de erigendo templo agatur. Sed II. Esdr. II narratur, Nehemiam a Rege Artaxerxe gratiam petiisse (v. 5) ut possit aedificare urbem, eamque obtinuisse (v. 6), quare tanquam laetus nuntius rediens clamavit: *Venite, et aedificemus muros Ierusalem, et non simus ultra opprobrium* (v. 17). — Hic ergo revera exivit sermo de aedificanda urbe, et ideo ab hoc edicto incipienda est computatio 70 hebdomadarum; in quarum fine Messias advenire et occidi debuit.

Nota 1. Sicut nonnulli Iudaei, ita etiam alii increduli negarunt, in ci-

(2) I Esdr. 1. (3) I Esdr. 6, 11 et 12.
(4) I Esdr. 7, 6. (5) II Esdr. 2.

tato vaticinio tempus pro Messiae adventu determinatum fuisse, et ideo assertioni nostrae sequentia potissimum opponunt.

Obi. 1. Daniel in captivitate positus fervidas ad Deum preces fudit, non ut Messiam mittat, aut tempus adventus eius determinet, sed ut cum populo suo a captivitate liberetur, in quam Iudaei propter peccata sua pervenerunt. Itaque etiam responsum divinum non de Messia, sed de liberatione populi iudaici ex captivitate babylonica intelligendum est.

Resp. Non raro Deus fervide orantibus plura, et meliora concedit iis, quae ab ipso petita fuerunt; unde mirum non esset, quod Deus Danieli fervidissime precanti, ut de liberaratione populi iudaici certior redderetur, revelarit tempus, quo totum genus humanum redimendum sit. At dubitari nequit, Danielis orationem ad Messiae quoque adventum directam fuisse. Noverat enim Daniel, per Ieremiam promissam fuisse liberationem populi ex captivitate post 70 annos, nec dubitavit hoc vaticinium divinum certe verificandum esse; sed nescivit, an ipse Messias iam nunc ad liberandum populum mittendus sit: quamobrem fervidis precibus tanti mysterii revelationem petiit a Deo. Vel si, ut aliqui putant, Daniel timuit, ne promissio divina conditioni alligata, et propter peccata populi statuto tempore adimplenda non sit, nihilominus directio precum ad Messiae adventum negari non potest. Danielis enim oratio praecipue versatur circa remissionem peccatorum obtinendam (1). Quum vero haec plenissime iuxta omnes prophetas per Messiam praestanda esset, in illa igitur oratione iam includebatur precatio pro adventu Messiae eiusque regni.

Obi. 2. Vaticinium Danielis ad solam refertur liberationem populi iudaici ex captivitate Babylonica: ideo dicitur, 70 hebdomades determinatas esse *super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio* etc., idest, ut finem habeat captivitas per peccata inducta, *ut adducatur iustitia*, legalis nempe, *ut impleatur visio et prophetia*, a Ieremia litteris consignata, *et ungatur Sanctus Sanctorum*, idest, nova fiat inauguratio et unctio *templi*. Mox propius determinatur tempus, cuius computatio incipienda est *ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem*, idest, ab ipso sermone, quo Angelus Gabriel Danieli restaurationem urbis promisit. Cum autem Daniel septem hebdomades a sexaginta duabus distinguat, duos praedixit futuros Messias, quorum unus septem exactis hebdomadibus, alter vero post sexaginta duas adveniret. His notatis ex chronologia omnia declarantur. Prophetavit nempe Daniel anno primo Darii Medi, qui incidit in annum vigesimum primum captivitatis. Si annis 21 annos addas 49, seu septem hebdomades, ad septuagesimam pervenies eiusdem captivitatis, adeoque ad Cyrum, qui est prior a Daniele praedictus Messias. Praeterea 62 hebdomadae supputandae sunt a templo incenso a Chaldaeis, hoc est ab anno primo captivitatis: a quo si annos supputes 434, quam summam sexagintaduae conficiunt hebdomades, pervenies ad annum primum Antiochi Epiphanis, seu alterius Messiae, qui in septuagesima hebdomada sacerdotium delevi et cessare fecit sacrificia. Sequitur deinceps media hebdomada, in qua per Iudam Machabaeum repurgatum est templum, quae repurgatio tribus annis accidit post profanationem: atque ita Cyro et Antiocho omnia ad amussim conveniunt. Hinc talem interpretationem

(1) Dan. 9, 6 etc.

post *Porphyrium* et *Iosephum* propugnavit *Marshamus* (1).

Resp. Allata interpretatio contradictionibus scatet. Nam 1° sine sufficienti ratione vaticinium per synecdochen explicatur, cum non poena tolli, sed consummari praevaricatio, finem accipere peccatum, et deleri iniquitas dicatur: isti autem effectus soli Messiae adscribi possunt, qui post 70 hebdomades ideo ad populum suum, et in urbem sanctam advenire dicitur, quia primario Iudaeis promissus fuerat. Falsum porro est, de adimplenda prophetia Ieremiae sermonem esse; nam captivitas babylonica vere soluta fuit post 70 annos, et non post 70 hebdomades annorum. Falsum quoque est, Prophetam de iustitia *legali* loqui, quae aliquando finem habere debuit, cum *iustitia sempiterna* adducenda dicatur. Falsum denique est, a Daniele inaugurationem et unctionem templi praesignari, quia certum est ex constanti Iudaeorum traditione, nunquam templum secundum inunctum fuisse, neque sub Zorobabele, neque sub Iuda Machabaeo, ut *Raim*, *Martini*, *Galatinus* et *Huetius* ostendunt. 2° Falsum est, duos a Daniele Christos distingui; nam sine omnia prorsus ratione *Christus dux* v. 25 diversus dicitur a Christo occidendo v. 26. Tempus enim 69 hebdomadum in duas partes dispescitur, non ut duo Christi designentur; sed ut ostendatur, quid septem priorum hebdomadum spatio perficiendum sit, quod his verbis exprimitur: *Et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum.* 3° Errant quoque adversarii, dum dicunt, exitum sermonis, a quo hebdomades initium ducunt, esse tempus colloquii Angeli cum Daniele, quia Angelus ipse non suum colloquium, sed *exitum sermonis*, seu publicum edictum de re-

(1) In Chron. Aegypt. ad saec. 18

aedificanda urbe ut initium computationis assignat. Falsum iterum est, septuaginta hebdomades ita dividi et explicari posse, ut septem priores intra spatium aliarum contineantur; sed istud longe absurdius est, septem priores ducere ab anno 21 captivitatis, reliquas autem consequentes ab exordio eiusdem captivitatis; sic etenim posteriores hebdomades prius inciperent, quam priores, quod per sese absurdissimum est. 4° Falsum est, primum Darii annum, quo Angelus Danieli primo apparuit, incidere in annum 21 captivitatis babylonicae; incidit enim in annum 68. Duobus etenim duntaxat annis *Darius Medus* in Assyria regnavit, cui successit *Cyrus*, qui anno primo imperii captivitatem solvit (2). 5° Falsum denique est, Danielis vaticinium sub *Antiocho Epiphane* annis ante Christum 175 impletum fuisse; nam etsi Rex iste impius Iudaeos dire vexaverit, et templum profanaverit, non tamen urbem et sanctuarium penitus destruxit; atque ideo desolatio, de qua loquitur Daniel, non sub Antiocho Epiphane, sed longe postea, nempe post occisum Christum, et in poenam occisi Christi sub Tito, Vespasiani filio, contingere debuit. 6° Denique in tempus, quo regnavit Antiochus in Syria, cadere non possunt quae Daniel post 70 hebdomades annorum ventura praedixit; nam peccato finis impositus non est, nec adducta iustitia sempiterna; unctus non est Sanctus Sanctorum, civitas expugnata quidem, sed non eversa fuit, et solo aequata; occisus non est Christus, et negatus a suis. Desolatio itaque perpetua non fuit, sed paulo post Iudas Machabaeus deletis Antiochi copiis Ierusalem ingressus est, ac mundato et expurgato templo, et Deo cultum, et nationi suae pacem restituit. Ex his luculenter patet, in-

(2) V. Ierem. 25, 11 etc.

terpretationem *Marshami* falsam, et penitus reiiciendam esse.

Obi. 3. Christus, cum de adventu suo loqueretur, inquit (1): *De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli coelorum, nisi solus Pater* (2), eandemque notitiam etiam Apostolis suis denegavit (3); quis ergo credet, antiqui foederis Prophetae talem de adventu Messiae notitiam concessam fuisse, ut tempus illius accurate determinare potuerit? — Incredibile porro est, Deum voluisse, ut fides a chronologia penderet, quae apud varios varia est, et quandoque accurate determinari non potest.

Resp. In citatis locis unice de secundo Christi adventu in terras glorioso sermo est, ac de extremo iudicii die, qui utique etiamnum Angelos latet et homines, cum Deus illum nemini revelare voluerit. At ex hoc minime sequitur, Deum non revelasse tempus primi Messiae adventus; contrarium enim constat ex facto; non solum enim Daniel, sed et Iacob, et Prophetae alii promissi Messiae adventus epocham praenuntiarunt. Ita autem prorsus fieri debuisse, ratio ipsa suadet; cum enim humilis et privatus esse deberet eiusmodi adventus, de eo praemonendi erant homines, ne deciperentur; quae ratio profecto non militat pro gloriosa eiusdem manifestatione, quae in omnium oculos incurret. — Quod attinet posteriorem obiectionem, haec est natura vaticiniorum, in quibus tempus futurum determinatur, ut eorum eventus a chronologia dependeat. Talia vaticinia multa in S. Scriptura occurrunt, ut Gen. XV, 13; Is. VII, 8; XVI, 14; XXI, 16; XXIII, 15. Ierem. XXV, 11; XXVIII, 16. etc. Neque ulla in his vaticiniis difficultas occurrit, quia in Dei potestate sunt omnia tempora et momenta, et in hominibus tempora computandi facultas invenitur. Sicuti ergo de aliis adiunctis contingentibus per testimonium sensuum, vel per auctoritatem certi reddi possumus, ita etiam per chronologiam rationes temporum certo cognoscere valemus. Nec officit dissensus, qui hinc inde inter chronologos observatur; hic enim plerumque non magnum temporis spatium attingit, atque ideo non impedit, quominus de prophetiae eventu certi reddamur. Sic ex. gr. datur quidam dissensus in computandis 70 hebdomadibus Danielis, quia anni Regum Persarum varie a variis numerantur; sed qualiscunque computatio recipiatur, certissime constat, hebdomades Danielis iam ad finem esse perductas, et ideo Messiam vere iam advenisse. Et revera celeberrimi Chronologi talem 70 hebdomadarum calculum instituerunt, ut mors Christi vere in ultimae hebdomadae dimidium incidat. Quod si alii in Chronologia dissentiant, dicendum est, computationem ipsorum erroneam esse, quia homines facile falluntur, Deus autem falli non potest (4).

Nota 2. Celebre est vaticinium Danielis (c. II), in quo tempus pro adventu Messiae non obscure praesignatur. Daniel enim, exponens somnium Nabuchodonosoris, quatuor sibi succedentia regna praedicit, et tandem quintum addit, nempe regnum Messiae, quod nunquam finem habeat. Per *caput aureum* intelligit Propheta regnum Chaldaeorum, cui tunc ipse imperabat Nabuchodonosor, ut ex illis verbis, v. 33: *Tu es ergo caput aureum*, apparet. Regnum autem Chaldaeorum appellatur *caput*, quia inter praedicta quatuor regna insignia primum fuit, et *aureum*

(1) Matth. 24, 36.
(2) Cf. Marc. 13, 32. (3) Act. 1, 7.

(4) Cf. Tournely de incarn. q. 5, art. 1, argum. 2. Gazzaniga de incarn. Sect. 1, cap. 5. Perrone tom. 4, P. 1, cap. 2. § 2

ob splendorem, quietem et opulentiam. Per *pectus et brachia de argento* significat Daniel imperium Persarum, quod minus dictum est priore, quia non ita, ut chaldaicum diuturnum fuit, vel quod minus habuerit splendoris ac pacis, cum teste *Orosio* (1) ab externis diu vexatum fuerit bellis, et ignominiose denique concisum. Dein praedicit *regnum tertium aliud aereum, quod imperabit universae terrae;* scilicet regnum Graecorum, seu Macedonum sub *Alexandro M.* Vocatur vero istud regnum *aereum*, vel quia fama huius regni aeris instar per universum resonavit orbem, vel quia respectu durationis regno Chaldaeorum et Persarum inferius est; mox enim post Alexandri M. mortem divisum fuit, et a gloria sua decidit. Dictum est autem: *imperabit universae terrae*, quia revera *Alexander M.* universae terrae dominus appellatur a *Plinio* (2) a *Iustino* (3) et a *Curtio* (4), proindeque futurae hominum opinioni se Daniel accommodans Graecorum imperium appellat universae terrae imperium, quomodo lib. I Machab. cap. I de *Alexandro M.* dicitur: *Siluit terra in conspectu eius.* Postmodum *regnum quartum erit velut ferrum*, quibus verbis Daniel praedicit imperium Romanorum, quod sicut ferrum omnia domat atque comminuit, ita Macedonum, seu Graecorum, aliorumque potentiam fregit, et longe lateque in orbe terrarum dominium suum dilatavit; sequitur demum: *In diebus autem regnorum illorum*, id est, durante adhuc ethnico Romanorum imperio, multa regna in se complectente, *suscitabit Deus coeli regnum quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem et consumet universa regna haec, et ipsum stabit in aeternum.* Manifeste hic describitur regnum Messiae, cui perpetua duratio etiam in aliis Scripturae locis adiudicatur, ut Ps. XLIV, 19 etc. Ps. LXXXVIII, 35 etc. Is. IX, 7 etc. Ier. XXXIII, 14 etc. Mich. IV, 7. Errant ergo, qui per istud quintum regnum Romanorum imperium intelligendum esse putant. Hoc enim imperium non semper stetit, sed si stricte loqui velimus, iam saeculo quinto ab Alarico Rege Gothorum dissipatum est. Equidem imperium romanum orientale usque ad saeculum decimumquintum perduravit, et in Occidente post Carolum M. Reges Germaniae se Imperatores romanos vocarunt. Sed si nomen imperii romani continuatum fuit, non tamen ipsa res perduravit; confitendum enim est, imperium Romanorum in Oriente ad Graecos, et in Occidente ad Francos et Germanos translatum fuisse, cum tamen in vaticinio et de regno quinto expresse dicatur: *et regnum eius alteri populo non tradetur.* Imperio Romanorum igitur hoc vaticinium non potest applicari; et ideo necessario intelligitur de regno Messiae, quod *comminuet et consumet universa regna haec*, id est, haec regna, idololatriae dedita, armis spiritualibus vincet, et in christiana commutabit. Tunc enim censetur regnum eversum, quando regiminis forma mutatur, et antiquis abolitis iuribus nova illi traditur lex observanda. Hoc autem adveniente Christo verè accidit; nam evangelica lex per Christi ipsius Apostolos atque discipulos tradita est Romanis, Graecis, Persis, Chaldaeis, qui diversam deinceps habuere regiminis formam. Notandum porro est, ineunte saeculo decimonono etiam nomen Imperatorum romanorum penitus sublatum esse, et ideo necessario concludi, regnum Messiae iam advenisse.

(1) Lib. 5, cap. 7. (2) L. 4, c. 10. (3) Lib. 12. (4) L. 10.

§. 109.

III. Vaticinium Aggaei, et Malachiae.

Iudaei a captivitate babylonica soluti, et in patriam reversi, multis difficultatibus superatis, novo templo aedificando insudarunt. Cum autem probe noscerent, hoc-templo Salomonis structurae magnitudine, magnificentia et opulentia multo inferius futurum, animo ceciderunt, et valde contristati sunt. Quos ut erigeret Deus et solaretur, pollicitus est, multo maiorem fore gloriam huius templi, quam primi, eoquod in illud venturus sit Messias. Id duo Prophetae satis clare praedixerunt. a) *Aggaeus* cap. II ita loquitur: *Haec dicit Dominus Deus exercituum: adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum et terram, et mare et aridam. Et movebo omnes gentes* (i. e. inter gentes magna bella excitabo) *et* post haec *veniet desideratus cunctis gentibus* (i. e. Messias, per quem gentes benedicendae sunt) *et* tunc *implebo domum istam* (i. e. templum modo aedificatum) *gloria, dicit Dominus exercituum. — Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus*, (i. e. hoc templum equidem non scatet argento et auro, quo ego non indigeo, et quod meum est, ubicunque inveniatur), sed tamen *magna erit gloria domus istius novissimae, plusquam primae, et in loco isto dabo pacem* (nimirum per Messiam reconciliatorem, qui ideo frequenter princeps pacis vocatur). b) *Malachias*, postquam, cap. I, oblationem mundam in omni loco offerendam, et nomen Dei in omni loco, et in gentibus magnificandum praedixit, hortatur, cap. III, ad sanctificationem templi, et sic Deum loquentem inducit: *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam* (quibus verbis, fatentibus ipsis Iudaeis, Messiae praecursor intelligitur, quem etiam Isaias (1) praedixit), *et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis*, i. e. Messias, qui est dominator, et angelus, seu nuntius novi testamenti, quem Iudaei tandiu quaesierunt et desiderarunt, ad templum suum venturus esse praedicitur. — Iuxta hoc duplex vaticinium constat, Messiam stante templo secundo advenire debuisse, quod per praesentiam suam gloria impleturus erat.

Nota. Vaticinia adducta de Messia explicabant veteres Iudaei, sed diruto templo in aliam sententiam abierunt. Id testatur Hugo Grotius, qui in citatum Aggaei locum dicit: « Messiam appariturum in templo secundo credidere Iudaei omnes, qui ante excidium vixere. Ex eo tempore comminiscuntur interpretationes novas, violentas, varias ad haec loca clarissima. » — Horum commenta, quae inter Protestantes praecipue asseclas invenerunt, iam modo diluenda sunt.

Obi. 1. Vaticinium Aggaei intelligendum est, non de Messia, sed de copia auri et argenti afferenda a gentibus per quam gloria secundi templi maior futura erat, quam primi. Nam in textu hebraico legitur: *tunc veniet desiderium* i. e. venient res desideratissimae, atque pretiosissimae *omnium gentium*. Ita Rosenmüller.

Resp. Admissa hac, veteri Synagogae omnino ignota, expositione, vaticinium divinum nullo modo fuisset verificatum. Munera enim, vel a regibus Persarum, vel ab aliis; vel praesertim ab Herode ad ornamentum templi collata, aequiparari non poterant cum divitiarum copiis, a Salomone structurae templi impensis. Neque Deo dignum videtur, maiorem gloriam templi repetere ex do-

(1) Is. 4, 5.

nis gentium idololatrarum, quibus non licitum erat templum ingredi. Absonus etiam sensus ex allata interpretatione prodiret; Deus enim diceret: *meum est argentum, et meum est aurum*, quia illud et hoc a Gentibus in templum meum allatum est, cum tamen in tota Scriptura Deus absolutus rerum omnium Dominus nominetur, qualis etiam revera est. Verba subsequentia: *et in loco isto dabo pacem*, tempora Messiae assignant; nam de pace civili et temporali intelligi nequeunt, cum exstructo iam templo secundo multa bella praecipue per Antiochum et per Romanos sustinere debuerit Iudaea. — Demum ipse Rosenmüller non diffitetur, Aggaeum, quae hic praedicit, temporibus messianis eventura sperasse; et in cap. III, 1 Malachiae, immemor eorum, quae scripserat in scholiis ad Aggaeum, haec scribit: « *Veniet ad templum suum*, nempe secundum, quod per Messiae adventum gloriosius primo templo futurum esse *praedixerat etiam Aggaeus.* » Tanta veritatis vis est, ut vel ab invitis testimonium extorqueat (1).

Obi. 2. Praedictus ab Aggaeo non potest esse Messias, quia dicitur *desideratus cunctis gentibus;* non poterant autem gentes Messiam desiderare et exspectare, quem non cognoverunt.

Resp. Propheta per synecdochen loquitur et ponit: *desideratus* pro *desiderandus*, uti etiam Iacob Messiam vocat *exspectationem gentium, quae in illo benedicendae erant.* Gentes saltem implicite desiderarunt Messiam quia naturali stimulo benedictionem, felicitatem, beatitudinem concupiere: neque negari potest, ipsas ex traditione, vel ex commercio cum Iudaeis aliquam ideam de Messia promisso hausisse. Rem penitus declarat locus parallelus Malachiae, in quo ad templum suum venire dicitur Dominator, quem Iudaei quaerunt etc.

Obi. 3. Maior gloria templi secundi repetenda est ab ingressu Alexandri M. et Pompeii, vel ex eo, quia diutius stetit, quam primum.

Resp. Alexander M. et Pompeius, ethnici, ipsa Sancta Sanctorum ingressi, templum non iam gloria affecerunt, sed temerario ausu profanarunt, et neuter dici potest *desideratus cunctis gentibus*, quarum plures ab illis misere debellatae sunt. Levis laus est diuturnitas; — praesertim spatium decem annorum, queis secundum templum diutius stetit, tanti non est, ut propterea primo praeferri mereretur: neque de hac diuturnitate in vaticinio verbum occurrit (2).

§. 110.

IV. Vaticinia de dispersione Iudaeorum.

Si vaticinia veteris Legis rite attendantur, haud obscure colligitur, Messiam advenire debuisse, cum populus iudaicus adhuc in patria unitus, et in tribus ac stirpes divisus esset; frustra enim alias inter characteres Messiae reponeretur, quod ex tribu Iuda et e stirpe Davidis oriundus sit. — At Prophetae etiam praedixerunt, Messiam a populo iudaico non agnoscendum, imo iniuriis afficiendum et occidendum esse, atque in poenam ingentis huius delicti templum cum urbe devastatum, et populum e patria eiectum et misere dissipatum iri. — Id praeprimis probat locus Danielis iam antea citatus. Dicit enim: *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, et non erit eius populus, qui eum negaturus est:* i.e. non agnoscent Iudaei Messiam, imo occident. Statim autem subiungitur poena, seu ultio Dei propter tantam caecitatem et impieta-

(1) V. Perrone l. c. n. 122.

(2) V. Klüpfel t. 2, §. 45. n. 7

tem; subiungitur enim: *Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio*, i. e. destructis urbe et templo, Iudaeis statuta est vastissima dispersio et omnimoda desolatio. Demum adiicitur: *Confirmabit pactum* Messiae, Christi, seu novum testamentum, *multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadae deficiet hostia et sacrificium*, i. e. nullius virtutis et utilitatis erunt sacrificia V. T. et tandem penitus cessabunt, *et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.* — Cum hoc Danielis vaticinio consonant ea, quae leguntur in Psalmo LXVIII qui, ut dicit Calmetus, nonnisi aegerrime alteri quam Messiae aptari potest. Praeprimis Messias loquens et lamentans inducitur his verbis: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto*, et postmodum vindicta Dei describitur: *Obscurentur oculi eorum, ne videant; dorsum eorum semper incurva. Effunde super eos iram tuam, et furor irae tuae comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti* (Messiam) *persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt* (1). Ergo propter iniurias gravissimas Messiae illatas maxime erant Iudaei puniendi et dispergendi ita ut eorum habitatio deserta fiat. — Huc spectare videtur etiam locus Isaiae cap. VI. Praenuntiatur hic populi excaecatio, et impoenitentia ad vocem Prophetae, a Deo missi, eaque perduratura dicitur: *Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine et terra relinquetur deserta. Et longe faciet Dominus homines, et multiplicabitur, quae derelicta fuerat in medio terrae* (2). Multi equidem per Prophetam a Deo missum nonnisi Isaiam, et per desolationem praenuntiatam captivitatem vel assyriacam regni Israël vel babylonicam regni Iudae intelligunt. Sed neutra expositio satis apta videtur, quia ad praedicandum regno Israëli Isaias primarie missus non fuit, et captivitas babylonica sesqui circiter saeculo post Isaiam secuta est. Multo melius et planius hoc vaticinium (si non in sensu litterali, certe in sensu mystico) exponitur de Messia a Deo misso, de caecitate et duritia populi iudaici ad vocem ipsius, de desolatione ideo secutura, et de Ecclesia Messiae in medio terrae multiplicanda (3). Iuxta adducta vaticinia Messias ergo advenire debuit, antequam populus iudaicus e patria expelleretur et dispergeretur, quia lugenda haec calamitas ceu poena non agniti et occisi Messiae praenuntiata est.

(1) V. 26 etc. (2) V. 11 et 12.
(3) V. Calmet. in istud caput. Cf. Matth. 13, 14 etc. et Rom. 11, 11.

§. 111.

V. Vaticinia de vocatione Gentium.

Iuxta promissiones iam patriarchis factas in Messia *benedicendae* erant *omnes gentes terrae* (4). Sub nomine autem gentium intelliguntur omnes populi a Religione revelata alieni, et polytheismo ac idololatriae dediti. Hos igitur Messias doctrina sua coelesti, abolito polytheismo et propulsa idololatria, ad agnitionem et cultum veri Dei et ad salutem spiritualem perducere debuit. Ideo Messias dictus est *Exspectatio gentium* (5), *Lux gentium* (6), *Dux atque praeceptor gentium* (7), *Desideratus cunctis gentibus* (8). — Prophetae porro sicut obcaecationem et indurationem Iudaeorum, ita et conversionem gen-

(4) Gen. 22, 18. (5) Gen. 49, 10.
(6) Isa. 42, 6. (7) Isa. 55, 4.
(8) Agg. 2, 8.

tium temporibus Messiae sat frequenter praedixerunt. Ps. II, 8 Deus ipse Messiae pollicetur: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* Graphice porro gentium reminiscentia, et ad Deum verum conversio praenuntiatur Ps. XXI, 28 etc. his verbis: *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae, et adorabunt in conspectu eius universae familiae gentium. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.* Isaias cap. II, v. 2 etc. describens Ecclesiam a Messia instituendam ait: *Erit in novissimis diebus*, id est, temporibus Messiae, *praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem.* Et rursum cap. LV non minus illustre edidit vaticinium de gentibus per Messiam ad veri Dei cultum vocandis: *Ecce testem populis dedi eum, ducem et praeceptorem gentibus. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis, et gentes, quae te non cognoverunt, ad te current* (1). Alio in loco nonnullae gentes doctrinam Messiae, seu veram Religionem sibi antea ignotam suscipientes expresse nominantur. Nam Isa. LXVI, 18 etc. Messias ipse ita loquens inducitur: *Ecce ego venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis, et venient et videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, ut mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes, in mare, in Africam et Lydiam, — in Italiam et Graeciam, ad insulas longe, ad eos, qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam — —*

(1) Cf. Mich. 4, 1. (2) Ier. 5, 17.

et assumam ex eis in Sacerdotes, et Levitas: ex quibus ultimis verbis denominatarum gentium conversio satis clare indigitatur. — Hanc etiam Ieremias praedicit, qui, postquam de abrogatione veteris legis locutus fuerat, dein de Ecclesia a Messia instituenda dicit: *Congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Ierusalem, et non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi* (2). — Idololatriae abrogationem clarissime praedixit Zacharias dicens: *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam numina idolorum de terra, et non memorabitur ultra, et pseudoprophetas, et spiritum immundum auferam de terra* (3). — Huc etiam nonnulli revocant locum Ezechielis c. XXX: *Haec dicit Dominus: disperdam simulacra, et cessare faciam idola de Memphis.* — Ex his aliisque vaticiniis patet, per Messiam fuisse idololatriam abrogandam, et gentes ad agnitionem et cultum veri Dei perducendas. Ergo Messias advenire debuit, cum gentes - praecipue expresse denominatae - adhuc polytheismi et idololatriae tenebris involutae essent.

§. 112.

Conclusio.

Si vaticinia in hoc articulo adducta rite attendantur, sole clarius apparet, tempus pro adventu Messiae a Prophetis determinatum iam dudum praeterlapsum esse. Nam Messias debuit advenire cessante sceptro in Iuda, ad finem vergentibus hebdomadibus Danielis, stante adhuc templo secundo, seu zorobabelico, antequam Iudaei dispergerentur et gentes propulsa idololatria ad rectam fidem converterentur. — Sed iam ante octodecim saecula, subiugata a Pompeio Iudaea, sceptrum in Iuda penitus cessavit; eodem fere tem-

(3) Zach. 13.

pore ad finem venerunt hebdomadae Danielis, licet ab ultimo Artaxerxis decreto computatae; haud multo post templum cum urbe Ierusalem destructum est, Iudaei e patria expulsi undique dispersi sunt, et pedetentim gentes - praecipue expresse denominatae - reiecta idololatria ad agnitionem veri Dei pervenerunt. Ergo certe Messias iam advenit, atque ideo abrogata lege mosaica nova revelatio hominibus facta est, quae sollicite est investiganda: tutissime autem invenitur, si ex characteribus, a Prophetis praesignatis, verus Messias dignoscatur.

Nota. Inter Iudaeos eruditiores nonnulli negare non sunt ausi, tempus pro adventu Messiae stabilitum, iam praeterlapsum esse. Ne autem Christum ceu Messiam declarare cogerentur, dixerunt, promissiones divinas de Messia designato tempore venturo, conditioni fuisse alligatas, si Iudaei legem mosaicam stricte observaverint; hac autem conditione non adimpleta, Messiae adventum dilatum esse, quod iuxta ipsorum commentum iam in Ps. LXXXVIII, v. 39 praedictum fuit, ubi legitur: *Distulisti Christum tuum.* — Ast omnino absonum est, quod Iudaei veritati nimis clarae opponunt, horumque cavilla facile confunditur. Nam: a) vaticiniis absolute prolatis non licet pro libitu conditiones apponere; alias nihil certi ex illis erui posset: constat autem ex dictis vaticinia, tempus Messiae determinantia, absolute, sine conditione annexa, prolata fuisse. b) Absurda quoque est conditio a Iudaeis apposita: Messias enim venire debuit in remedium peccati; absonum ergo est dicere eius adventum ob peccata patrata fuisse dilatum, sicut absonum foret, adventum medici differri ob morbum ingravescentem. — c) Messias ventu-

(1) L. 7 de bell. Iud., c. 1°

rus erat non solum in salutem Iudaeorum, sed et omnium gentium: quis ergo ob peccata unius populi omnes gentes promisso redemptoris sui adventu privatos fuisse dicat? — d) De Iudaeis utique iam praedictum erat, ipsos adveniente Messia ita corruptos et obcaecatos fore ut liberatorem suum non agnoscerent, sed occiderent. Nil ergo vaticiniis divinis magis repugnat quam assertio, ob Iudaeorum depravationem promissum antea, et quoad tempus designatum Messiae adventum dilatum esse. e) Et - si ita esset, dicant, qui talia effutiunt, quando ergo Messias adventurus sit? — citent alia vaticinia, in quibus id determinatur! — cum id nequeant, circa rem summi momenti in perpetuis dubiis fluctuaremus, omnesque priores divinitus hac de re factae prophetiae irritae dicendae essent. f) Commentum de dilatione Messiae ob peccata Iudaeorum, illis temporibus quibus Christus apparuerat in terris, ignotum erat. Ipsi enim Iudaei tunc omnino persuasi erant, iuxta oracula prophetarum Messiam modo advenire debere. Id testatur Iosephus Flavius (1) ubi dicit, nil magis sollicitasse animos Iudaeorum ad defectionem a Romanis et ad obstinatissimam urbis defensionem, quam fidem, ex vaticiniis praepostero sensu acceptis haustam, quod Messias illo tempore ceu Rex potentissimus advenire debeat, qui eos liberet ab ethnicorum iugo. — Haec Iudaeorum persuasio tanta erat ut ubique divulgaretur, et ipsis ethnicis scriptoribus innotesceret. Ideo Svetonius in vita Vespasiani scribit: « Percrebuerat in Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur. » — Et Tacitus (2) ait: « Pluribus persuasio inerat, antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo i-

(2) Lib. 5 Annal.

pso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Iudaea rerum potirentur.» —

ARTICULUS III.

De characteribus Messiae a Prophetis praesignatis.

§. 113.

Ut homines Messiam, pro ipsorum salute missum, certo dignoscerent, Deus pro infinita bonitate sua non solum tempus pro illius adventu determinari, sed etiam characteres ipsius per Prophetas assignari voluit: Plurimae ideo in S. Scriptura V. T. prophetiae messianae reperiuntur, quorum *existentiam* probare, *distinctionem* declarare, *criterium* assignare et *classes* enumerare oportet.

1. Fuerunt enim nostris temporibus nonnulli, qui omnino negarunt, in S. Bibliis V. T. veras de Messia prophetias inveniri. — Sed qui ita sentiunt, gravissime hallucinantur. — Nam a) multa in S. Scriptura inveniuntur, quae nulli hominum nisi soli Messiae applicari queunt, e. g. verba Dei in Ps. II: *Filius meus es tu, ego hodie genui te;* et Ps. CIX: *Dixit Dominus Domino meo:* — — *ex utero ante luciferum genui te;* et Mich. V: *Egressus eius ab initio a diebus aeternitatis;* — hi et plurimi alii similes textus vel nullum, vel absurdum sensum haberent, si ad Messiam non referantur. — b) Ipsi antiqui Iudaei de existentia prophetiarum messianarum omnino persuasi fuerunt. Hinc commune ipsis axioma erat: «Omnia, quaecunque memorantur in lege, Prophetis et hagiographis, indicant Sapientiam, hoc est Christum (1). » Principes Synagogae et scribae populi, interrogati ab Herode, ubi Christus nasceretur, responderunt: in Bethlehem (2), citantes locum Michaeae V. Praeconceptas quoque suas opiniones de regno Messiae temporali ex vaticiniis sinistro sensu intellectis collegerunt: de existentia ergo prophetiarum messianarum nullatenus dubitarunt. c) Ideo Christus et Apostoli coram Iudaeis - ad verum Messiae regnum ostendendum - sat fidenter au Prophetarum eloquia provocarunt, ut Evangelia legenti patet. Tolerari autem non potest, quod nonnulli asserunt, Christum et Apostolos accommodatitio solum sensu V. T. loca citasse. Id enim repugnat *characteri* ipsorum, qui non iam eruditionem aut elegantiam stili iactare, sed veritatem affirmare studuere; repugnat *fini;* ideo enim vaticinia citabant, ut Christum verum Messiam ostenderent, ad quod probandum accommodatio non valet; repugnat communi et constanti *antiquitatis persuasioni;* repugnat tandem *verbis* s. scriptorum, qui expresse dicunt, citata oracula *impleta* fuisse, quod de accommodatis dici nequit. — d) Christus et Apostoli theoretice quoque prophetias messianas existere docuerunt. Sic Christus ad Iudaeos dixit: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in illis vitam aeternam habere; illae sunt quae testimonium perhibent de me* (3). — Et ad discipulos suos ait: *Necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi, et Psalmis, et Prophetis de me* (4). Petrus publice coram Iudaeis dixit: *Deus - praenuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum* (5); et iterum: *Omnes Prophetae a Samuel, et deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos* (6). Coram Cornelio Centurione ait de Christo: *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent* (7). Paulus eandem tradit fidem *nihil extra dicens, quam ea, quae Prophetae locuti sunt,*

(1) V. Daniel. Huet. prop. 7, n. 1.
(2) Matth. 2. (3) Io. 5. 39 etc.
(4) Luc. 24, 44. (5) Act. 3, 18.
(6) Ib. v. 24. (7) Act. 10, 43.

futura esse, et Moyses (1). — e) SS. Patres quoque, viri doctissimi et piissimi, qui S. Scripturarum studio diligentissime insudarunt, prophetiarum messianarum existentiam non solum crediderunt sed et propugnarunt. Sic *S. Iustinus M.* (2) scribit: « In libris Prophetarum invenimus, Christum venire, nasci ex virgine, hominem fieri, omnem infirmitatem et omnem languorem curare, mortuos resuscitare, suis invisum, nec cognitum esse, crucifigi, mori, resurgere et in coelum ascendere, et esse et vocari filium Dei, et mitti ab ipso aliquos ad suam doctrinam praedicandam, et gentes in eum vel maxime credere; haec omnia ab illis praenuntiata sunt. » — *Athenagoras* (3) dicit: « Nos eorum, quae novimus et credimus, Prophetas testes habemus. » — *Tertullianus* librum suum adversus Iudaeos hac absolvit clausula: « Haec aut prophetata nega, quae coram videntur, aut adimpleta quum leguntur: aut si negas utrumque, in eo erunt adimpleta in quem sunt prophetata. » — *Origenes* (4) probationem quae fit per Prophetarum praedictiones, « validissimam demonstrationem » appellat. — *S. Augustinus* (5) tractans de historia redemptionis subiungit: « Haec omnia Scripturae divinae, quae in manus omnium iam venerunt, ante longissima tempora futura esse testatae sunt. Haec omnia tanto robustiore fide laetamur fieri quanto maiore auctoritate praedicta esse in S. Litteris invenimus. Plura loca citat Dan. Huet. (6).

2. Prophetia dupliciter fieri potest, nimirum *verbis* et *signis*, seu *figuris*. Antiquissimus enim in Oriente, et praecipue inter Iudaeos viguit mos, cogitationes internas, praecipue de futuris, externis formis et figuris significandi. Sic Ahias Silonita pallii novi in duodecim partes scissi, decem segmina Ieroboamum colligere iussit, ut ipse futuram regni salomonici scissuram significaret (7). Sic Sedecias, cum Syros ab Hebraeis profligatum iri significare vellet, *fecit sibi cornua ferrea, et ait: Haec dicit Dominus: his ventilabis Syriam, donec deleas eam* (8). Sic Eliseus moriens Ioaso Israëlitarum Regi victorias adversus Syros iactu sagittarum, et terra repetitis ictibus percussa praenuntiavit. Sic Ieremias per subligaculum lineum in Euphrate putrefactum Hierosolymae Iudaeorumque superbiam depressum iri portendit. Sic Ezechiel imminentes Iudaeis calamitates per capillorum et barbae suae rasuram Dei iussu praemonstravit. — Quodsi res futurae minoris momenti variis modis praefiguratae fuerunt, dubitari vix potest, rem quoque summi momenti, i. e. regnum Messiae sua signa suasque figuras habuisse. — Plurimi sane in S. Bibliis V. T. tum eventus, tum ritus occurrunt, qui nude spectati inanes et vix non frivoli videntur, et ex sola relatione ad Messiam summam dignitatem maximumque pretium acquirunt. — Communis ideo Iudaeorum persuasio fuit, futurum Messiae regnum non solum praenuntiatum, sed et praefiguratum esse. Quamobrem Paulus in religione patrum suorum optime versatus non dubitavit legem veterem appellare *umbram futurorum* (9) et *paedagogum nostrum in Christo* (10); imo, de Israëlitis loquens, diserte pronuntiat: *Omnia in figuris contingebant illis* (11); nam ait: *Finis legis Christus* (12). Eiusdem sententiae subsequentes etiam Ecclesiae Docto-

(1) Act. 26, 22. (2) Apol. 1, n. 54
(3) In sua legat. (4) L. 2, c. Cels.
(5) Ep. 232 ad Madaur. (6) Prop. 7, n. 1
(7) III Reg. 22, 11. (8) III Reg. 22,
(9) Col. 2, 17. (10) Gal. 5, 24.
(11) I Cor. 10, 11. (12) Rom. 10, 4.

res fuerunt. *S. Augustinus* egregie in rem loquitur: « Omnes, ait, non solum prophetiae, quae in verbis sunt, nec tantum praecepta vitae, quae mores pietatemque conformant, atque illis litteris continentur, verum etiam Sacra, Sacerdotium, Tabernaculum, sive templum, altaria, sacrificia, caeremoniae, dies festi, et quidquid aliud ad eam servitutem pertinet, quae Deo debetur, ea significaverunt et praenuntiaverunt, quae propter aeternam vitam fidelium in Christo et impleta credimus, et impleri cernimus, et implenda confidimus (1).» *S. Hieronymus* rationem addit, cur figuris quoque futura magni momenti praesignentur: « Vult, ait, Scriptura divina non solum auribus doceri populum, sed et oculis: magis enim mente retinetur, quod visu, quam quod auditu ad animum pervenit (2). » Figurae distingui solent in *personales* et *reales*, prout vel in personis, vel in aliis rebus, aut ritibus consistunt. Cum figuris, praecipue personalibus, in S. Bibliis vaticinia coniungi solent, quibus proin duplex sensus inest, *proximus* seu *litteralis*, qui figuram, *remotus* seu *mysticus*, qui figuratum attinet. Hunc duplicem sensum in variis Scripturae locis necessario admittendum esse, agnovit *S. Hieronymus*, qui dicit: « Hic est mos Scripturae Sanctae, ut futurorum veritatem praemittat in typis, iuxta illud, quod de Domino Salvatore in septuagesimo primo Psalmo dicitur, qui praenotatur Salomonis, et omnia, quae de eo dicuntur, Salomoni non valent convenire. Nec enim permansit ille cum sole, et ante lunam generationis generationum, neque dominatus est a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, nec omnes gentes servierunt ei, neque ante solem permansit nomen eius, nec benedictae sunt in ipso omnes tribus terrae, neque omnes gentes magnificaverunt eum. Ex parte autem, et quasi in umbra et imagine veritatis in Salomone praemissa sunt, ut in Domino Salvatore perfectius implerentur(3).» — Nimium autem procedunt qui ubique duplicem sensum statuentes, cum *Hug. Grotio* asserunt, nullum dari vaticinium, quod proxime et litteraliter respiciat Messiam. Dantur enim in S. Scriptura loca, quae soli Messiae applicari possunt, e. g. Ps. II, 7; Ps. CIX, 1 et 4. Nec Davidi tribulato applicari possunt, quae dicuntur in Psalmo XXI: *Dederunt in escam meam fel* etc.; *foderunt manus meas et pedes meos* etc.; *diviserunt sibi vestimenta mea* etc. (4).

3. Quod numerum prophetiarum messianarum attinet, duplex scopulus vitandus est. Nonnulli enim post Origenem ingentem prophetiarum messianarum numerum pie magis, quam solide allegare consueverunt: alii vero, interpretationi historicae nimis addicti, vix ullo in loco V. T. vaticinium de Messia reperiunt: quae duo extrema ut vitentur, *criteria* statuenda sunt, ex quibus vaticinia messiana tuto cognoscantur. Talia autem criteria certa praebent: 1. *argumentum* ipsum, quod si sublimius sit, quam ut prophetae tempori ac statui tribui queat, iure ad sublimius aevum Messiae trahitur: 2. *consensus veteris synagogae*, cui Deus vaticinia concessit, et absque dubio rectam eorum cognitionem procuravit, ne finis eorundem frustraretur: veteribus ideo Iudaeis, quibus prophetiae notae erant, nullumque earum corrumpendarum illicium suppetebat, maior utique debetur fides, quam recentioribus, qui sensum litteralem et traditionem pervertunt:

(1) L. 7 de Civ. Dei, c. 32.

(2) In Ier. 19. (3) In Dan. 11, 12.
(4) Cf. Dan. Huet. prop. 7, n. 4.

3. *auctoritas Christi* et *Apostolorum*, quibus Christus *aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas* (1): 4. *consensus SS. Patrum*, qui doctrina et pietate conspicui rectas S. Scripturae interpretationes ab Apostolis traditas collegerunt et conscripserunt (2).

4. Vaticinia, in quibus characteres Messiae praenuntiantur, commode in quatuor classes dividi possunt: a) alia enim referuntur ad eius *ortum et nativitatem*, b) alia ad eius *vitam resque ab eo gerendas*, c) alia ad eius *passionem et mortem*, d) alia demum ad eius *statum post mortem*, et ad *fata Ecclesiae*, seu regni ab ipso instituti.

§. 114.

I. Vaticinia Messiae ortum et nativitatem spectantia.

1. Messias nasciturus praedicitur ex Abrahamo, Isaaco et Iacobo. Dictum enim est Abrahamo: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae* (3); idem repetitum est Isaaco (4) et Iacobo (5).

2. Messias oriri debuit ex stirpe Davidis, uti praedixit Isaias dicens: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini... In illa die radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur* (6). Per radicem Iesse domum Davidis intelligi, nemo dubitat, et locum ad Messiam spectare, non solum SS. Patres, sed communiter etiam Iudaei docent, uti Chaldaeus, Hebraei apud S. Hieronymum, R. Kimchi, Solomon, Abarbanel et alii.

3. Messias nasci debebat in urbe Bethlehem Iudae iuxta prophetiam Michaeae: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis* (7). Hoc in loco de Messia sermonem esse ipsa verba ostendunt. Ideo principes Sacerdotum et scribae populi interrogati ab Herode, ubi Christus nasceretur, dixerunt: *in Bethlehem Iudae* - ad citatum locum provocantes (8).

4. Messiam in Aegyptum deferendum, et exinde reversurum esse, indigitatur ab Osea dicente: *Ex Aegypto vocavi filium meum* (9); quae verba gentem israëliticam proxime spectare non negatur; sed Hebraei ex Aegypto egredientes figura tantum erant Christi ex ea regione redeuntis, ut S. Hieronymus, S. Cyrillus Alex., Hugo Grotius et alii animadvertunt (10).

5. Messiam concipiendum et pariendum esse a virgine, praedixit Isaias his verbis, Achaz regem Iuda allocutus: *Dabit Dominus ipse vobis signum: ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel* (11); quo in loco de Messia sermonem esse apparet ex eo, quod *Emmanuel*, i. e. Deus nobiscum dicatur is, quem virgo erat paritura. Accedit, quod maxime opportunus is locus fuerit disserendi de Messia, tum quod veritus sit rex Achaz, a duobus regibus oppugnatus, internecionem domus suae ac familiae davidicae, tum quod sub rege Achazo, cultui idolorum addicto, vera religio atque fides in venturum Messiam plurimum periclitabatur. — Per virginem autem concepturam et parituram talem intelligi, quae virum passa non sit, solidis rationibus probari potest. Nam hebraica voce *Halma* virginem designari, colligitur tum ex radice, unde vocabuli origo est, significatque *absconditam*, sive

(1) Luc. 24, 45.
(2) Cf. Dobmayr t. 3, §. 96.
(3) Gen. 22, 15-18. (4) Gen. 26, 4.
(5) Gen. 28, 14. (6) Isa. 11, 1 et seq.
(7) Mich. 5, 2. (8) Matth. 2, 5 etc.
(9) Ose. 11 1. (10) V. Calmet. (11) Isa. 7, 14.

eam, quae latuit, tum ex locis aliis, ubi eadem vox occurrit, notante Hieronymo, designans virginem, tum ex versione 70, qui reddunt παρθενος; unde consequens est, neque ad uxorem prophetae, neque ad regis coniugem trahi vocabulum controversum posse. Sermo sane est de signo, i. e. de re mira, supra naturam posita. Occurrit enim vox - *Haot* - quae etiam Ex. IV, 8 proprie dictum miraculum designat. Eandemque vocem non aliter hoc loco intelligi posse, elucet tum ex dicto Prophetae: *Pete tibi signum, sive in excelsum supra, sive in infernum deorsum*, tum ex responso regis: *non tentabo Dominum.* Ideo SS. Patres in citato Isaiae loco vaticinium de virginea Messiae matre unanimi consensu invenerunt, ut *S. Iustinus* (1), *Tertullianus* (2), *Origenes* (3), *Eusebius* (4), *S. Hieronymus* (5), *S. Ambrosius* (6), *S. Augustinus* (7). Haec fuit etiam sententia veteris synagogae et antiquorum Rabbinorum, apud quos viguit antiqua traditio de supernaturali Messiae conceptione et nativitate ex virgine; — et sane nulla erat ratio Evangelistis referendi Iesu Christi nativitatem ex virgine, nisi receptum apud omnes tunc temporis fuisset, talem fore ortum promissi Messiae. — Ea, quae Isa. c. VIII de filio prophetae in signum dato habentur, confundi non debent cum iis, quae cap. praec. dicuntur. Insolitum enim non est prophetis ab una re vel persona ad aliam rem vel personam transire; inde enim S. Hieronymus repetit eorundem obscuritatem (8). In capite ergo Isaiae octavo confirmatur promissum factum capite praecedenti, novo signo a priori omnino diverso (9).

(1) Dial. c. Tryph. (2) L. c. Iudaeos, c. 9.
(3) C. Cels. (4) L. 1 dem. ev.
(5) In Isa. 7 et 8. (6) L. 1 in Luc.
(7) L. 17 de Civ. Dei, cap. ult.
(8) In Ier. 8.

6. Messias iuxta Prophetarum effata est filius Dei, verus Deus. Ideo Ps. II, 7 Messias loquens inducitur: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*, et Ps. CIX legitur: *Dixit Dominus Domino meo... ex utero ante luciferum genui te.* Idem probat citatum iam Michaeae dictum: *Egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis* (10). Ex eadem ratione Isaias Messiam *Emmanuelem*, i. e. Deum nobiscum nominat (11), et (12) dicit: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis — et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi* etc.

7. Adveniente Messia in mundum pax magna praedicta est a Prophetis. Nam Ps. LXXI, 7 dicitur: *Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis.* Isa. c. II apertissime loquens de regno Messiae ait: *De Sion exibit lex... et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad praelium.* Idem. c. XI dicit: *Egredietur virga de radice Iesse.... habitabit lupus cum agno, et pardus cum haedo accubabit.... non nocebunt et non occident in universo monte sancto meo.... in illa die radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.*

§. 115.

II. Vaticinia Messiae vitam, resque ab eo gerendas spectantia.

1. Messiam praecursorem habiturum esse, praenuntiavit Malachias, sic Deum loquentem inducens: *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam* (13); quo in loco de Messia sermonem es-

(9) Cf. Dan. Huet. prop. 9, cap. 9. Klüpfel t. 2, §. 45, n. 4. Perrone t. 4, p. 2. cap. 2, prop. 2. Calmet dissert.
(10) Mich. 5, 2. (11) Is. 7, 14.
(12) 9, 6. (13) Malach. 3, 1.

se, apparet tum ex Iudaeorum doctoribus, qui huic potissimum loco innixi futurum Messiae praecursorem expectabant, tum ex contextu, quia citatis verbis immediate subiungitur: *Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis.* — Isaias quoque Messiae praecursorem vaticinatus est dicens: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini! — rectas facite in solitudine semitas Dei nostri* (1). Quibus verbis praedicitur, praecursorem - praecipue in deserto - Messiae adventum annuntiaturum, hominesque ad poenitentiam excitaturum fuisse.

2. Messias futurus erat *Propheta* iuxta ea, quae Deus dixerat ad Moysen: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum tuorum, similem tui, et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi; qui autem verba eius, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam* (2). Messias ergo, ut Propheta fieret, Moysi similis, debebat, ut Moyses, populum docere, missionem suam miraculis confirmare, novamque legem promulgare, quae omnia etiam sigillatim variis in locis praedicta fuerunt.

3. Messiam *munere docendi* functurum esse, variis in locis praedictum fuit. Ps. II, 6 Messias ait: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, praedicans praeceptum eius.* Ps. XXI, 3: *Narrabo nomen tuum fratribus meis; in medio Ecclesiae laudabo te.* — Isa. LV, 4 Deus de Messia inquit: *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus.* Messias vero dicit: *Ducam caecos in viam, quam nesciunt, et in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, et prava in recta* (3); et iterum: *Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem* (4).

4. *Locus* a Prophetis determinatus fuit, in quo primitus Messias coelestem suam doctrinam annuntiaturus sit. Legitur enim (5): *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephtali, et novissimo aggravata est via maris trans Iordanem Galilaeae gentium. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis.*

5. Messiam multis stupendisque miraculis divinam suam missionem confirmaturum esse, testatur Isaias, qui etiam varia patranda miracula denominat. Nam c. XXXV, 4 et seq. Iudaeis acclamat: *Confortamini, et nolite timere.... Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.*

6. Messiam non solum doctorem, sed etiam verum *Legislatorem*, novique pacti, seu testamenti institutorem esse, varia Prophetarum effata commonstrant. Doctrina enim ipsius dicitur lex, ipseque legislator: e. g. *De Sion exibit lex* (6). *Legem eius insulae exspectabunt* (7). *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster ipse salvabit nos* (8). Institutio autem novi foederis indigitatur praecipue in Ieremia (9), ubi dicitur: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israël et domui Iuda foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum.... sed hoc erit pactum... dabo legem meam*

(1) Is. 40, 3. (2) Deut. 18, 15 et seq.
(3) Isa. 42, 16. (4) Isa. 61, 1.
(5) Isa. 9, 1 etc. (6) Isa. 4, 3.
(7) Isa. 42, 4. (8) Isa. 33, 22.
(9) C. 31, 31 et seq.

in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam: quibus verbis non solum novi foederis institutio praedicitur, sed id quoque indigitatur, novam legem ad internam praecipue tendere sanctitatem.

7. Messiae *munus sacerdotale* adscribitur in Psalmo CIX, v. 4, his verbis: *Iuravit Dominus, et non poenitebit eum; tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech:* ergo Messias praenuntiatur ceu *Sacerdos in aeternum*, i. e. per longissimum tempus, seu usque ad finem mundi, *secundum ordinem Melchisedech*, i. e. iuxta modum, quem servavit in sacrificando Melchisedech, qui proferebat panem et vinum (1).

8. Messias saepissime a Prophetis *Rex* nuncupatur; at illi regnum spirituale et aeternum adiudicatur. Sic Ps. II, 6 Messias ait: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, praedicans praeceptum eius.* Ps. LXXI, 1 etc. dicitur: *Deus, iudicium tuum Regi da, et iustitiam tuam filio regis: iudicare populum tuum in iustitia, et pauperes tuos in iudicio... iudicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum... et permanebit cum sole et ante lunam in generationem et generationem* etc. Isa. IX, 6 etc.: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius... princeps pacis: multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis: super solium David, et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum.*

9. Messias *vitam pauperem* et inopem acturus erat. In Psalmo enim XXXIX, in quo apertissime de Messia sermo est, hic dicit: *Ego autem mendicus sum et pauper*, quae verba vix ad Davidem regem referri possunt, nisi in quantum figura fuit Messiae (2). Zacharias de Messia, Rege venturo, dicit: *Ipse pauper* etc. (3).

10. Messias Hierosolymam intraturus erat asina pullo comitata vectus. Exclamat enim Propheta: *Exulta satis, filia Sion! iubila, filia Ierusalem! ecce rex tuus venit tibi iustus et Salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum, filium asinae* (4): quo in loco de Messia sermonem esse, ostendunt characteres, quibus insignitur; dicitur enim *Rex, iustus, Salvator;* ideo ipsa Synagoga antiqua hoc vaticinium ad Messiam retulit.

11. Messias ingredi debuit templum secundum, sub Zorobabele exstructum iuxta citata iam verba Malachiae: *Veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis* (5).

12. Messias maximum zelum pro domo Dei, i. e. pro honore templi ostensurus erat: ipse enim in Psalmo LXVIII, v. 12 dicit: *Zelus domus tuae comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super, me,* i. e. iniuriae tibi, o Deus! illatae, me quoque intime afficiunt. Hunc vero Psalmum necessario ad Messiam referri indubium est (6). Ipse David pro honore domus Dei zelans non fuit nisi figura Messiae.

§. 116.

III. Vaticinia Messiae passionem, et mortem spectantia.

1. Messiam plurima passurum esse - et quidem ad tollenda hominum peccata, clare praenuntiatur in celeberrimo capite LIII Isaiae, quod

(1) Gen. 14.
(2) Cf. Ps. 69, 5; Ps. 68, 30; Ps. 87, 16.
(3) Zach. 9, 9. (4) Zach. 9, 9.
(5) Cf. Agg. 2, et §. 109.
(6) V. Calmet, Braun. etc.

nonnisi de Messia exponi potest, cuius unius generationem nemo enarrare valet (v. 8). De illo autem dicitur. *Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus* (v. 2-5). Hisce verbis quasi in nucleo Messiae passio huiusque finis exhibetur: variae autem Messiae aerumnae singillatim quoque in variis Prophetarum locis praedictae leguntur.

2. Contra Messiam Reges et Principes congregandos et in illo condemnando consensuros esse, praenuntiatum fuit a Davide: *Adstiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius* (1). Alibi Messias lamentatur: *Adversum me laetati sunt, et convenerunt* (2).

3. Messias inique tradendus erat a commensali, uti ipse conqueritur: *Homo pacis meae, in quo speravi; qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem* (iuxta Hebr. *erexit super me calcaneum*, i. e. me calce petere conatus est, uti equus recalcitrans (3)). Similis Messiae questus legitur (4): *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu:* si citata loca litteraliter ad Davidem spectant, perfidiam vel filii, vel amici sui accusantem, in sensu certe mystico ad Messiam referuntur, cuius David typus fuit.

4. Messias vendi debebat triginta argenteis, et haec pecunia ad figulum erat deferenda, sicut praedixit Zacharias: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Proiice illud ad statuarium* (Hebr. *ad figulum*), *decorum pretium quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et proieci illos in domum Domini ad statuarium* (5). Cum hic, ut patet, Dominus ipse se dicat appretiatum triginta argenteis, id intelligi non potest nisi de Messia, qui verus Dominus et Deus est (6).

5. Proditoris Messiae funesta mors tremendusque interitus graphice describitur in Ps. CVIII, 1 et seq.: *Deus, laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, et os dolosi super me apertum est... Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris eius. Cum iudicatur, exeat condemnatus, et oratio eius fiat in peccatum. Fiant dies eius pauci, et episcopatum eius accipiat alter . . . pro eo quod non est recordatus facere misericordiam. Et persecutus est hominem inopem, et mendicum, et compunctum corde mortificare. Et dilexit maledictionem et veniet ei, et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.* Haec contra proditorem Messiae dicta esse, SS. Patres passim docent, neque immerito; ex magnitudine enim poenae ad enormitatem delicti recte concluditur.

6. Messiam maxima tristitia, singularique timore ac moerore conficiendum esse, in duobus Psalmis le-

(1) Ps. 2, 2 (2) Ps. 34, 15.
(3) Ps. 40. 10. (4) Ps. 54, 13 etc.
(5) Zach. 11, 12. (6) Ps. 109.

gitur, in quibus eiusdem proditio indigitatur. Messiae enim iniustissime traditi haec sunt verba: *Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me: timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebrae* (1). *Libera me, quia egenus, et pauper ego sum, et cor meum conturbatum est intra me. Sicut umbra, cum declinat, ablatus sum, et excussus sum sicut locustae* (2).

7. Messiam tempore passionis deserendum esse a suis, variis in locis praedictum fuit. Nam Ps. LXVIII legitur: *Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meae* (v. 9). *Improperium exspectavit cor meum et miseriam, et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni* (v. 21) (3). Isaias quoque sic Messiam loquentem inducit: *Circumspexi, et non erat auxiliator, quaesivi, et non fuit qui adiuvaret* (4). Demum Zacharias XIII, 7, haec habet: *Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus exercituum: Percute pastorem, et dispergentur oves:* de Messia in hoc capite sermonem esse, nemo dubitare potest, qui primos versiculos considerat: et per pastorem, quem Deus suum sibique cohaerentem dicit, non alius, quam Messias intelligi potest.

8. Messiam a falsis testibus accusandum esse, praenuntiatum est in Psalmis: *Insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi* (5). — *Surgentes testes iniqui... dilataverunt super me os suum, dixerunt: Euge, Euge, viderunt oculi nostri* (6). *Adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi; verbum iniquum constituerunt adversum me* (7); quae verba, si litteraliter de figura, i. e. de Davide, persecutionibus agitato, mystice saltem de figurato, i. e. de Christo sunt intelligenda.

9. Messiam accusatum silere, et gravissimas calumnias patientissime tolerare, asseruit Isaias de Messia scribens: *Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum* (8).

10. Messiam alapis et flagellis caedendum, conspuendum aliisque iniuriis afficiendum esse, clare vaticinia produnt. *Adversum me laetati sunt, et convenerunt, congregata sunt super me flagella* (9). *Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt* (10). — *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me* (11). *Dabit percutienti se maxillam; saturabitur opprobriis* (12).

11. Messiam mortis supplicio afficiendum esse, praedixit Daniel IX, 26: *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus.* Genus autem mortis, nimirum crucifixio, satis clare indigitatur in Psalmo XXI, quem de Messia explicandum esse apparet ex eo, quia varii ipsius versus (13) litteraliter de Davide intelligi non possunt, et (14) de conversione Gentium sermo est (15). — Dicit autem ibi Messias: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea: ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me* (16). Convenit cum hoc vaticinio dictum Zachariae (17), qui,

(1) Ps. 54, 4 etc. (2) Ps. 108, 22.
(3) Cf. Ps. 21, 12; Ps. 87, 9 etc., 111 5.
(4) Isa. 63, 5. (5) Ps. 26, 12.
(6) Ps. 54, 11 etc. (7) Ps. 40, 8 etc.
(8) Is. 53, 7. (9) Ps. 54, 15.
(10) Ps. 68, 27. (11) Isa 4, 6.
(12) Thren. 2, 30.
(13) V. 17, v. 19 etc.
(14) V. 28 et 29.
(15) V. Dan. Huet. prop. 9, c. 123 et c. 127.
(16) V. 17 etc. (17) 12 10.

postquam gratiam spiritualem novae Ecclesiae, in Ierusalem collectae, large collatam commemoravit, sic pergit: *Et aspicient ad me quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.*

12. Messiam dum mortis supplicio afficitur, cum iniquis reputandum illisque consociandum esse, praenuntiavit Isaias: *Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est* (1).

13. Messias, in cruce pendens, maximo despectui habendus, deterrimisque contumeliis afficiendus erat; sic enim lamentatur: *Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abiectio plebis: omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput: Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum* (2).

14. Messiae mortis supplicio addicto fel et acetum propinandum esse praedictum fuit Ps. LXVIII, 22, his querulis verbis: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.*

15. Quid de Messiae vestimentis futurum sit, legitur in Ps. XXI, v. 19: *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.*

16. Messias moriens pro adversariis suis precaturus erat, dicente Isaia de eo: *Ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit* (3). Idem insinuatur Ps. CVIII, 3, Ps. XXXIV, 11 etc.

17. Messias, aerumnis confectus Deum inclamans exhibetur Psalm. LXVIII, 1 etc.: *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam;* et Ps. XXI, 1: *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?*—

18. Messiam vere moriturum esse, clare Isaias vaticinatus est, dum de eo dicit: *Oblatus est, quia ipse voluit.... sicut ovis ad occisionem ducetur... de angustia et de iudicio sublatus est... quia abscissus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussi eum... Dominus voluit eum conterere in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longaevum* etc. (4).

(1) Isa. 53, 12.
(2) Ps. 21, 7 etc. Cf. Ps. 31 etc. Ps. 54, 14 etc.
(3) Isa. 53, 12. (4) Isa. 53

§. 117.

IV. Vaticinia statum Messiae post mortem spectantia.

1. Messiae crura confringenda non esse, praefiguratum fuit in agno paschali, circa quem Israëlitis praeceptum fuit: *Nec os illius confringetis* (5); et: *Os eius non confringent* (6).

2. Messiae inter iniquos reputati, et in cruce mortui sepulcrum gloriosum praedicitur ab Isaia XI, 10: *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum eius gloriosum.* Ad idem collineare videtur alius eiusdem Prophetae locus (7): *Et dabit impios pro sepultura* (id est, assignatum quidem fuit sepulcrum eius apud sceleratos), *et divitem pro morte sua* (sed apud divitem erat post mortem suam), *eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius.*

3. Messiae animam ad inferos descensuram esse praenuntiatur Ps. XV, 10, quo in loco Messias dicit: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem;* quae verba de Davide intelligi non possunt, sed cum S. Petro (8) et cum D. Paulo (9) Messiae applicari debent.

(5) Ex. 12, 44. (6) Num. 9, 9 (7) 53, 9. 25 etc. (9) Act. 13, 36.

4. Messiae mortui et sepulti gloriosa resurrectio, in Iona Propheta praefigurata, non obscure etiam praenuntiata fuit. Corpus enim Messiae in sepulcro non corrumpendum, sed cum anima iterum uniendum esse, colligitur ex Ps. XV, 9 et seq.: *Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo; delectationes in dextera tua usque in finem.* Messiae mors ideo somno comparatur, cum ipse dicit: *Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi, quia Dominus suscepit me* (1), quae loca saltem in sensu mystico recte Messiae applicantur (2).

5. Messiae summa exaltatio, ascensio in coelum, et sessio ad dexteram Patris egregie praedicitur Ps. LXVII, 5 etc.: *Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius: iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi... Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.... Regna terrae, cantate Deo, psallite Domino, psallite Deo, qui ascendit super coelum coeli ad orientem. Ecce dabit voci suae vocem virtutis, date gloriam Deo super Israël, magnificentia eius, et virtus eius in nubibus.* Psalmum hunc LXVII cum D. Paulo (3) graeci et latini Patres de Messia intelligunt; nec magnifica, quae in illo dicuntur, alio modo apte exponi possunt. — Dan. VII, 13 etc. ait: *Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum, et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient: potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius quod non corrumpetur.* — Ps. CIX, 1 etc.: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

6. Doctrinam, seu legem Messiae praeprimis Hierosolymis praedicandam et exinde propagandam esse, testatur Isaias II, 3, scribens: *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem.*

7. Religionem a Messia institutam celerrime inter populos propagandam esse, indigitatur in eodem capite II Isaiae v. 1 et 3 ubi dicitur: *Et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius* (4).

8. Gentibus magno numero in Ecclesiam Messiae convenientibus, Iudaei maxima ex parte in incredulitate persistent, et ideo destructo templo eversaque urbe undique per orbem dissipabuntur (5).

9. Regnum Messiae in aeternum duraturum esse, Prophetae praedixerunt. Daniel II, 44 ait: *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur..... ipsum stabit in aeternum:* et Michaeas c. IV, dicit v. 1: *In novissimo dierum erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium... et fluent ad eum populi..* v. 7: *et regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nunc, et usque in aeternum:* de regno Messiae sermonem esse, ostendit commemorata conversio gentium; neque de alio regno duratio aeterna praedicari potest.

(1) Ps. 3, 6. Cf. Ps. 70, 20; Ps. 114, 8; Ps. 141, 8.
(2) V. Dan. Huet. prop. 9, c. 142. Calmet etc.
(3) Eph. 4, 8.
(4) Cf. § 111.
(5) § 110. Dan. Huet. pr. 9, c. 161 etc.

§. 118.

Conclusio huius capitis.

I. Multa ergo, et praeclara vaticinia in S. Bibliis V. T. leguntur, variis temporibus prolata ac conscripta et ad unum nobilissimum thema collineantia - nimirum ad venturum Messiam, et ad instituendum ab ipso regnum. Mirum sane est, non paucos nostrorum temporum interpretes arbitrariis, et hinc inde ineptis expositionibus vaticinia messiana ex S. Bibliis maxima ex parte eliminare tentasse. Quo in temerario conatu novitatis studio decepti totius antiquitatis consensui contradixerunt, auctoritatem tum antiquae synagogae, tum Christi et Apostolorum, tum SS. Patrum laeserunt, ipsam S. Scripturam vera interna dignitate summoque pretio privarunt, hominibusque maxima emolumenta eripuerunt.

2. Vaticinia messiana dicenda omnino sunt *Deo dignissima*, qui per illa suam praescientiam atque providentiam manifestavit: *Messiae convenientissima;* nam « quanto maior Iudex veniebat, tanto praeconum series longior praecedere debebat, » ait *S. Augustinus* (1): *hominibus utilissima;* illorum enim prolatio, successive facta, in Iudaeis fidem in Messiam ad salutem necessariam (2) conservabat et vivificabat; illorum autem adimpletio pro omni tempore invictum factae divinitus revelationis argumentum suppeditat.

Nota. Inter characteres Messiae hunc praecipuum reponunt Iudaei, quod advenire debeat ceu Rex potentissimus, qui populum israëliticum ab adversariis suis liberet, super alias gentes exaltet, omnique felicitate temporali referciat. — Ast falsam prorsus hanc ideam esse, multa sunt, quae commostrant. Nam a) praeconcepta Iudaeorum opinio ipsis promissionibus divinis contradicit, iuxta quas Messias non solis Iudaeis, sed cunctis gentibus benedictionem allaturus dicitur (§. 105). b) Si magnifica de Messia ipsiusque regno in Prophetis leguntur, multa quoque praedicantur de illo, quae cum idea Regis temporalis potentissimi coniungi nullatenus possunt. Dicitur enim *vir dolorum* (3), *pauper* (4), *negandus et occidendus a suis* (5), *vermis et non homo; opprobrium hominum et abiectio plebis* (6), quae omnia magnificentiae terrenae et felicitati temporali e diametro opposita sunt. c) Ideo ut oracula Prophetarum simul coniungantur, necessario asseritur, Messiam futurum fuisse Regem, sed non temporalem, verum spiritualem. Id in ipsis vaticiniis non obscure indigitatur. Messias enim dicit: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion, montem sanctum eius, praedicans praeceptum eius* (7). Et in Isaiae IX dicitur: *Super solium David, et super regnum eius sedebit* (Messias) *ut confirmet illud in iudicio, et iustitia amodo usque in sempiternum.* Arma quoque, quibus Messias Gentes vincet sibique subiiciet, spiritualia praedicantur. Isaias enim de Messia inquit: *Percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium, et erit iustitia cingulum lumborum eius, et fides cinctorium renum eius* (8). Effectus quoque, quos Messias *super populum* iudaicum et *super urbem sanctam* producturus erat, mere spirituales recensentur. Ideo enim a Daniele advenire dicitur, ut *consummetur praevaricatio et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna.* — Ex his omni-

(1) Tr. 45 in Io. (2) Gal. 2, 16. (3) Isa. 53. (4) Zach. 9, 9. (5) Dan. 9. (6) Ps. 21. (7) Ps. 2, 6. (8) Is. c. 11.

bus apparet, Messiam ut regem mere spiritualem a Prophetis praedictum fuisse. d) Opinio demum Iudaeorum nulli solido fundamento innititur. Loca enim, quae ipsi ex Prophetis pro re sua citant, vel ad Messiae tempora non spectant, et solum ad liberationem ex captivitate babylonica referuntur, uti est locus Ieremiae (1), vel ad regnum Messiae spirituale spectant; quod ad omnes gentes extendendum dicitur, ut habetur Ps. LXXI, 8, aliisque in locis (2).

CAPUT IV.

REVELATIONIS DIVINAE COMPLEMENTUM ET PERFECTIO IN RELIGIONE CHRISTIANA

§. 119.

Praeterlapsis iam circiter quatuor mille mundi annis, cum foedus polytheismus sub variis formis late dominaretur, et deterrimam morum corruptionem inter Gentes produceret; apud Iudaeos autem vera Religio tum per sectas Pharisaeorum, Sadducaeorum et Essenorum, tum per praeposteros conceptus de Messia terrestri ac nationali valde corrupta esset; nova Religio exorta est, quae a Iesu Christo celeberrimo auctore suo *christiana* dicta, iam per octodecim saecula totum per orbem terrarum disseminata florescit. — Summi profecto momenti est, ut Iesu Christi, cuius *tota vita mirabilis* et *character insignis fuit*, *Religionem* attentissime consideremus, eamque ceu *rem divinam* probemus.

§. 120.

Vita Christi mirabilis.

Si Iesu Christi sive *infantiam*, sive *adultam aetatem* consideramus, vitam ipsius eventibus miris planeque singularibus refertam videmus.

1. Christus enim non ordinario modo sed interveniente virtute Altissimi conceptus et ex purissima Virgine Maria natus est (3). Ad Christum, in stabulo natum, canentes Angeli pastores sub dio cum grege suo commorantes advocarunt (4). Eodem tempore stella apparuit Magis in Oriente, quae illis nativitatem exspectati novi regis Iudaeorum significabat, eosque postea Bethlehemum, ut illum venerarentur, perduxit (5). Octava post nativitatem die Christus more legali Iudaeorum circumcisus et nomen *Iesus*, Angelo illud praenuntiante, ipsi datum fuit (6). Praesentatum in templo Simeon senex et Anna Prophetissa ceu promissum Messiam agnoverunt et praedicarunt (7). Monente Angelo Iosephum, Christus ab horrendo puericidio bethlehemitico per fugam in Aegyptum eripitur (8); et defuncto Herode in patriam reversus in civitatem Nazareth se confert (9). Duodecimo aetatis suae anno Christus ad festum Paschatis Hierosolymam perrexit, et per triduum in templo commoratus singularis sapientiae specimina Iudaeorum doctoribus, inter quos sedebat, exhibuit (10). Postea privatam vitam duxit, subditus parentibus, et proficiens aetate, sapientia et gratia apud Deum et homines (11).

2. Trigesimo aetatis suae anno Christus publice prodiit et a Ioanne Baptista, qui populum pro adventu Messiae praeparaverat, et ob eximiam sanctitatem ac efficacissimam praedicationem in maxima erat auctoritate, quasi digito ceu promissus mundi Redemptor ostensus fuit (12). Et cum ab eodem in Iordane baptizaretur, coeli aperti sunt, Spiritus S. in columbae specie descendit et vox de coelo audita est: *Hic est filius*

(1) Cap. 29, v. 14.
(2) Cf. Perrone t. 4, n. 178 et n. 179.
(3) Matth. 1, 16, et Luc. 1, 26 etc.
(4) Luc. 2, 8 etc. (5) Matth. 2, 1 etc.
(6) Luc. 2, 21. (7) Luc. 2, 25 etc.
(8) Matth. 2, 13 etc. (9) Matth. 2, 19.
(10) Luc. 2, 46 etc. (11) Luc. 2, 52.
(12) Matth. 3; Marc. 1; Luc. 2; Io. 1.

meus dilectus, in quo mihi complacui (1). A Iordane regressus quadraginta dierum ieiunium in deserto servavit, quo transacto, tribusque diaboli tentationibus superatis, ad ipsum *Angeli accesserunt, et ministrabant ei* (2). Ex solitudine redux Galilaeam profectus est (3), ac discipulos aliquos sibi elegit (4). Ab eo tempore circuibat Iesus totam Galilaeam, docens in Synagogis eorum et praedicans Evangelium regni (5). Postmodum transiit etiam in Iudaeam et praecipue Hierosolymam, ubi *erat docens quotidie in templo*. Egregiam vero praedicationem benefacta plurima atque stupenda comitata sunt. Christus enim caecis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis sanum membrorum usum praebuit, omnis generis aegrotos sanavit, mortuos suscitavit; mari et ventis imperavit, panes bis multiplicavit, daemones e corporibus hominum eiecit (6). Mirum proinde non est, Christum a populo ubique maximo honore habitum esse. Nam secutae sunt eum turbae multae de Galilaea et Decapoli et de Hierosolymis et de Iudaea et de trans Iordanem (7). Christi enim tum egregii sermones, tum mirabilia facta id effecere, ut mirarentur omnes in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius (8) et dicerent, modo: *Unde huic sapientia haec, et virtutes* (9)? modo: *Nunquam locutus est homo, sicut hic homo* (10); modo: *Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam* (11). — Quemadmodum autem Christus, publice docens et miracula patrans, multorum applausum, ita et multorum invidiam et odium retulit. Pharisaei scilicet et alii iis similes ferre non poterant, quod Christus magnam ubique consequeretur auctoritatem, ipsorum vero fama obscuraretur, et hypocrisis detegeretur (12). Praesertim autem illos offendebat, quod se promissum Messiam diceret quin regis terreni splendorem affectaret, id quod eorum praeiudiciis maxime repugnabat. Hac de causa omni qua poterant ratione Christo insidias struxerunt, nec quieverunt, donec tandem Christus qua malefactor captus, ad tribunalia raptus, plurimis iniuriis doloribusque obrutus, ad mortem damnatus, in medio duorum latronum crucifixus obiit (13). At sicut Christus, dum caperetur, unico verbo satellites prostravit (14), ita, dum in cruce spiritum emitteret, sol obscuratus et velum templi scissum est, terra tremuit et petrae confractae sunt (15). Stupens ideo Centurio exclamavit: *Vere filius Dei erat iste* (16)! Iudaei autem sepulcrum Christi sollicite obsignabant et militum excubiis muniebant; ne quis corpus Christi auferre posset (17), quod tamen post tres dies in sepulcro amplius inventum non est (18). Christus autem redivivus suis discipulis apparuit, saepius cum ipsis conversatus est, ipsosque docuit (19), donec tandem ipsis videntibus in coelum elevaretur (20).

Nota. Quae de vita Christi narrata sunt, hominem plane singularem ostendunt omnemque fidem merentur, tum ob monumenta authentica, in quibus leguntur, tum ob interiorem nexum, quo tum inter se, tum cum effectibus postmodum per Christum productis optime cohaerent. Veritati er-

(1) Matth. 3, 13 etc. (2) Matth. 4, 11.
(3) Matth. 4, 11. etc.
(4) Matth. 4, 18; Luc. 5, 1 etc.
(5) Matth. 4, 23.
(6) Matth. 4, 23 et 8, 9; Luc. 11, 14 etc.
(7) Matth. 4, 25. (8) Luc. 4, 22.
(9) Matth. 13, 54. (10) Io. 7, 46.
(11) Luc. 7, 16. (12) Io. 11, 47
(13) Luc. 23, 52 etc. (14) Io. 18, 6.
(15) Luc. 23, 44 etc. Matth. 27, 51.
(16) Matth. 27, 54. (17) Matth. 27, 62 etc.
(18) Matth. 28, 6, 13 etc.
(19) Io. 20 et 21.
(20) Marc. 16, 19; Luc. 24, 51; Cf. Wiest l. 2, §. 118, et Schnappinger l. 1, §. 33, et Dob 70 etc.

go historicae et philosophicae repugnant, qui cum Dr. Straussio, aliisque effervescenti potius phantasiae, et genio saeculi indulgentes, quam solidis rationibus nixi vitam Christi corrumpunt, quidquid mirum redolet, expungunt, vel ipsam personam Christi in mythum convertunt (1). Uberiorem mythicae expositionis Straussii criticam vide in Appendice §. 166.

§. 121.

Character Christi insignis.

Charactere Christi nil excellentius excogitari potest. Christus enim, prout in Evangeliis breviter, simplicique calamo repraesentatur, ab *omni* vel *minimo defectu longe remotus*, atque *omnibus virtutibus perfectissime ornatus* fuit.

1. Christus sane ab omni labe ita immunis erat, ut publice in conspectu adversariorum suorum exclamare potuerit: *Quis ex vobis arguet me de peccato* (2)? Neque adfuit qui ipsum redargueret. Ipsi infensissimi inimici, qui vitae eiusdem insidiabantur, non habebant quod contra ipsum expostularent, praeterquam quod leges caeremoniales, quarum spiritum ipsi non intellexerunt, non observaret, et regnum sibi arrogaret, consilium et scopum Messiae sinistre interpretati. Etiam iudices ipsius, Pilatus et Herodes, ipsius innocentiam confessi sunt: Ille publice protestatus est: *Nullam invenio in eo causam* (3); et *innocens ego sum a sanguine iusti huius* (4). Proditor autem illius desperans palam dixit: *Peccavi, tradens sanguinem iustum* (5). Denique post mortem quoque Christi, licet Religio ipsius plurimos adversarios nacta sit, tamen innocentia ipsius nunquam per malevolam accusationem suspecta reddita fuit. Ideo Paulus sine haesitatione in Epistola ad Hebraeos (6) Christum *sanctum, innocentem, impollutum, segregatum a peccatoribus* proclamavit.

2. Si perfectio moralis hominis in eo consistit, ut omnia *officia erga Deum, erga alios homines*, et *erga se* exacte adimpleat, Christus profecto perfectissimum sanctitatis prototypon, omniumque virtutum exemplar praestantissimum nominandus est. a) Enituit enim in eo summa in Deum Patrem pietas, ad cuius gloriam omnia referebat. Iam ut puer duodennis, cum per triduum in templo commoratus fuerat, coram parentibus professus est: *in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse* (7). Ideo per omnem vitam suam semper aut orationi vacavit, aut operi, quod ipsi Pater dederat perficiendum, neque alium cibum habuit, quam ut voluntatem Patris faceret (8); omnique iure asserere potuit: *Ego, quae placita sunt ei, facio semper* (9). Imo voluntatem suam voluntati Patris tam perfecte subiecit, ut amarissimum passionis calicem, sibi a Patre oblatum, forti animo acceperit (10), *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (11). b) Officia quoque erga alios homines Christus admirabili modo implevit. Erga *parentes* suos obedientiam et reverentiam exhibuit (12); rogante matre primum miraculum patravit (13), illamque in cruce pendens Ioanni commendavit (14). Quoad *publicam societatem* se optimum civem ostendit, in negotia temporalia se non ingerens (15), tributum Caesari solvendum mandans (16), ipseque pro se et pro Petro tributum solvens (17). Erga *discipulos suos* maximam solertiam

(1) Dobmayr l. c. n. 3. (2) Io. 8, 46.
(3) Io. 19, 4. (4) Matt. 27, 24.
(5) Matth. 27, 4. (6) Hebr. 7. 26.
(7) Luc. 2, 49. (8) Io. 4, 34.
(9) Io. 8, 29. (10) Luc. 22, 42. (11) Phil. 2.
(12) Luc. 2, 51. (13) Io. 2, 3 etc.
(14) Io. 19, 27. (15) Luc. 12, 14.
(16) Matth. 22, 21. (17) Matth. 17, 26.

monstravit, dum ipsos diu noctuque instruxit, eorum praeconceptas opiniones emendavit, stupiditatem aliosque defectus toleravit (1), necessaria ipsis suppeditavit (2), et pro ipsorum incolumitate tempore passionis paternam curam gessit (3). Erga *maximos peccatores* clementissimus, cum his, non obstantibus Pharisaeorum cachinnis, amice conversari et manducare non erubuit (4), et poenitentes benignissime excepit (5). Erga *miseros* omnis generis summam misericordiam manifestavit: nullum a se repulit unquam, nullum sine solatio, sine auxilio dimisit: id ipsi statutum erat, nemini nocere, omnibus prodesse, ita ut iure de ipso dictum sit: *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes* (6). Denique *inimicos* quoque suos, in eum impiissime saevientes, ab immensa, qua homines omnes complectebatur, caritate non exclusit, sed ipsum proditorem suum osculari, et pro persecutoribus suis publice orare non dubitavit (7). — c) Cum eximia erga alios beneficentia Christus maximam vitae austeritatem coniunxit. In nulla re propriis serviens commodis nec opes, nec dignitates, nec famam apud homines quaesivit. Tanta erat humilitate, ut diceret: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* (8). Ab omni rerum temporalium cupiditate tam longe aberat, ut ne haberet quidem quo caput reclinaret (9). Tam parum ambitione tenebatur, ut, cum populus eum regem constituere vellet, celeri fuga in montem se subduxerit (10). Tandem incredibilis in eo fuit et plane inaudita mansuetudo ac patientia in perferendis atrocissimis iniuriis et doloribus; nam ad occisionem quasi ovis ductus est, quin ullum in eo exulcerati animi apparuerit indicium, et si quas inter patiendum edidit voces, spirabant pietatem, caritatem et mansuetudinem (11).

Nota. Characterem Christi plane singularem et ita eximium, ut nullus alius illi comparari queat, ipsi increduli admirati sunt. Inter alios I. I. Rousseau (12) non satis laudare potest in Christo - mansuetudinem - puritatem morum - suavitatem in docendo - sublimitatem in principiis - sapientiam in loquendo - libertatem et prudentiam in respondendo - perfectum dominatum in omnes passiones etc.; dein dicit: Si vita et mors Socratis sapientem ostendit, vita et mors Christi Deum commonstrat: ac demum concludit, talem characterem fingi nullatenus potuisse (Integrum istum locum exhibet germanice Ild. Schwarz (13), gallice vero Liebermann (14)).

§. 122.

Religio Christi divina.

1. Sicut Christus ipse sanctissime vixit, sic et alios homines, quos corruptos, et a fine suo aberrantes cognovit, emendare et ad salutis viam perducere omni modo sategit. Consilium hoc benevolentissimum saepius satis clare manifestavit. Ideo enim se in mundum missum esse protestatus est, *ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* (15): et alibi ait: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam* (16): et iterum de se ita loquitur: *Venit Filius hominis quaerere, et salvum facere quod perierat* (17). Huic fini nobilissimo pro-

(1) Luc. 22, 24 etc. (2) Ib. v. 36.
(3) Io 18, 8. (4) Luc. 15, 1 etc.
(5) Luc. 7, 48. (6) Act. 20, 38.
(7) Luc. 23, 35 (8) Matth. 20, 28.
(9) Matth. 8, 20. (10) Io. 6, 15.
(11) Cf. I. Schwarz H. d. Rel. u. 1. pag. 78, etc. I. M. Sailler Grundl. d. Rel. 19, Borlesung. M. Dobmayr t. 3, §. 75.
(12) In suo Aemilio, l. 4. (13) L. c. pag. 81.
(14) T. 1, p. 2, not. 10, ad cap. 3. Perrone t. 1, in not. ad n. 329.
(15) Io. 3, 16. (16) Luc. 5, 32. (17) Luc. 19, 10.

movendo totus semper incubit. Ideo ante omnia homines ad veram cordis conversionem excitavit, ubique praedicans et dicens: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum* (1). Ideo etiam sanctissimam doctrinam annuntiavit, addita magnifica promissione: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum* (2); et: *Qui credit in me, habet vitam aeternam* (3). — Neque Christus solummodo V. T. praecepta declaravit et inculcavit; sed licet publice professus sit, se non venisse *solvere legem, aut prophetas, sed adimplere*, tamen nova quoque ac multo perfectiora documenta et mandata proposuit, quod apparet praecipue ex celeberrimo sermone in monte habito (4). Ideo Christus saepius de mandatis novis (5) sibique specialiter propriis (6) locutus est. Consilium ergo Christi fuit, novam Religionem proponere, novumque foedus statuere, quod in institutione Eucharistiae satis clare expressit (7). — Institutam vero a se Religionem Christus non pro uno populo, sed pro cunctis totius mundi gentibus destinavit, quas in unam societatem, seu in unum regnum — non politicum sed morale, non temporale sed spirituale (8) coadunare decrevit. Consilium hoc suum amplum et sublime, quod ante ipsum nemini in mentem venerat, Christus manifestavit dicens: *Ego sum pastor bonus, — — et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili* (i. e. gentes per orbem terrarum dispersas); *et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile, et unus pastor* (9). Hac de causa antequam mundum relinqueret, Apostolos *docere* et *baptizare omnes gentes* (10), et *euntes in mundum universum* praedicare Evangelium omni creaturae iussit.

2. Si Christi tum vitam mirabilem, tum characterem rite perpendimus, iam exinde concludere debemus, Religionem a viro tam singulari et eximio institutam, omnem attentionem et aestimationem mereri. At multo magis haec religio et attentissime consideranda, et summi aestimanda, et libentissime suscipienda est, quia ex certissimis et plane invictis argumentis constat, illam non esse ingenii mere humani partum, sed Dei revelantis opus. In Religione enim christiana tum internos, tum externos characteres Revelationis ita invenimus, ut dubium nullum superesse possit, eam esse divinitus revelatam. Id enim luculentissime probatur 1° *ex doctrina Christi;* 2° *ex miraculis a Christo patratis;* 3° *ex prophetiis a Christo prolatis;* 4° *ex prophetiis V. T. in Christo adimpletis;* 5° ex Religionis christianae *celerrima propagatione, summa efficacia* et *mira conservatione*.

Nota. Non defuerunt qui asserere non erubescerent, Christum non tam societatem religiosam instituere, novumque regnum morale fundare voluisse, sed potius principatum terrenum, regiamque apud Iudaeos dignitatem ambiisse. Ast — quae isti effutiunt omni prorsus fundamento carent, neque ex sacris, neque ex profanis scriptoribus ullo modo probari queunt, Christi characteri modoque et docendi et agendi penitus contraria sunt, optimeque per omnia argumenta refutantur, quae in sequentibus articulis pro Religionis christianae divinitate afferuntur (11).

(1) Matth. 4, 17; Marc. 1, 15.
(2) Io. 8, 51. (5) Io. 6, 47.
(4) Matth. c. 5 et 6 et 7.
(5) Io. 13, 34. (6) Io. 14, 21.
(7) Matth. 26, 28; Luc. 22, 20. (8) Io. 18, 36.
(9) Io. 10, 16. (10) Matth. 28, 20.
(11) Cf. Klüpfel l. 2 2, § 101, 1. Dobmayr l. 5, § 74.

ARTICULUS I.

De doctrina Christi.

§. 123.

Ut ostendatur Religioni a Christo traditae characteres Revelationis internos inesse, utque exinde positivum pro eiusdem Religionis divinitate argumentum exurgat, *doctrinae christianae synopsis* proponenda, *excellentia* commostranda et *divina origo* probanda venit.

§. 124.

A. Doctrinae christianae synopsis.

Christus, ut sapientissimum consilium suum exequeretur, novamque Religionem introduceret, per quam omnes homines ad veram ac aeternam felicitatem pervenire possint, non solum veritates theoreticas seu credendas proposuit; nec tantum officia a quolibet adimplenda praescripsit, sed etiam ministros sacros constituit, qui toti religiosae societati invigilent, illiusque bonum promovere satagant: i. e. Christum ad regnum divinum morale constituendum (1) nobis tum *Symbolum*, tum *Codicem*, tum *Hierarchicon* benignissime concessit, quae quoad summa saltem capita exponenda sunt.

1. In *Symbolo Christi* veritates iam in religione patriarchali et mosaica divinitus patefactae non solum haud infringuntur, sed tum declarantur, tum confirmantur, illisque nova dogmata adiiciuntur. a) Deus dicitur *unus* (2), *Spiritus* (3) ab omni materia longe remotus (4), omnipraesens, *in quo vivimus, movemur, et sumus* (5), et qui ubique coli potest et debet (6), omniscius, in cuius *conspectu nulla creatura invisibilis est* (7),

(1) §. 49. n. 4.
(2) Marc. 12, 28; I Cor. 8, 4.
(3) Io. 4, 24. (4) Act. 17, 29.
(5) Act. 17, 27. (6) Io. 4, 23.
(7) Hebr. 4, 13. (8) Matth. 10, 29
(9) Marc. 10, 27. (10) Rom. 11, 33
(11) Matth. 5, 48. (12) Rom. 2, 6.

imo *capilli capitis omnes numerati sunt* (8), *omnipotens, apud quem omnia possibilia sunt* (9), sapientissimus cuius *iudicia incomprehensibilia, et viae investigabiles sunt* (10); sanctissimus, cuius summa perfectio omnibus ceu prototypon proponitur (11); iustissimus, qui *reddit unicuique secundum opera eius* (12).— Praecipue autem Dei bonitas praedicatur, quae ex eiusdem operibus elucet. Deus enim non solum omnia creavit (13), sed etiam omnia conservat et gubernat; ideo Deus proponitur ceu benignissimus Pater, qui *scit, quid opus sit nobis* (14), qui volucres coeli pascit, et foenum agri vestit, sed multo maiorem curam de hominibus gerit (15), *qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos* (16), qui etiam filium ingratum et prodigum, dum poenitens revertitur, cum maximo gaudio amplectitur et in domum suam recipit (17). Maximum autem divinae bonitatis argumentum est opus redemptionis, ad quod rite intelligendum nobis mysteria, rationi humanae prorsus impervia, revelari debuerunt. Primum est summum mysterium Trinitatis, vi cuius Deus unus in essentia dicitur, trinus in personis, scilicet Pater (18), Filius (19) atque Spiritus Sanctus (20). b) Alterum non minus incomprehensibile mysterium concernit tristissimum hominum statum, in quem per peccatum originale pervenerunt. Nam *per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et sic in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (21). Per funestum hunc lapsum libertas quidem hominibus

(13) Io 1, 3. (14) Matth. 6, 8.
(15) Ib. v. 25 etc. (16) Matth. 5, 45.
(17) Luc. 15. (18) Io. 17, 1 et 5.
(19) Io. 1, 1, 5, 20; Rom. 9, 5.
(20) Matth. 3, 16; Luc. 3, 22; Cf. Matth. 3, 19, 1 Io. 5, 7.
(21) Rom. 5, 12.

sublata non fuit (1), sed tamen vires animae debilitatae sunt, prava concupiscentia progenita (2), imago divina extincta, ius ad aeternam beatitudinem perditum est: *eramus* enim *omnes natura filii irae* (3), neque nosmetipsos ex tanta miseriarum abysso liberare potuissemus. — Sed *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* (4). Hic Filius Dei unigenitus, secunda Trinitatis persona carnem humanam assumpsit (5), *ac dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (6). Ideo atrocissimam in cruce mortem sustinuit, non solum ut *repropitiaret peccata populi* (7) nosque Deo reconciliaret (8), sed etiam ut copiosa auxilia nobis suppeditaret, quibus adiuti in tristi quoque naturae lapsae statu bonum perficere possimus. Si enim sine gratia Christi nihil omnino possumus (9), omnia tamen possumus in eo, qui nos confortat (10). c) Status alterius vitae in symbolo christiano clarissime exponuntur. Anima immortalis dicitur, quae cum corpore occidi non potest (11), sed ab huius vinculis soluta statim *iudicium* subit (12), in quo etiam de verbo otioso rationem reddere (13), et ob leviores quoque culpas - nondum expiatas - purgatorii poenis mundari debet (14): si autem gravibus onusta peccatis e vita migraverit, in infernum detruditur (15), si vero pura, gratia Dei ornata, meritisque referta sit, in coelum collocatur (16). Ast in mundi consummatione futura erit omnium mortuorum resurrectio (17), quam sequetur iudicium extremum (18) — quo peracto ibunt reprobi *in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam* (19).

2. *Codex* christianus officia Religionis tum *internae*, tum *externae* praescribit. a) Tanquam omnis moralitatis fundamentum et summam Christus proponit dilectionem Dei et proximi, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum; secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetae* (20). Huic fundamento Christus integrum doctrinae suae practicae aedificium superstruxit, et exinde fluentia officia erga Deum, erga alios homines et erga se optime declaravit. — Quoad *officia erga Deum* Christus eum non tam externis, quam internis actibus colendum esse docuit; nam *Spiritus est Deus, et qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (21). Cum amore Dei timorem quoque illum salubrem, qui a peccatis retineat, coniungendum esse, ostendunt illa verba: *Timete eum, qui potest animam et corpus perdere in gehennam* (22). Multo magis autem Christus homines excitavit ad spem firmam et filialem fiduciam in Deum collocandam, qui multo magis quam homines *dabit bona petentibus se* (23). Imo omni anxia sollicitudine reiecta homines primum regnum Dei quaerere et necessaria sibi a paterna Dei providentia exspectare iubentur (24). Neque illis desperandum esse dicitur, qui per peccata a Deo recesserunt, sed cum

(1) Luc. 10, 42; I Cor. 7, 37.
(2) Rom 7, 14 etc.
(3) Eph. 2, 3.
(4) Io. 3, 16.
(5) Io. 1, 14.
(6) I Tim. 2, 6.
(7) Hebr. 2, 17.
(8) Rom. 5, 10.
(9) Io. 15, 5.
(10) Phil. 4, 13.
(11) Matth. 10, 28.
(12) Hebr. 9, 27.
(13) Matth. 12, 36.
(14) Luc. 12, 58. I Cor. 3, 15.
(15) Matth. 7, 19. Luc. 16, 22.
(16) Matth. 5, 8. Luc. 16, 22.
(17) Matth. 24. Io. 5, 28.
(18) Matth. 25.
(19) Ib. v. 46.
(20) Matth. 22, 37 etc.
(21) Io. 4, 24.
(22) Matth. 10, 28.
(23) Matth. 7, 11.
(24) Matth. 6, 24-33

corde contrito et humiliato his ad misericordiam Patris recurrendum est, quod in parabola de filio prodigo egregie proponitur (1). Ceterum Deus honorandus proponitur animo grato pro divinis donis (2), sedula imitatione divinarum perfectionum (3) atque praesertim accurata divinae legis observatione (4). In omnibus autem quae fiunt, ab inani gloria cavendum, quae ipsa opera bona corrumpit (5), et sola gloria Dei quaerenda est (6). — *Officia erga alios homines* adimplenda, seu caritatem proximi Christus summopere inculcavit. Debemus proximum diligere sicut diligimus nosipsos, et sicut Christus dilexit nos. Legem hanc Christus mandato primo aequiparavit (7), *mandatum novum* (8) et specialiter mandatum suum (9) appellavit, ac illius observationem ceu signum distinctivum discipulorum suorum proposuit (10). Ut autem hoc mandatum perfecte observetur, Christus interdicit non solum omnem offensam externam, sed etiam omne verbum caritati contrarium, imo et quamlibet iracundiam, contra proximum in corde conceptam (11), vel sinistrum de eo iudicium (12). Et haec caritas non ad amicos solum et benefactores, sed ad omnes homines extenditur (13). Neque inimici excluduntur, circa quos non solum omnis vindicta prohibetur, sed et grave praeceptum personat: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro calumniantibus et persequentibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos* (14). Erga tribulatos et pauperes misericordia (15) et eleemosyna (16), magnis additis promissionibus, iniungitur, atque pro omnibus hominibus haec regula praescribitur: *Omnia, quaecunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis* (17). Maior autem cura de bono proximi spirituali, quam de corporali praescribitur, quare scandalo severissime interdicto (18) bonum exemplum aliis praebendum omnibus inculcatur (19). — Officia quoque pro varietate statuum specialia, in codice christiano satis clare proponuntur. Filiis erga parentes obedientia et reverentia (20), parentibus officium educandi filios *in disciplina et correptione Domini* (21), servis subiectio erga dominos (22), heris benigna servorum tractatio (23), coniugibus mutuus amor (24), erga principes terrenos obedientia *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (25) atque tributum ipsis praestandum (26), praescribitur. — Quoad *officia erga nosmetipsos* Christus vult, ut nonnisi ad veram perfectionem moralem (27) et per hanc ad aeternam beatitudinem tendamus (28). Ideo monet nos, ut, spretis thesauris terrenis, coelestes quaeramus (29), ut mundi honores fugientes humilitati studeamus (30), ut concupiscentiam, omnium malorum fomitem, reprimamus, abnegantes nosmetipsos (31), nil immundi cogitantes aut desiderantes (32), illecebras et occasiones ad malum, etiamsi tam gratae et utiles forent, sicut oculi, vel manus et pedes a nobis removentes (33), ca-

(1) Luc. 15. (2) Luc. 17, 15 etc.
(3) Matth. 5, 48. (4) Io. 14, 21.
(5) Matth. 6, 1. (6) Matth. 5, 16.
(7) Matth. 22, 38. (8) Io. 13, 34.
(9) Io. 15, 12. (10) Io. 15, 35.
(11) Matth. 5, 22. (12) Luc. 6, 37.
(13) Matth. 6, 46 etc. (14) Matth. 5, 44 etc.
(15) Matth. 5, 7. (16) Luc. 6, 38.
(17) Matth. 7, 18. (18) Matth. 18, 7.
(19) Matth. 5, 16. (20) Eph. 6, 1 etc.
(21) Ib. v. 4. (22) Ib. v. 5.
(23) Ib. v. 9. (24) Eph. 5, 22 et 25.
(25) Rom. 13, 1 etc. (26) Matth. 22, 21.
(27) Matth. 5, 48. (28) Matth. 7, 13.
(29) Matth. 6, 19 etc.
(30) Matth. 18, 3. Luc. 22, 25 etc.
(31) Matth. 16, 24. (32) Matth. 5, 28
(33) Matth. 5, 29 etc.

rissimos nostros, nosmetipsos, ipsamve vitam odio habentes, si destinationi nostrae consequendae obstant (1). Ceterum Christus mandat ut maiorem usque iustitiam, seu sanctitatem esurientes et sitientes (2) ipsasque adversitates et persecutiones patientes (3) ad regnum aeternum pervenire mereamur. — b) Quoad *officia religionis externae* Christus praecepit, ut fides interna, si opus fuerit, externe quoque sine timore et erubescentia manifestetur. Ait enim: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est* (4). Christus quoque ipse orationis formulam proponere dignatus est (5), quae, licet brevis, omnia tamen continet quae a Deo petenda sunt. Praecipue vero oratio publica et communis ceu efficacissima commendatur (6). De cetero Christus, abrogatis legibus Moysis caeremonialibus, paucos ritus praescripsit, et quidem tales, quorum celebratio copiosissimas hominibus gratias confert. Instituit enim sacrificium praestantissimum (7) et Sacramenta, per quae homines vel in statum gratiae redeunt, ut per baptismum (8) et poenitentiam (9), vel in gratia firmantur, ut per confirmationem (10), per Eucharistiam (11), per extremam unctionem (12), et reliqua.

3. *Hierarchicon* christianum ministrorum sacrorum tum statum, tum iura et officia determinat. Christus enim vocavit ad se discipulos, et ex illis elegit duodecim Apostolos, quibus specialiter munus docendi imposuit (13) usque ad consummationem saeculi continuandum, adiecta pro tanto negotio assistentiae suae promissione (14). Iisdem potestatem tribuit, et obligationem iniunxit homines baptizandi (15), Eucharistiam conficiendi (16), peccata vel remittendi vel retinendi (17) et reliqua sacra peragendi. Denique Christus Apostolis omnibus amplissimam potestatem ligandi et solvendi (18), i. e. leges ferendi, iudicandi et coërcendi dedit, ita tamen, ut unus ex ipsis praerogativam potestatis, seu primatum obtinuerit (19). Christus ergo in regno suo spirituali instituit *magisterium authenticum, sacerdotium legale*, et *imperium sacrum*, quod audire, et cui se submittere omnes homines iubentur (20).

Nota. Nonnulli doctrinam Christi, quam cum principiis et systematibus suis philosophicis coniungere tentarunt, haud recte proposuerunt, sed valde corruperunt; quod a Philosophis quoque criticis factum esse lamentantur *Des Cortes, Koestner, Herder* et alii (21). Minime autem tolerari potest *Hegel*, dum asserit, philosophiam suam cum Christianismo penitus convenire Ipsius enim notiones de Deo, de Religione, de Revelatione etc. a doctrina christiana longissime distant (22).

§. 125.

B. Doctrinae christianae excellentia.

Si doctrinam a Christo nobis traditam philosophice consideramus (§. 61), in illa characteres Revelationis *internos* tum *negativos*, tum *posi-*

(1) Luc. 14, 26. (2) Matth. 5, 6.
(3) Ib. v. 10 etc. (4) Matth. 10, 32 etc.
(5) Matth. 6, 9 etc. (6) Matth. 18, 19.
(7) Matth. 26, 26 etc. (8) Matth. 28, 19.
(9) Io. 20, 23. (10) Act. 8, 15.
(11) Io. 6, 57 etc. (12) Iac. 5, 14 etc.
(13) Matth. 10, 5, et 28, 19. (14) Matth. 28, 20.
(15) Matth. 28, 19. (16) Luc. 22, 19.
(17) Io. 20. 23. (18) Matth. 18, 18.
(19) Matth. 16, 18 etc.
(20) Luc. 10, 16; Matth. 18, 17; Cf. Dobmayr t. 3, §. 75 et 76; t. 4, §. 137 et seq., Feier, §. 55-59.
(21) Dobmayr t. 3, pag. 408.
(22) V. Staudenmaier Darstellung des Hegel'schen Systems. n. 2.

tivos inveniri, dubitare non possumus.

1. Nihil sane in Religionis christianae doctrina invenitur, quod vel cum rectis rationis principiis, vel inter se pugnet, vel Deo indignum sit, aut hominis naturae, finique adversetur. Longa enim et saepe hostili octodecim saeculorum crisi nihil tale unquam detegi potuit, difficultatesque, hac in re ab adversariis Religionis christianae motae, solidissime semper solutae fuerunt.

Nota. Quae contra specialia Religionis christianae capita ab incredulis obiici solent, in decursu studii theologici solvuntur. Difficultates in genere contra sanctissimam Christi doctrinam propositas solvunt Klüpfel (1), Liebermann (2), Perrone (3).

2. Doctrina christiana, positive considerata, Deo dignissima est, hominibusque maxime accommodata. In *Symbolo* enim attributa divina optime proponuntur, et illa praecipue, quae homini ad recte vivendum ut norma vel ut motivum inserviunt. Deus ut providentissimus hominum *Pater* repraesentatur, quae notio - sublimis simul et popularis, — tum philosopho, tum idiotae accepta esse debet, quia ad moralitatem promovendam et ad cordis tranquillitatem producendam aptissima est. — Egregie quoque traduntur veritates quae scitu necessariae et rationi imperviae sunt (4). Origo enim corruptionis nostrae non a creatore Deo, non a malo principio, non a natura, homini noverca, sed a peccato originali repetitur, per quod eximia privilegia, homini a Deo benignissime concessa, deperdita, et plurima mala producta fuerunt. Huius autem tristissimae corruptionis remedium invenimus in Christo redemptore, qui per munus propheticum ignorantiae intellectus subvenit, per munus sacerdotale pro peccatis nostris plenissime satisfecit, et per munus regium coërcet depravatam, corroborat infirmam voluntatem nostram. Quid iam Deo dignius et nobis salubrius excogitari potest hoc opere redemptionis? — In hoc apparet infinita iustitia, quae pro offensis infinitam satisfactionem exigit, et infinita misericordia quae illam praestat, quorum divinorum attributorum nexum philosophia nunquam tam dilucido modo explicare valuisset. In hac porro doctrina, sicut et in omnibus quae in symbolo christiano de Dei attributis et operibus, ac de statibus alterius vitae traduntur, efficacissima exhibentur motiva quibus homines ad moralitatem sectandam excitentur. — *Codice christiano* nil excellentius cogitari potest, qui nonnisi ad perfectam moralitatem veramque felicitatem hominis promovendam tendit. — Ethica in illo contenta longe abest ab omnibus gentilis et iudaicae moralis defectibus, — egoismo nempe politicorum, apathia Stoicorum, eudemonismo Epicureorum, mysticismo Essenorum, sensualismo Sadducaeorum, mechanismo Pharisaeorum etc. caeremonialem autem et inanimem Dei cultum, timorem servilem, philautiam crassam etc. corrigit. Ipsa sana ratio non potest nisi approbare praeceptum Evangelii; quo Deum super omnia diligere, et ideo patrem et matrem, uxorem et filios, fratres et sorores posthabere (5) iubemur, si primo et maximo mandato observando impedimentum ponant. — De cetero nihil magis inculcatur, quam praeceptum diligendi proximum sicut seipsum, per quod ipsi felicitati temporali tum hominum privatorum, tum familiarum, tum communitatum,

(1) T. 2, l. 2, §. 65.
(2) T. 1, l. 1, Sect. 2, art. 1.
(3) T. 1, p. 1, c. 1. pr. 2. (4) § 59.
(5) Luc. 14, 26. Cf. Matth. 10, 37.

et integrorum regnorum optime consulitur; plurima enim mala, quietem et felicitatem temporalem destruentia, ex solo debitae caritatis defectu nascuntur, ut egregie ostendit Muratorius (1). Ut autem officia erga Deum et proximum rite adimpleantur, et vitia illis contraria arceantur, securis ad radicem arboris ponitur et sapientissime praescribitur, ut inordinatae ad mundi honores, terrae divitias et carnis delicias propensiones ceteraeque malae passiones, quae ex peccato originali ortae cor hominis perturbant ac in devia pertrahunt, continuo reprimantur. — *Hierarchicon* quoque sapientissime a Christo est constructum. Per magisterium enim authenticum, divina assistentia praeditum, tum unitas in fide, tum persuasio de fide producitur, et sic finis Religionis et Ecclesiae promovetur, illudque hominibus, qui plerumque auctoritate dirigi solent, optime convenit. Per imperium autem sacrum gliscentes inordinationes et irrepentes abusus tolli, et quae ad bonum societatis necessaria sunt, ordinari possunt. Et quia imperium sacrum ex Christi institutione ab imperio civili prorsus distinctum est, ideo Religio christiana finibus politicis, quos non impedit, sed promovet, non subordinatur, nec loco aut tempori adstringitur, sed omnino apta est, ut omnia regna mundi in se recipiat, et regnum Dei morale universale constituat, ad cuius unitatem ostendendam et conservandam praecipue primatus inservit.

Nota. Religionis christianae excellentiam non pauci eiusdem adversarii magnis laudibus extulerunt. Ammianus Marcellinus, historicus gentilis, fatetur, christianam religionem nihil nisi iustum, et lene suadere (2). Plinius iunior (3), et ipse Iulianus Apostata doctrinam moresque Christianorum laudarunt. — Impius auctor Epistolarum persicarum fatetur, moralia Evangelii praecepta infinite praestare iis, quae a sapientissimis totius antiquitatis philosophis tradita fuerunt, atque perfectum esse philosophum, qui sit vere Christianus. I. I. Rousseau: «Scripturarum maiestate, inquit, fateor in admirationem me trahi. Evangelii sanctitatem intimo quodam animi sensu percipio: videte philosophorum libros cum omni sua pompa, quam exigui illi sunt, si cum hoc conferantur. Fierine potest, ut liber adeo sublimis simul et simplex opus humanum sit (4)?» Idem (5) evangelicae moralis pulcritudinem, sanctitatem, veritatem, profunditatem ita extollit prae doctrina philosophorum, ut hanc saepe erroribus contaminatam dicat, illam vero unam esse confirmet, quae sit semper tuta, semper vera, semper unica, sibi semper constans. Inde vero concludit, adeo certam hanc esse, atque infallibilem divinae revelationis notam, ut alio nullo opus sit criterio, vel argumento. — Kantius quoque pro doctrina morali evangelica magna encomia protulit (6). De doctrinae christianae excellentia legi merentur Dobmayr (7) et Cl. Frint (8).

(1) Tr. de car. chr. cap. 2.
(2) Lib. 22, cap. 11. (3) L. 10, Epist. 97.
(4) In Emil, l. 4. (5) In epist. 3, ex mont.
(6) In der Vorrede zum Streit der Fakultaten.
(7) T. 3, §. 78.
(8) T. 5, §. 182-188, et §. 192-208.

§. 126.

C. Doctrinae christianae origo divina.

Doctrinam christianam excellentissimam non viribus mere naturalibus, sed divinae Revelationi adscribendam esse, *ratio* suadet, *Christus* ipse asseruit, et *Deus* insigni testimonio confirmavit.

1. Ipsa profecto ratio, quae pro quolibet effectu rationem sufficien-

tem exposcit, tam sublimis, et salutiferae doctrinae originem altius repetere tenetur, si luculenter appareat, Christum illam mere naturaliter *neque per se* invenire, *neque ab aliis* haurire potuisse. Id autem facile ostenditur. a) Christus enim ex proprio ingenio mere naturali tam excellentem doctrinam invenire non potuisset. Experientia enim docet, praeclarum quoque, ac singulare ingenium, nisi circumstantiae loci, temporis et educationis faveant, vix ultra mediocritatem eniti. Ipsi Philosophi ethnici, maximo ingenio praediti, ab optimis magistris instructi, et in oppidis scientiarum laude florentibus constituti, doctrinam tam sanctam, et ab erroribus liberam invenire haud potuerunt; quomodo id naturaliter valuit vir Nazarenus, ab humilibus parentibus natus, quorum laus fuit a iustitia et probitate, non a litteris, ac scientia, in loco ignobili habitans, et inter rudes educatus? — b) Neque Christus doctrinam suam ab aliis haurire potuit. Eam certe non repetiit *a Gentilibus*, quibuscum consortium non habuit. Licet enim qua infans a parentibus delatus sit in Aegyptum, mox Herode defuncto in patriam reductus fuit. Postea vero nec minimum vestigium apparet, Christum in exteras regiones peregrinationes instituisse, et cum Ethnicis conversatum esse: neque eorum libros, inter Iudaeos maxime raros, utpote pauper, sibi comparare potuit, et si potuisset, tam sanctam et erroribus expertem doctrinam nullibi invenisset. — Etiam *a Iudaeis* eam haurire non valuit. Religio enim mosaica, licet divinitus revelata, perfectionem tamen doctrinae christianae non attigit. Praeterea ipsa religio mosaica illo tempore valde corrupta fuit per falsas traditiones et spurias doctrinas tum Pharisaeorum, tum Sadducaeorum, tum Essenorum; quomodo solus vir Nazarenus dispersas veritates colligere, ab omnibus nationis suae praeiudiciis liberare, et ad universalem generis humani religionem elevare potuisset? — Profecto ipsa ratio excellentissimae doctrinae christianae originem sine singulari divini Numinis interventu explicare non potest, et ideo ceu divinitus revelatam statuere tenetur.

2. Origo doctrinae in mente alicuius absque dubio est factum, quod non tam per ratiocinia, quam potius per authentica testimonia ostendendum est. Nemo autem melius cognoscere, et apertius contestari potest, undenam doctrina hausta fuerit, quam eiusdem auctor et praeco. — Ast Christus ipse saepe contestatus est, se doctrinam suam non per vires mere naturales acquisivisse, sed a Deo, Patre suo, accepisse, a quo se ad homines erudiendos et salvandos missum esse asseruit. Sic. Io. VII, 16 etc. ait: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar.* Io. VIII, 26, inquit: *Qui me misit, verax est, et ego, quae audivi ab eo, haec loquor in mundo;* v. 38: *Ego, quod vidi apud Patrem, loquor:* v. 40: *Veritatem locutus sum, quam audivi a Deo* (1). — Christus ergo satis clare se ceu legatum divinum professus est, atque doctrinam suam a divina petiit revelatione. — Testimonium vero hoc Iesu Christi de origine suae doctrinae omnem meretur fidem, utpote a) editum ab eo, qui ab omni vel fraudis, vel fanatismi suspicione immunissimus fuit, ut ex ipsius charactere apparet (2); b) confirmatum tum mirabili vita (3), tum atrocissima morte, in testimonium verita-

(1) Cf. Io. 15, 15; 17, 8.

(2) § 103.

(3) § 102.

tis tolerata (1); c) consentiens cum persuasione coaevorum, qui stupore abripiebantur, cum eum docentem audierunt, et dicebant: *Unde huic sapientia haec* (2)? vel: *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit* (3)? et Luc. IV, 22 legitur: *Omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius, et dicebant: Nonne hic est filius Ioseph?* — per quae verba satis ostenditur, coaetaneos, qui vitam Christi noverant, eiusdem sapientiam naturaliter sibi explicare non potuisse.

3. Deus visibili et mirabili signo Christum ceu Legatum suum declaravit; dum enim Iesus a Ioanne baptizatus esset, *apertum est coelum, et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, et vox de coelo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi* (4); Alia vice Christus coram Petro, Iacobo et Ioanne *transfiguratus est.— Et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes - ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens: hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite* (6)! quibus verbis Christus, Moysi et Eliae non solum comparatus, sed qua Filius illis longe praelatus, ceu singularis Legatus Dei, ac divinae revelationis praeco magnificentissimam sanctionem obtinuit (6).

Nota. Quae in baptismo et transfiguratione Christi mira contigerunt, nonnulli per fulmen et tonitru explicare tentarunt; at-tali modo a clara et consentienti trium Evangelistarum (7) narratione longe recesserunt, totius antiquitatis persuasioni contradixerunt, et adversantia rationi protulerunt, quae neque in tonitru articulatas voces admittere, neque, si miri nil contigit, in praesentibus - praecipue apud baptismum Christi - cogitationem de dilecto filio Dei statuere potest.

(1) Io. 18, 37. I Tim. 6, 13.
(2) Matth. 13, 54. (3) Io. 7, 15.
(4) Luc. 3, 21 etc. (5) Matth. 17, 2 etc.
(6) Dobmayr §. 79-83.
(7) Matth. l. c. Marc. 1, 9 etc. et c. 9. Luc. 3, 22, et c. 9. (8) §. 66.

ARTICULUS II.

De miraculis a Christo patratis.

§. 127.

Cuilibet Evangelia legenti patet, Christum, dum doctrinam suam praedicaret, plurima atque stupenda miracula patrasse, aquam in vinum mutando, panes multiplicando, omnis generis aegrotos sanando, daemones eiiciendo, mortuos vitae restituendo, seipsum resuscitando etc. — Ut autem exinde solidum pro Religionis christianae divinitate argumentum petatur, eorundem miraculorum *veritas historica, philosophica et relativa* probanda est (8).

Nota 1. Tractatio haec summi momenti est, nostro praecipue aevo, quo haud infrequens nisus invaluit, omnia, quaecunque supernaturalia et mira dicuntur, naturaliter explicandi, quocunque id modo fiat.

Nota 2. Facta Christi stupenda, quae rectissime a nobis miracula dicuntur, in sacris novi Testamenti libris leguntur, quos genuinos, integros, et fide dignos esse, sect. 1, c. 2 probatum est. Ex eadem probatione constat, scriptores, qui facta Christi mira enarrant, pollere dexteritate, vi cuius de factis debitam notitiam habuerunt, et sinceritate, qua nonnisi vera enarrare voluerunt, atque ideo eorum testimonia omnem fidem mereri. Dubitare ergo non licet, facta vere ita contigisse, prout in Evangeliis narrantur. Probata igitur iam veritate historica miracu-

lorum Christi, eorundem *veritas* dumtaxat *philosophica* et *relativa* probanda restat.

§. 128.

A. Miracolorum Christi veritas philosophica.

Facta extraordinaria, quae de Christo in Evangeliis narrantur, talia sunt, ut facile sit probare, illa per vires mere naturales perfici non potuisse, sed per virtutem divinam producta esse, ac ideo veram miraculorum naturam in se habere. Ut id pateat, facta, quae ut miracula proponuntur, philosophice consideranda sunt. Possunt autem ista commode in quinque classes distingui, nimirum I. in *facta circa naturam inanimatam patrata*, II. in *sanationes aegrotorum*, III, in *curationes daemoniacorum*, IV. in *resuscitationes mortuorum*, et V. in *miracula quae Christus patravit in semetipso* (1).

Nota. In factis inquirendis et diiudicandis non licere phantasiae indulgere, et ex hac adiuncta mutare, aut circumstantias affingere, sed scriptorum fide dignissimorum narrationi stricte insistendum esse, ratio iubet et Philosophia docet.

§. 129.

I. Miracula in natura inanimata.

Christus varia miracula patravit, quibus se Dominum naturae ostendit. a) In Cana Galilaeae ad nuptias invitatus, deficiente vino, aquam a ministris in sex hydrias lapideas infusam derepente in vinum sat generosum mutavit (2), cuius mirabilis mutationis tum architriclinus et sponsus, tum ministri, hospites, et praecipue discipuli Christi testes fuere, qui ideo et *crediderunt in eum* (3). Momentanea autem unius substantiae in aliam mutatio per vires naturales certe perfici non potest. Neque occulta et subdola aquae effusio, et vini infusio in sex hydrias lapideas possibilis fuisset, quin a circumstantibus animadverteretur (4). —b) Cum motus magnus factus esset in mari, ita, ut navicula, in qua erat Christus cum discipulis, iam operiretur fluctibus, et discipuli, imminens naufragium pertimescentes, exclamarent: *Domine, salva nos, perimus!* — Christus, e somno expergefactus *imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna* (5). Naturaliter haec contingere non poterant, cum nullius hominis imperium ventos sedare valeat; et si ex casu contigisset, ut ad imperium Christi ventus quiesceret, oscillationes tamen maris vehementer commoti iuxta leges physicas successive tantum deficere potuissent. Repentinam ideo tum aëris, tum maris tranquillitatem omnes eventui praesentes mirati sunt, dicentes: *Quis est hic, quia venti et mare obediunt ei?* —c) Alia vice cum discipuli essent in medio mari, eorumque navicula iactaretur fluctibus, Iesus *venit ad eos ambulans super mare* (6). Petrus quoque a Christo vocatus *descendens de navicula, ambulabat super aquam* (7). Talis ambulatio naturaliter explicari nequit, quia iuxta leges naturae corpus specifice gravius in aquam mergi necesse est: qui vero dicunt, Christum vel natasse, vel in littore ambulasse, a narratione historica penitus resiliunt. — d) Christus bis panes et pisces mirabili modo multiplicavit. Prima vice quinque panibus et duobus piscibus saturavit quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis: et cum tanta hominum multitudo saturata esset, *tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum ple-*

(1) Cf. Frint t. 3, §. 102 etc.
(2) Io. 2, 1 etc. (3) Ib. v. 11.
(4) Cf. S. Chrysostom Hom. 22 in Io.
(5) Matth. 8, 23 etc. Marc. 4, 37 etc. Luc. 8, 22 etc.
(6) Matth. 14, 24 etc. (7) Ib. v. 29.

nos (1). — Secunda vice saturavit septem panibus et paucis pisciculis *quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres;* — et *quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas* (2). Naturaliter certe tam exiguo panum et piscium numero nec plurium millium hominum multitudo saturari, nec tanta reliquiarum copia remanere potuit. Vera ergo hic alimentorum multiplicatio contigit, quae soli virtuti divinae est adscribenda. Neque admitti potest, quod Horus effutiit, turbas victum necessarium secum attulisse, cum expresse legatur de ipsis: *Non habent quod manducent* (3); et de Christo: *Dabat discipulis suis, ut apponerent, et apposuerunt turbae* (4). Eodem modo insulsum est, asserere, panes iam antea in antris et cavernis absconditos, et postea a discipulis eductos fuisse; id enim nulli monumento historico innixum, et paupertati Christi vix non impossibile, occulto modo fieri non potuisset. Quomodo ergo Evangelistae id tam audacter ut miraculum enarrare, et turbae sic in admirationem abripi potuerunt, ut Christum regem facere vellent (5)?

§. 130.

II. Sanationes aegrotorum.

Christus plurimos aegrotos et omnis generis infirmos sanavit, et sic non solum virtutem suam divinam, sed etiam caritatem suam erga homines manifestavit. Nam *circuibat Iesus totam Galilaeam - sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo* (6). Ideo *omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes* (7). Cum Iesus esset secus mare Galilaeae *accesserunt ad eum turbae multae, habentes secum mutos, caecos, claudos, debiles, et alios multos, et proiecerunt eos ad pedes eius, et curavit eos: ita ut turbae mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, caecos videntes, et magnificabant Deum Israël* (8). Istos autem aegros Christus plerumque sanavit vel solo vocis imperio, uti caecum (9), paralyticum (10), vel simplici tactu, ut socrum Simonis febricitantem (11), vel verbo et tactu simul, ut leprosum (12), surdomutum (13). — Dantur autem nonnullae infirmorum curationes, praecipue memoratu dignae: a) Christus enim sanavit diu decumbentes, quos medici curare nullo modo poterant. Sic Christus languidum, triginta et octo annos habentem in infirmitate sua ita curavit, ut audito praecepto Christi surgeret, tolleret grabatum suum et ambularet (14), quod naturaliter fieri non potuisse, omnes testantur, qui experientia edocti sciunt, quid per plures solum hebdomadas decumbentibus contingat. — Praeterea Christus mulierem, quae erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, et in medicos erogaverat omnem substantiam suam, in eodem momento, quo fimbriam ipsius tetigit, perfecte sanam constituit (15). Aliam mulierem, quae habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo, et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere, per impositionem manuum illico sanavit (16). Quis iam sanae mentis tactui fimbriae, vel manuum impositioni talem longaevas infirmitates sanandi virtutem naturalem adscribet? — — b) Christus absentes quoque,

(1) Matth. 14, 16 etc. Io. 6, 5 etc.
(2) Matth. 15, 30. Marc. 8, 1 etc.
(3) Matth. 15, 32. (4) Marc. 8, 6.
(5) Beda Mayr l. c. § 224, n. 1.
(6) Matth. 4, 23
(7) Luc. 6, 19. Cf. Matth. 14, 35 etc. Marc. 3, 10. Luc. 4, 40 etc.
(8) Matth. 15, 30 etc.
(9) Matth. 10, 46 etc.
(10) Matth. 9, 6, etc.
(11) Matth. 8, 15.
(12) Ib. v. 4 etc.
(13) Matth. 7, 33 etc.
(14) Io. 5, 8.
(15) Luc. 8, 43.
(16) Luc. 13, 11 etc.

et longe dissitos, qui ipsum nec audire, nec videre poterant, sanavit, ut servum Centurionis (1), filium reguli (2) et filiam mulieris chananaeae (3); quaenam autem pro talium gravissimorum morborum curatione momentanea causa naturalis excogitari potest, in qua omnis influxus tum physicus, tum moralis impossibilis fuit? — c) Christus denique etiam tales infirmorum curationes peregit, quarum veritas per inquisitionem forensem, ab infensissimis adversariis institutam, extra omne dubium posita fuit: id contigit circa languidum ad piscinam (4), circa hominem habentem manum aridam, et in conspectu adversariorum illam ex praecepto Christi extendentem (5), et praecipue circa caecum a nativitate, quem curaturus Christus *expuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos eius, et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloë: abiit ergo, et lavit, et venit videns* (6). Inauditam hanc curationem sagacissimi Pharisaei post laboriosam indagationem negare non poterant, et quis illam naturaliter vel luto, quod oculos obfuscare debuit, vel lotioni per aquam peractae adscribet? Cum in caecis a nativitate essentialis defectus in pupilla oculi adesse soleat, eorundem curatio, quae novae pupillae productionem requirit, mediis naturalibus perfici haud potest.

Nota. Verum omnino est, aegros etiam naturaliter sanari posse, sed ad id perficiendum medicamentis et longiori tempore opus est: vera enim et gravis infirmitas unica prolata voce, aut simplici tactu sanari nequit, quod in confesso est apud omnes, neque repentina gravis aegritudinis sanatio naturaliter contingere potest, quia natura iuxta legem continuitatis saltum nescit. — Inepte etiam nonnulli asserunt, Christum in Aegypto arcanas artes didicisse, et per has tot stupendas curationes perfecisse. Nam Christus paucis infantiae annis in Aegypto versatus est, quia ceu puer duodennis iam a Nazareth Hierosolymam venit. Et si Christus in Aegypto tales artes didicit, cur illi illas non didicere, qui in adulta aetate diutius ibi commorati sunt? — Demum ars nulla ipsam naturam superare potest, cum ipsius viribus legibusque innitatur. — Prorsus absonum quoque est dicere, per vivam fidem in animo excitatam perturbatum nervorum et membrorum organismum in ordinem redigi, et sic aegrum sanari posse: experientia enim contraria est, quae ostendit, medicos maxima auctoritate et eloquentia pollentes tali modo graviter infirmos curare nullatenus posse. Christum non tali modo sanationes perfecisse, apparet ex eo, quia etiam absentes curavit; et in praesentibus quoque, nisi iam stupenda miracula praecessissent, viva et firma fides excitata non fuisset.— Perperam tandem miraculis Christi opponuntur ea, quae per magnetismum animalem peracta fuisse dicuntur. Per hunc enim caecis visum, surdis auditum, mutis loquelam, graviter et diu decumbentibus illico perfectam et constantem sanitatem tributam fuisse, nullo exemplo ostendi potest. Plurima sane commentitia sunt, quae de magnetismi virtute et effectibus iactitantur (7). Quae autem naturaliter explicari non possunt, daemoni recte adscribuntur, cuius operatio tum ex consensu voluntatis requisito, tum ex inhonestis actibus et effectibus, tum

(1) Matth. 8, 5 etc.
(2) Io. 4, 46 etc.
(3) Matth. 15, 22 etc.
(4) Io. 5, 1-16.
(5) Matth. 12, 9 etc.
(6) Io. 9, 6 etc.
(7) Cf. Kathol. Blätter aus Tirol 1844, Nr. 10 et 11.

ex aliis hincinde circumstantiis elucet (1).

§. 131.

III. Curationes daemoniacorum.

Christus saepius dominium suum in spiritus malignos seu daemones ostendit, quos ex hominum corporibus imperio suo expulit. Duo talis expulsionis exempla praecipue notanda sunt. a) Matth. VIII, 28 etc. de Christo narratur: *Cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum occurrerunt ei duo habentes daemonia, de monumentis exeuntes, saevi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamaverunt dicentes: Quid nobis et tibi, Iesu fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens. Daemones autem rogabant eum dicentes: Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, et ecce impetu abiit totus grex per praeceps in mare, et mortui sunt in aquis.* — Daemones, spiritus maligni, hominibus potentiores naturali modo per unam emissam vocem, *ite*, expelli nullatenus possunt. Christus ergo virtutem, ipsis daemonibus superiorem i. e. divinam ostendit, cum ex istis hominibus non unum sed *multa daemonia* eiecit, quae se *legionem* vocarunt (2). Permisit autem Christus ipsis in gregem porcorum ingredi, illumque praecipitare in mare, tum ad veritatem miraculi confirmandam, tum ad avaritiam, sensualitatem, legi mosaicae contrariam, atque incredulitatem Gerasenorum iuste puniendam. b) Luc. XI, 14 etc. de Christo legitur: *Erat eiiciens daemonium, et illud erat mutum. Et cum eiecisset daemonium locutus est mutus, et admiratae sunt turbae.* Hoc miraculum ita erat evidens, ut nec Pharisaei (3) infensissimi Christi hostes illud negare ausi sint, sed solum virtuti diabolicae illud adscripserint dicentes: *In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia.* Christus vero huius asserti absurditatem ostendens ait: *Si Satanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum eius? — — porro si in digito Dei eiicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei:* quibus verbis divinam suam virtutem, quam eiiciens daemonia manifestavit, satis clare asseruit.

Nota. Non desunt qui vere a daemone obsessos tempore Christi extitisse negant, et per *daemoniacos* nonnisi tales intelligendos esse putant, quia mania, phrenesi, morbo comitiali, vel simili laborabant. — Ast qui ita sentiunt, longe recedunt a recta interpretatione S. Scripturae, quae apertissime a reliquis aegrotis distinguit daemoniacos, in quorum etiam denominatione varii termini e. g. daemonia (4), spiritus immundi (5), Beelzebub (6), Satanas (7) etc. occurrunt (8). Praeterea, si per daemoniacos naturali morbo laborantes intelliguntur, maxima vi haud raro narratio evangelica contorqueri debet: sic e. g. nonnisi absono modo dici potest, morbum quemdam tam insolitas per longius tempus vires praebuisse, *ut nemo posset transire per viam illam*, morbum rationabiliter cum Christo locutum esse, eundemque ex hominibus egressum in porcos intrasse etc. — Absonum quoque est dicere, Christum, qui omnia gentis suae praeiudicia, cunctosque errores maxima solertia emendare sategit, se erroneae tempo-

(1) Cf. Die Religion mit Hilfe der neuern Celebrsamkeit n. nachgewiesen 2, B. II, II. Würzburg 1857. Stachel'sche Buchhandlung.
(2) Luc. 8, 30.
(3) Matth. 9, 34.
(4) Matth. 4, 24.
(5) Marc. 5, 11.
(6) Luc. 11, 15.
(7) Ib. v. 18.
(8) Cf. Matth. 10, 1.

ris sui opinioni accommodasse, praecipue cum etiam coram solis discipulis suis persuasionem suam de veris obsessis non solum non retractaverit, sed potius confirmaverit (1). Assertio demum, per daemoniacos nonnisi naturali morbo affectos intelligi, totius antiquitatis consensioni contradicit; quae semper contrarium sensit, et de influxu daemonum in res sublunares, ac praecipue tum in animas tum in corpora hominum non dubitavit. — (2).

§. 132.

IV. Resuscitationes mortuorum.

Christus tres vere ac certe mortuos ad vitam resuscitavit. a) Filia enim Archisynagogi vere mortua erat, quod pater asseruit (3), servi nuntiarunt (4) et puellae defunctae adstantes ita crediderunt, ut Christum deriderent, cum mortem non negans, sed somno comparans, diceret: *Non est mortua puella, sed dormit.* Hanc vero Christus tactu et verbo ita ad vitam revocavit, ut statim surgeret et ambularet. — b) Iuvenis in Naim tam certe mortuus erat ut iam ad sepulcrum delatus sit: quis vero prudens dubitabit, matrem viduam non omnem sollicitudinem adhibuisse pro unico filio suo, ne apparenter mortuus sepeliretur? Sed Christus funeri obviam factus et erga matrem plorantem misericordia motus adolescentem tactu loculi et imperio vocis vitae restituit, quod multi viderunt, et ideo stupore abrepti Christum ut prophetam magnum venerati sunt (5). c) De morte Lazari, quam Christus longe a Bethania dissitus apostolis annuntiavit, tum plorantes illius sorores, tum omnes, qui ad ipsas consolandas venerant, plenam persuasionem habuerunt. Foetor quoque, e corpore emanans, certissimum mortis indicium erat. Et quomodo in monumento, lapide occluso, ligatus institis faciemque sudario velatam gerens per quatuor dies sine nutrimento vivere potuisset? vel quomodo clam ipsi nutrimentum porrigi potuisset, quin adventantium turba id observaret? Ipsi adversarii Christi qui hoc miraculum aegerrime tulerunt, nihilominus de morte Lazari ne minimum quidem dubium moverunt.— Lazarum vero mortuum Christus in praesentia plurimorum solo imperio vocis ad novam vitam resuscitavit (6). Mortuum autem naturalibus mediis ad vitam revocari non posse, omnis tum recta Philosophia, tum continua experientia testatur(7).

Nota. Non defuere, qui miracula Christi, quae naturaliter explicari haud possunt, allegorice, seu mythice exponenda esse dixerint. Sic Woolstonus, anglus, asserere non erubuit, per Lazarum mortuum et resuscitatum non intelligi nisi hominem spiritualiter per peccatum mortuum, et per poenitentiam vitae spirituali restitutum. Sententiam suam iste incredulus duplici argumento munire conatus est; nam, ait, ex sensu litterali contradictio oritur, quia de eodem Lazaro dici posset: mortuus est et vivit; et ipsi SS. Patres per Lazarum mortuum peccatorem, et per Lazarum redivivum poenitentem intelligunt. — Sed misera omnino est Woolstonii argumentatio. Contradictio enim adesset, si Lazarus eodem tempore mortuus et vivus diceretur, non autem si, ut refert evangelica historia, asseritur, Lazarum vixisse, dein mortuum, et postea virtute divina iterum vitae restitutum esse. Si vero SS. Patres

(1) Matth. 17, 20. Marc. 9, 28.
(2) V. Frint t. 3, § 112 etc. Goerres christliche Mystik 4. B. Perrone tom. 3, p. 1, cap. 3.
(3) Matth. 9, 18.
(4) Luc. 8, 49. Marc. 5, 35.
(5) Luc. 7, 11-17.
(6) Io. 11, 1-33.
(7) Cf. Ild. Schwarz t. 1, n. 4, § 33.

Lazari historiam pro doctrina morali applicant, ideo tamen sensum litteralem nullatenus negant, sed veritatem miraculi a Christo patrati non solum admittunt, at etiam contra adversarios propugnant, uti constat de Origene, S. Chrysostomo, S. Augustino et aliis. Generatim Evangelistae stilo simplici et candido facta historica enarrant, quae, praecipue si adiuncta tum praecedentia, tum subsequentia attendantur, nonnisi cum maximis difficultatibus et absurditatibus mere allegorice exponi possunt (1).

§. 133.

Resurrectio Christi.

Omnium miraculorum veluti sigillum est Resurrectio Christi. Haec iam *in se aesthetice sublimis* dicenda est, quia in illa e statu infimae exinanitionis gressus ad statum summae exaltationis conspicitur. Resurrectio *Deo est gloriosissima*, cuius omnipotentia, sapientia, iustitia et bonitas ex illa clare elucent. *Pro Christo* resurrectio est optima apologia et praeclarissimum praemium. *Pro Religione christiana* est resurrectio firmissimum fundamentum ac veritatis sigillum. *Omnibus hominibus* resurrectio Christi est solatio, quibus futuram carnis resurrectionem promittit. — Christus non solum coram discipulis resurrectionem suam praedixit (2), sed etiam coram adversariis ad illam, ceu ad miraculum miraculorum provocavit, dicens: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (3); et: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus* (4). — Apostoli quoque maximi fecerunt magistri sui resurrectionem, illamque, ceu religionis a se praedicatae, fundamentum declararunt, ita, ut Paulus diceret: *Si Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra* (5); solidis ideo argumentis resurrectio Christi probanda est.

1. Veritas resurrectionis dominicae ex tribus factis, quae negari nullo modo possunt, clarissime eruitur. Christus enim *vere mortuus est*, ipsius corpus exanime *in sepulcrum positum*, et post tres dies *non amplius in illo inventum est*, quod nonnisi *per gloriosam resurrectionem* explicari potest. a) Christum vere mortuum esse, omnes quatuor Evangelistae testantur: Matthaeus ait: *Iesus - clamans voce magna emisit spiritum* (6); Marcus: *Emissa voce magna exspiravit* (7); Lucas: *Haec dicens exspiravit* (8); Ioannes: *Inclinato capite tradidit spiritum* (9).— Praeterea ab eodem Ioanne, teste oculari, narratur, milites latronum adhuc viventium crura fregisse, *ad Iesus autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura; sed unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua* (10). Ipsi ergo milites de vera Christi morte testes extiterunt. Et si Christus ibi vere mortuus non fuisset, iam propter lateris transfixionem mori debuisset, quia effluxus sanguinis et aquae ostendit, ipsum cor, vel pericardium transfixum fuisse, quo vulnerato homo naturaliter vivere non potest. Separatio quoque aquae a sanguine certissimum mortis indicium fuit. Demum Pilatus quoque ex testimonio Centurionis de morte Christi certus fuit; alias corpus ipsius Iosepho ab Arimathaea

(1) V. Beda Mayr. tom. 5, §. 224, n. 4.
(2) Matth. 16, 4. (5) Io. 2, 19.
(4) Matth. 12, 40. (5) I Cor. 15, 14.
(6) 27, 50. (7) 15, 37.
(8) 23, 46. (9) 19, 30.
(10) Io. 19, 33. etc

non concessisset. — His rite consideratis nonnisi vesanus dicere potest, Christum, qui iam ante crucifixionem, tot tantaque passus fuerat, apparenter solum mortuum fuisse. — b) Iosephus ab Arimathaea, cum corpus Christi exanime a Pilato accepisset, *involvit illud in sindone munda, et posuit illud in monumento suo novo quod exciderat in petra* (1); et *in quo nondum quisquam positus fuerat* (2). Dein *advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit* (3). *Altera autem die convenerunt principes sacerdotum, et pharisaei ad Pilatum dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium; ne forte veniant discipuli eius et furentur eum, et dicant plebi: surrexit a mortuis, et erit novissimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus.* Tam stulti et imprudentes principes sacerdotum et pharisaei certe non fuerunt, ut sigillum et custodiam sepulcro apponerent, quin certo scirent corpus Christi in illo contineri; vel saltem postmodum imprudentiam suam confessi essent ad resurrectionem negandam, de quo tamen nec verbum legitur. Dubitari ergo non potest *altera die* corpus Christi vere adhuc in sepulcro fuisse. — c) Sed post tres dies corpus Christi non amplius in sepulcro fuit: huius quoque facti multi testes adsunt. Piae enim *mulieres* corpus in sepulcro non invenerunt, sed angelum, qui ait ad illas de Christo: *Surrexit non est hic* (4). — Deinde *Petrus* et *Ioannes*, venientes ad monumentum non invenerunt corpus, sed sola linteamina, quibus Christi corpus involutum fuerat, et sudarium quod fuerat super caput eius (5). *Custodes* quoque sepulcri, terraemotu perterriti, venerunt in civitatem, et *nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quae facta fuerant.* Hi autem *congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus* (6). Ergo infensissimi Christi adversarii testes sunt, corpus ipsius post triduum in sepulcro haud fuisse; alias illud extractum ostendissent, et apostolos, resurrectionem praedicantes, confudissent, et non ad absurdum mendacium confugissent, et in huius confirmationem *testes dormientes* adhibuissent. — d) Corpus autem Christi e sepulcro evanescere non potuit nisi per gloriosam resurrectionem. — Extiterunt quidem nonnulli, qui asseruerunt, corpus Christi vel a scissa per terraemotum terra absorptum, vel a discipulis, ostium monumenti aperientibus, aut per cuniculos terram effodientibus, aut per occultum aditum accedentibus ablatum fuisse. Sed haec omnia absona sunt. Nam - si terra scissa corpus Christi absorpsisset, quomodo linteamina et sudarium in sepulcro remanserunt? — scissura petrae utique visibilis manere debuit, et cur illam principes Sacerdotum et Pharisaei, resurrectionem Christi omni modo negare tentantes, non observarunt? — Discipuli pro timido suo charactere non ausi fuissent ad sepulcrum accedere, et si voluissent corpus Christi abripere, propter custodes appositos non potuissent. Neque aditus per cuniculos ad sepulcrum aperiri potuit, quod in petra excisum erat, quin custodes id ani-

(1) Matth. 27, 60. (2) Luc. 23, 53
(3) Matth. ib. (4) Matth. 28; Marc. 16.
(5) Io. 20, 3 etc.
(6) Matth. 28, 11 etc.

madverterent. Occultus autem aditus - nullo historico monumento probandus - a Iosepho ab Arimathaea certe non antea praeparatus fuit, et in illo triduo sine maximo labore et rumore praeparari non potuit. Dicendum ergo omnino est, corpus Christi nullo naturali modo e sepulcro evanuisse, sed illud mirabili modo - i. e. per gloriosam resurrectionem sepulcro ereptum esse (1).

2. Christum propria virtute e sepulcro surrexisse testantur apostoli et evangelistae, qui verba Angeli citant, ad mulieres de Christo dicentis: *Non est hic; surrexit enim sicut dixit* (2). Resurrectionem Christi cum variis adiunctis enarrat etiam S. Ioannes (3). Petrus illam intrepide annunciavit in prima concione Hierosolymis habita exclamans: *Hunc Iesum resuscitavit Deus, cuius omnes nos testes sumus* (4). Idem in prima sua epistola scribit: *Benedictus Deus, qui regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi a mortuis* (5). Paulus ait: *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium* (6). Idem Athenis in Areopago resurrectionem Christi ad probandam veritatem suae doctrinae annuntiat, dicens, quod Deus sit *fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis* (7).

3. Apostoli vero cum aliis multis resurrectionem Christi contestati sunt, non solum quia corpus ipsius e sepulcro evanuit, sed multo magis, quia Christum redivivum et viderunt et audierunt et palparunt. Christus enim post gloriosam suam Resurrectionem saepius se conspicuum reddidit. Apparuit enim *Mariae Magdalenae* in forma hortulani (8), *mulieribus* a monumento redeuntibus (9), *discipulis duobus* euntibus in Emmaus (10), singulariter *Simoni Petro* (11), *Apostolis* omnibus, excepto Thoma, quibus perterritis se palpandum praebuit (12); et iterum, cum *Thomas* adesset, quem digitum in fixuram clavorum et manum in latus mittere iussit (13); *pluribus discipulis* ad mare Tiberiadis (14) et *undecim Apostolis* in Galilaea in monte, ubi constituerat illis Iesus (15). Teste Paulo, Christus redivivus ***visus est plus quam quingentis fratribus simul*** (16). Christus autem non obiter et momentanee Apostolis apparuit, sed amice cum ipsis conversatus est, cum ipsis manducavit ipsosque docuit. Legitur enim: *Praebuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei* (17). Tandem videntibus Apostolis Christus elevatus est, et gloriosissime in coelum ascendit (18). Apostoli ergo circa resurrectionem Christi certe non fuerunt decepti, nec voluerunt decipere, et si voluissent, non potuissent, quia per corpus Christi - in sepulcro ostensum, omnino confusi fuissent: ipsorum ergo unanime testimonium omnem fidem meretur.

4. Magni semper momenti est, ut attendatur, qualem effectum testimonium prolatum apud coaevos producat, an ut verum suscipiatur, an ut falsum reiiciatur. Ast - licet rumor de corpore Christi a discipulis abrepto sparsus fuerit, — nihilominus Hierosolymis plurimi Apostolis, resurrectionem Christi annuntiantibus, crediderunt. Nam in prima Petri concione tria, et in secunda quin-

(1) Print t. 3, §. 120-130.
(2) Matth. 28, 6. Marc. 16, 6. Luc. 24, 6.
(3) C. 20 et c. 21.
(4) Act. 2, 32.
(5) I Petr. 1, 3.
(6) I Cor. 15, 20.
(7) Act. 17, 31.
(8) Io. 20, 14.
(9) Matth. 28, 9.
(10) Luc 24, 13 etc.
(11) Luc. 24, 34.
(12) Io. 20, 19-25.
(13) Ib. 26 etc.
(14) Io. 21, 1 etc.
(15) Matth. 28, 16 etc.
(16) I Cor. 15, 6.
(17) Act. 1, 3.
(18) Marc. 16, 19 etc. Luc. 24, 50 etc. Act. 1, 10 etc.

que hominum millia fidem susceperunt (1). Principes sacerdotum et magistratus doluerunt quidem, quod apostoli Iesu resurrectionem annuntiarent, atque hanc praedicationem omni modo prohibere conati sunt (2), sed tamen apostolos nec ut violatores sepulcri, nec ut deceptores punierunt; multi quoque ex sacerdotibus amplexi sunt Christi fidem (3). Sic pedetentim fides in resurrectionem Christi, non obstantibus adversariorum conatibus, universalis facta est ita, ut Ecclesia christiana ab incunabulis resurrectionem Christi tum in symbolis suis professa sit, tum instituto festo Paschatis solemniter celebraverit (4).

Nota. Quo maius, ac firmius argumentum pro religionis christianae veritate ex resurrectione Christi exsurgit, eo magis hanc revelationis adversarii omni tempore impugnare consuevere. Multas difficultates proposuit auctor anonymus, cuius fragmenta edidit Lessingius. Rationalistae quoque, qui sicut a doctrinis suprarationalibus, ita et a factis supernaturalibus abhorrent, e. gr. G. Paulus, Wegscheider et alii, Christi resurrectionem vel negare audent, vel naturaliter explicare tentant. Praecipuae saltem difficultates solvendae sunt.

Obi. 1. Narratio de custodia sepulcro apposita fidem non meretur, quia solus Matthaeus illam contestatur; et mulieres, si illa adfuisset, ad sepulcrum accedere ausae non fuissent: ipsi demum Apostoli ad illam nunquam provocabant.

Resp. Silentium trium evangelistarum non est nisi argumentum negativum: solus Matthaeus est testis fide dignus . eo magis, quia in eadem regione, in qua factum contigit, evangelium suum exaravit, ubi ipsius testimonium facile infirmari potuisset, si falsum fuisset, quod tamen nunquam factum est. — Mulieres fidenter ad sepulcrum accesserunt, quia de custodia - altera die sepulcro apposita - nihil cognoverunt. — Apostoli ad custodiam noluerunt provocare; quoniam certius ipsis videbatur esse, quod experimento sensuum didicerant: quare dixerunt, nos eum vidimus, cum eo sumus locuti, eumque contrectavimus.

Obi. 2. Testimonia de Resurrectione Christi fidem non merentur, quia Evangelistae in eiusdem adiunctis enarrandis sibi aperte contradicunt. Sic non concordant quoad tempus, quo ad sepulcrum venerunt mulieres; nam Matth. XXVIII, 1 dicitur id factum esse *vespere sabbati*, Marc. XVI, 2, *valde mane — orto iam sole*, Io. XX, 1 *cum adhuc tenebrae essent*. Praeterea unius tantum Angeli meminerunt Matthaeus et Marcus, duorum Lucas et Ioannes. Stetisse Angelos, ait Lucas XXIV, 4; sedisse eos testantur Marcus l. c. et Ioannes XX, 12. Sermones quoque Angelorum ad mulieres inter se non concordant: varius quoque a variis mulierum numerus assignatur. Propter istas et alias contradictiones tot historia de Christi resurrectione suspecta redditur.

Resp. Contradictiones, quas obiiciunt adversarii, non sunt nisi apparentes, et saepe iam tum a SS. Patribus *S. Chrysostomo*, *S. Ambrosio*, *S. Augustino*, *S. Cyrillo Alex.*, et a recentioribus Exegetis *Cornelio a Lapide*, *Calmet* et aliis solide solutae sunt. Nonnulli quidem putarunt, per vesperam sabbati revera tempus vespertinum intelligendum, et intervallum admittendum esse inter ea, quae Matth. XXVIII, 1 narrantur, et ea,

(1) Act. 2, 41, 44.
(2) Act. 4, 2 etc. (3) Act. 6, 7.
(4) V. Ild. Schwarz tom. 1, n. 35. Waibl. Dogm. 4, Abf. n. 75-77.

quae sequuntur, hoc fere modo: Vespere sabbati, seu sabbato finito, venerunt mulieres videre sepulcrum: postea domum reversae emerunt aromata, et *ecce terraemotus* factus est magnus, et mulieres valde mane venerunt ad monumentum. Alii autem rectius cum *S. Augustino* dicunt, etiam Matthaeum loqui de tempore matutino; nam in textu graeco non legitur ἑσπέρᾳ, sed ὀψὲ δὲ σαββατων; ὀψε autem idem dicit ac *sero* transacto iam sabbato longo intervallo, cum nox iam esset in sequentem diem inclinata: quod clarius fit per ea, quae sequuntur, *quae lucescit in prima sabbati*, id est, cum iam *prima* dies *sabbati*, id est, hebdomadae illucescere coepisset (notum enim est, apud Hebraeos sabbatum et totam hebdomadam, et septimum hebdomadae diem appellari): convenit ergo S. Matthaeus cum Marco dicente: *cum transisset sabbatum — valde mane una* (id est prima die) *sabbatorum veniunt ad monumentum*, et cum Luca XXIV, 1: *Una sabbati valde diluculo veniunt ad monumentum.* Neque his contradicit Ioannes per verba: *cum adhuc tenebrae essent;* nam, ut observat *S. Augustinus* (1), Ioannes locutus est de tempore, quo mulieres aedibus suis egressae fuerunt, cum adhuc erant tenebrae, Marcus autem de tempore, quo venerunt ad sepulcrum, *orto iam sole*, seu, iuxta textum graecum, *oriente sole*, quo fit, ut tenebrae incipiant dissipari. Dici quoque posset, Mariam Magdalenam maturius ad sepulcrum festinasse, et sublatum quidem lapidem, non autem Angelum vidisse, et paulo serius cum ceteris mulieribus ad sepulcrum venisse. — Reliqua facile conciliantur, si plures admittantur itus et reditus; plures Christi, et Angelorum apparitiones. Si Matthaeus et Marcus unum tantum Angelum commorant, qui mulieres affatus est, alterum a Luca et Ioanne commemoratum reticent quidem, sed non negant. Sermones quoque Angelorum quoad substantiam penitus concordant; annuntiant nempe Christi resurrectionem; quaedam autem verba ab uno Evangelista adducuntur, et ab aliis reticentur. Quando Maria accessit, Angeli sedebant; stabant vero, cum ingressae sunt ceterae mulieres, vel etiam *stare* et *sedere* significat praecise, ibi praesentem esse, ut ex multis Scripturae locis compertum est, ex. gr. Luc. IX, 27: *Sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei.* Denique neque Ioannes ait: Mariam Magdalenam solam, neque Matthaeus duas tantum, neque Marcus tres solummodo ad monumentum venisse. Recte ideo Cl. *Klüpfel* (2) egregiam hanc obiectionum solutioni apponit observationem: « Ex apparentibus id genus antilogiis firmatur potius resurrectionis veritas; si enim Evangelistae et Apostoli ex condicto egissent, nil fuisset facilius quam apparentes istiusmodi antilogias evitare, quemadmodum solent, qui fallere cupiunt. »

Obi. 3. Si Christus vere resurrexit, cur solum apostolis et amicis suis apparuit? cur non populo, principibus sacerdotum, pharisaeis, et aliis inimicis suis se conspicuum reddidit, per quod resurrectio extra omne dubium posita fuisset? —

Resp. Huic quaestioni varia reponi possunt. a) Praeprimis sufficiens responsio datur, dicendo, Christum inimicis suis non apparuisse, quia noluit se ipsis conspicuum reddere: nam, ait *Origenes* Celso, hoc idem obiicienti (3), non ad homines pertinet patrandorum miraculorum modum seu ordinem praestituere.

(1) De cons. Evang. cap. 24.

(2) Inst. theol dogm. lib. 2, § 87, not. 5, n. 17.
(3) L. 2, n. 63.

Satis sit nosse, ipsum primum Petro, tanquam Apostolorum principi, deinde undecim Apostolis, ac demum plusquam 500 fratribus simul apparuisse. b) Iudaei post tot vaticinia et miracula in incredulitate perseverantes indigni omnino erant, quominus Christum in statu exaltationis viderent. c) Neque certo dici potest Iudaeos incredulos, viso Christo redivivo, rectam fidem suscepturos fuisse. Sicuti enim, quia praeiudiciis, ac passionibus obcaecati fuerant, reliqua stupenda miracula, ita etiam ipsam resurrectionem virtuti daemoniacae adscripsissent. d) Magnum quoque detrimentum enasci potuisset, si Iudaei, praeiudiciis suis de Messia, rege temporali potentissimo inhaerentes, Christum in statu exaltationis conspexissent. Facillime enim contingere potuisset, ut, eo viso et pro Messia habito, confestim contra Romanos rebellionem agerent; ab his autem pressi, et victi Hierosolymis includerentur, quam tristem sortem tunc etiam Apostoli experti, et sic in praedicatione evangelii maxime impediti fuissent. Sapientiae ergo divinae, quae, ut ait S. Bernardus, non solum potenter, sed et prudenter omnia perficit, maxime consonum fuit, Christum redivivum Iudaeis, inimicis suis non visibilem fieri. e) Iam vero Iudaei tum ex eo, quia corpus Christi non obstantibus custodibus e sepulcro evanuit, tum ex Apostolorum unanimi testimonio satis certi esse poterant de Resurrectione Christi. Hanc autem, ut praecipuam religionis christianae veritatem, voluit Deus manifestam fieri per Apostolos, quos ceu doctrinae suae praecones praeordinavit. Ideo Petrus (1) dicit de Christo: *Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, — non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo, — nobis, qui manducavimus et bibimus, cum illo, postquam surrexit a mortuis. Et praecepit nobis praedicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum.*—

Obi. 4. Christus praenuntiaverat se resurrecturum *post tres dies* (2), tum mansurum *in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus* (3). Atqui nonnisi per integrum diem iuxta evangelistas fuit Christus in corde terrae.

Resp. Christus non quidem tribus diebus completis, sed tamen incompletis in sepulcro fuit. Sepultus enim fuerat in parasceve, per totum sabbatum in corde terrae permansit, et prima hebdomadae die, instante iam ortu solis, surrexit. Hebraei autem, qui noctem diei initium computabant, duas noctes cum partibus primi et tertii diei tres dies, et tres noctes vocabant, tempus incompletum pro completo habentes, ut in omnibus fere linguis pars diei, mensis, anni, dies, mensis, annos per synecdochen dici solet (4). Christus ergo Hebraeorum morem secutus est, cum de tribus diebus locutus fuerat: neque difficultatem facessit, quod tribus diebus etiam tres noctes iungantur, quia adest Hebraismus, qui idem significat quod graeca vox Νυχθήμερον, et iuxta Rabbinos sive pro sola die, sive pro sola nocte usurpatus fuit. Christum praedictionem suam sic intellexisse, apparet ex locis parallelis. Alibi enim de Filio hominis dixit: *tertia die resurget* (5). Neque aliter verba Christi ipsi Iudaei intellexerunt, qui ad Pilatum dixerunt: *Iube custodi-*

(1) Act. 10. 41 etc.
(2) Marc. 8, 31.
(3) Matth. 12, 40.
(4) Gen. 42, 17 et 18. Deut. 14, 28. Esther 4, 16, coll. c. 6. 1.
(5) Luc. 18, 33.

ri sepulcrum usque ad diem tertium (1).

Obi. 5. Non potest admitti, Christum in sensu stricto resurrectionem suam praedixisse, quia in ultimo cum discipulis suis colloquio (2) de ista nec verbum protulit, et ipsi Apostoli eandem credere noluerunt, licet sepulcrum vacuum vidissent, et mulierum testimonium audivissent. Imo - quia Christus, ianuis clausis ad Apostolos intravit, omnino dicendum est, ipsum post resurrectionem non corpus verum, sed phantasticum habuisse, de quo ipsi Apostoli persuasi erant. Ideo narratio de Christi resurrectione pro mytho poëtico, vel ad summum historico - poëtico habenda est. Ita Rationalistae recentiores.

Resp. Silentium Christi de sua resurrectione in ultimo cum discipulis colloquio non est nisi argumentum negativum, quod positiva, quae adsunt, infringere nequit. Sed non obscure resurrectio in praedicto colloquio indigitatur, cum Christus ad Apostolos ait: *Modicum, et iam non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me* (3); et - *nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum* (4). Si Apostoli in credenda Christi resurrectione ab initio duriores erant, id ipsorum culpae imputandum est, quia vel Christi praedictiones non rite intellexerunt, vel a firma in ipsius verba fide defecerunt, ab ipso Christo ideo reprehensi (5). Christus autem post resurrectionem verum corpus materiale, et palpabile habuit, quod ideo a corpore phantastico penitus distinxit (6). Si autem ianuis clausis ad discipulos ingressus est, id supernaturali modo factum est. — In historia autem resurrectionis, ad quam Apostoli ut ad praecipuum Religionis christianae argumentum provocant (7), mythum poëticum, vel historico - poëticum invenire, vanissimum figmentum est, cui tota antiquitas contradicit, et quod refutatione non indiget. (Plures obiectiones solvunt Beda Mayr (8), Frint (9), Perrone (10).

(1) Matth. 27, 64. Cf. Stolberg G d. R. J. 5, §. 55. Perrone t. 1, n. 322 etc.
(2) Io. c. 15, c. 17. (3) Io. 16. 16.
(4) Ib. v. 22. (5) Marc 16. 14.
(6) Luc. 24, 39 (7) 1 Cor. 15, 14 etc.

§. 134.

B. Miraculorum Christi veritas relativa.

Christum ad ostendendam suam divinam missionem, et ad confirmandam doctrinam suam, quam ut divinitus acceptam proposuit (11), miracula patrasse, apparet ex clarissimis *ipsius verbis*, quibus *in genere* et *in specie* ad illa provocavit, et *ex testimonio Apostolorum*, qui eundem finem illis assignarunt.

1. Discipulis S. Ioannis Baptistae, quaerentibus, an ipse sit dudum promissus, et expectatus Messias, Christus, qui *in ipsa hora multos curavit a languoribus et plagis*, etc. respondit: *Euntes renuntiate Ioanni, quae audistis et vidistis, quia caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: et beatus est quicunque non fuerit scandalizatus in me* (12). Miracula in hoc loco apertissime in testimonium divinae missionis adducuntur. — Alibi cum Christus Iudaeis, ipsum de violato sabbato falso accusantibus reposuisset, se omnia simul cum Patre operari (13), et cum hoc intime unitum esse, postea addit: *ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me* (14). Iterum cum Iudaei ipsi acclamarent: *Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam; respondit eis*

(8) T. 3, §. 225-231. (9) L. c. §. 152-140
(10) L. c. n. 285-325. (11) §. 126.
(12) Luc. 6, 21 etc. Cf. Matth. 11, 4 etc.
(13) Io. 5, 17 etc.
(14) Io. 5, 36.

Iesus: Loquor vobis, et non creditis. Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me (1). *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre* (2). Hoc idem discipulis suis in ultima coena dixit: *Pater*, ait, *in me manens ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite* (3). Redarguens denique Iudaeorum incredulitatem ait: *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum* (4). — Nullo autem modo admitti potest, per opera, ad quae Christus provocavit, solummodo actiones bonas, seu vitam sanctam intelligi. Nam inter opera Christi etiam miracula continentur, ergo ad haec quoque provocatio extenditur. Imo haec praecipue intelligenda esse, variae rationes commonstrant. Nam Christus provocat ad opera, *quae nemo alius fecit*, haec pro se in testimonium adducit, cum de malis actionibus perperam accusatur (5), inter opera Patri, et Filio propria suscitationes mortuorum recenset(6), et in loco parallelo (7) ipsa miracula expresse nominat.

2. Dantur quoque varia miracula, in quibus patrandis Christus finem suum specialiter declaravit. De primo miraculo legitur: *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae, et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius* (8). In sanatione paralytici dixit ad Iudaeos: *Ut sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam* (9). Antequam curaret caecum a nativitate, inquit: *Neque hic peccavit, neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo: me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est* (10). Resuscitaturus Lazarum *Iesus elevatis sursum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quoniam semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti. Hoc cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras* (11). — Cum Iudaei signum peterent, ex quo divinam Christi missionem agnoscant, hic ad resurrectionem suam ceu ad signum praestantissimum provocavit dicens: *Generatio mala, et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae etc.* (12). Quis iam neget, Christum per haec miracula suam divinam missionem ostendere voluisse? —

3. Hunc fuisse miraculorum finem, individui Christi discipuli optime agnoverunt. Ideo in Christum ob signa, quae fecerat, credendum esse, perpetuo asseruerunt. Iam Nicodemus ad Iesum dixit: *Scimus, quia a Deo venisti magister: nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi Deus fuerit cum eo* (13). Petrus ut divinam Christi missionem probet, provocat ad eius transfigurationem, et vocem e coelo delapsam, *quam*, ait, *nos audivimus de coelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto*(14). Paulus resurrectionem Christi ceu publicum et irrefragabile veritatis testimonium affert(15). — Generatim Apostoli praedicarunt, et Evangelistae conscripserunt miracula, ut fidem in Christum producerent et firmarent. Quare S. Ioannes ait;

(1) Io. 10, 25. (2) Ib. v. 38.
(3) Io. 14, 10. (4) Io. 15, 24.
(5) Io. 5. (6) Ib. v. 21.
(7) Luc. 7, 19. (8) Io, 2, 11
(9) Matth, 9. 6. (10) Io. 9, 3 etc.
(11) Io. 11, 41 etc. (12) Matth. 12, 39.
(13) Io. 3, 2. (14) II Petr. 1, 18.
(15) I Cor. 15, 14 etc

Multa quidem et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc; haec autem scripta sunt ut credatis. quia Iesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius (1). Exinde patet, Apostolis quoque persuasum fuisse, miracula a Christo in confirmationem doctrinae traditae patrata esse.

Nota. Non defuerunt, qui relativam miraculorum Christi veritatem impugnantes, asseruerunt, Christum per miracula, quae fecit, nullatenus suam doctrinam ut divinam probare voluisse. — Rationes autem, quas pro asserto suo proposuerunt, nullius sunt ponderis, et facile confutantur.

Obi. 1. Christus hincinde vetuit miraculi a se patrati propalationem. Sic. e. g. leproso sanato dixit: *vide, nemini dixeris* (2). Et cum surdomuto aurium, et linguae usum concesserat - *praecepit illis, ne cui dicerent* (3). Sed si in doctrinae confirmationem miracula patrata fuissent, eorundem publica manifestatio promoveri debuisset.

Resp. Christum plurima miracula patrasse, et quidem ad suam divinam missionem ostendendam, et doctrinam confirmandam iam ostensum fuit. Non opus fuit, ut cuique miraculo iste finis praefigatur. Rationes esse poterant, ut de miraculo patrato silentium sapientissime iniungatur. Nam illius publica manifestatio pro certis temporis, loci, et personarum adiunctis noxia magis, quam proficua esse potuit. Dein Christus, qui non solum verbis, sed et exemplis nos docere voluit, silentium de patratis a se miraculis imponens, ostendit nobis, quomodo nos benefacta nostra in oculis hominum celare potius, quam propalare debeamus. Denique iuxta notam indolem mentis nostrae, qua nitimur in vetitum, ipsa prudens silentii impositio maioris manifestationis causa fieri potuit, quod actu contigit post surdo muti curationem, quia legitur: *quanto autem eis praecipiebat, tanto magis plus praedicabant, et eo amplius admirabantur dicentes: bene omnia fecit* (4).

Obi. 2. Christus noluit per miracula divinam suam missionem et doctrinam probare. Illos enim reprehendit, qui ad hoc miracula exigebant. Sic Regulo dixit: *Nisi signa et prodigia videritis non creditis* (5). Sic pariter nullum miraculum perficere voluit, cum Pharisaei signum de coelo petierunt (6), cum Herodes sperabat signum aliquod ab eo fieri (7), et cum ipsi in cruce pendenti multi acclamarent: *Si rex Israël est, descendat nunc de cruce, et credimus ei* (8). Christus ergo noluit per miracula homines ad fidem perducere.

Resp. Si Christus illos reprehendit, qui non crederunt, nisi signa viderint, hisce verbis arguit tum regulum de infirma fide, qua corporalem Christi praesentiam ad sanandum puerum necessariam putavit (9), tum Galilaeos, qui facta in Capharnaum audiverant, et tamen nova miracula propriis oculis videnda exigebant (10), de incredulitate. Iure autem Christus miracula negavit Pharisaeis, Herodi et aliis, qui petierunt ex mera curiositate, vel ex malo animo, ut ipsum calumniarentur, et qui propter duritiam cordis prorsus indigni erant, ut miracula viderent. — Neque divinae sapientiae consonum esset, placitis hominum patrandorum miraculorum modum relinquere. Ideo Christus miracula

(1) Io. 20, 30 etc. (2) Matth. 5, 4.
(3) Marc. 7, 36. (4) Marc. 7, 37.
(5) Io. 4, 48. (6) Matth. 12, 38.
(7) Luc. 23, 8. (8) Matth. 27, 42.
(9) Greg. M. Hom. 28 in Ev.
(10) Luc. 4, 23 etc.

perfecit, quando voluit, et quomodo voluit, ut divinam suam missionem probaret. A cruce descendere noluit, ut statum exinanitionis compleret et morte sua nos redimeret, sed per solem obscuratum, per velum templi scissum, per terram commotam et per resurrectionem gloriosam Divinitatem suam satis ostendit (1).

§. 135.

Continuatio.

Certo iam constat de veritate historica, philosophica et relativa miraculorum Christi, ex quo iure concluditur, Religionem christianam vere esse divinitus revelatam. Vera enim miracula nunquam edi in confirmationem falsitatis possunt. Quam parum enim Deus mentiri, tam parum vel levissimum mendacium sua auctoritate interposita, aut quod idem est, auctoritate miraculi confirmare potest; utrumque divinis perfectionibus Sanctitati, Bonitati, Providentiae adversum est, et praesertim summo amori veritatis, quem in Ente infinito pariter sine fine, sine mensura statuere debemus.

Nota. Firmissimo huic argumento increduli sequentia adhuc opponere solent.

Obi. 1. Si miracula vere ita contigissent, ut in Evangeliis narrantur, omnes Iudaei fidem in Christum amplecti debuissent. Sed contrarium accidit. Nam plurimi ex Iudaeis, praecipue doctiores et nobiliores, Principes synagogae, Pharisaei etc., in incredulitate permanserunt: ergo miracula tam firmum argumentum pro religione christiana non constituunt.

Resp. a) Si multi ex Iudaeis in Christum non crediderunt, non pauci tamen fidem in Christum amplexi sunt, inter quos etiam nobiles et docti e. gr. Nicodemus, Zachaeus, Iosephus ab Arimathaea, Gamaliel, Paulus, multi ex principibus et ex ordine sacerdotali (2). Primae Ecclesiae christianae tum Hierosolymis, tum in aliis Iudaeae regionibus fundatae ex Iudaeis potissimum constabant. Si miracula ementita fuissent, horum fides maximum miraculum dicendum foret. b) Facile quoque est, incredulitatis reliquorum Iudaeorum rationem assignare. Praeconceptam enim opinionem habebant de Messia, quem ceu regem potentissimum adventurum esse credebant, qui eos a Romanorum iugo liberaret: ideo Christo pauperi et humili adhaerere recusarunt. Praeterea Christus principum sinagogae et pharisaeorum, quorum hypocrisin redarguit, odium et invidiam incurrit. Quis autem nescit, homines per praeconceptas opiniones et per inordinatas passiones ita obcaecari, ut plena luce non videant? — c) Ipsi sane Iudaei miracula Christi non negarunt, sed pro malo suo in Christum animo virtuti magicae seu diabolicae adscripserunt, dicentes: *In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia* (3). Ideo stupenda quoque miracula in ipsis fidem rectam non produxerunt. d) Demum ad hanc rite concipiendam gratia superna requiritur, qua plurimi ex Iudaeis, uti iam a prophetis praedictum erat, per legis mosaicae praevaricationes se indignos reddiderunt. Eorundem ergo incredulitas nullo modo veritatem miraculorum Christi labefactare potest.

Obi. 2. Magi quoque in Aegypto miracula patrarunt, de quorum veritate historica et philosophica dubitari nequit, quia in S. Scriptura (4) enarrantur, et miraculis Moysis aequiparantur. Neque dubitandum est ipsos haec mira patrasse, ut contra

(1) Frint l. c. §. 145 - §. 449.
(2) Io. 12, 42. Act. 6, 7.
(3) Luc. 11, 15.

Moysen auctoritatem suam tueantur. Sed tamen per haec miracula ipsorum doctrina ut vera et divina probata non fuit. Ergo neque per miracula Christi veritas Religionis ab ipso traditae probatur, praecipue si attendatur, quod Christus per virtutem daemoniacam mira peregerit, quod de ipso Iudaei passim asserebant (1).

Resp. a) Magos in Aegypto vera miracula patrasse, iure à plerisque negatur. Non enim idem, sed quid *similiter* fecisse cum Moyse dicuntur, et quidem per arcanas et occultas artes (2). — Maxime profecto distabant ea, quae Magi perfecerunt, ab iis, quae a Moyse et Aarone patrata sunt. Serpens enim Aaronis devoravit serpentes Magorum, quos in sinu absconditos proiecerant. Conversae sunt per Moysen aquae omnes et fluvii et paludes et rivi in sanguinem: magi nonnisi parvam aquarum mensuram, — colore rubro probabilius tinctam - in sanguinem specie tenus mutarunt. Ranas aliquas captas, et occultatas produxerunt, sed non ut Moyses tam copiosas, quae operuerunt terram Aegypti. Quartum Moysis miraculum imitari nullo modo poterant, quia scyniphes vivos capere, abscondere et producere non valebant. Ex quo iam apparet, magos nonnisi per artes occultas naturales miracula Moysis imitari conatos fuisse. Eccur rex non ad magos confugit, ut mala pellerent, sed semper Moysen interpellavit, ut finis imponatur? — ipsi utique magi infirmitatem suam, et Moysis supernaturalem virtutem fassi sunt, dum stupentes exclamarunt: *Digitus Dei est hic.* — b) Si autem etiam concederetur, quod post nonnullos Patres quidam Theologi asseruerunt, magos supernaturalia prodigia perfecisse, ideo tamen vis argumenti, ex miraculis Christi petiti, nullo modo infringitur. Dicendum enim tunc est, magos virtute diabolica illa prodigia perfecisse, et Deum id permisisse, tum quia doctrina magorum idololatriae deditorum iam talis erat, ut nemo in necessarium errorem impingeret, tum quia ipsa prodigia daemoniaca per Moysen confusa veris miraculis maiorem splendorem addiderunt. Quod autem de magis dictum est, de Christo certe dici non potest. Christum enim non virtute daemoniaca, sed potestate divina miracula sua patrasse, apparet ex ipsius tum vitae (3), tum doctrinae (4), sanctitate, qua posita homines in necessarium errorem impingere deberent, quod Deus nunquam permittit (5). Imo talia miracula Christus perfecit, quae a daemone nunquam perfici possunt, ut est e. gr. resuscitatio mortui (6).

(1) Luc. 11, 15. (2) Ex. 7, 11.
(3) §. 120 et 121. (4) §. 124 et 125.

ARTICULUS III.

De prophetis a Christo prolatis.

§. 136.

Quoniam Moyses et prophetae non solum doctrina et miraculis, sed etiam vaticiniis inclaruerant, conveniens omnino erat, ut et ultimus et maximus propheta, ac perfectissimae revelationis praeco eodem charactere insigniretur. — Christus autem revera prophetias protulit; nam varia praedixit tum circa *fata sui ipsius*, tum circa *fata discipulorum suorum*, tum circa *fata urbis Hierosolymae et nationis iudaicae*. Prophetiae autem istae tales sunt, ut omni iure ex illis argumentum pro Religionis christianae divinitate petatur.

Nota. Harum prophetiarum veritas historica quoad debitum tempus, quo prolata fuerunt, iisdem argumentis probatur, quibus veritas hi-

(5) §. 66. Obi. 3 etc.
(6) Cf. Klüpfel t. 1, §. 20 not.

storica miraculorum probata fuit. Veritas autem historica quoad eventum rite secutum, uti etiam veritas philosophica et relativa commonstranda venit. Ideo prophetias a Christo prolatas iam indagare oportet.

§. 137.

). Prophetiae de fatis Christi.

1. Christus suam futuram passionem et mortem, sicut etiam gloriosam resurrectionem clare praedixit. Ascendens enim Hierosolymam ad discipulos suos ait: *Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget* (1): idem locus sic refertur in Marco: *Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus, et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum, et tertia die resurget* (2). Gloriosam autem resurrectionem Christus praedixit etiam coram adversariis (3), ita quidem, ut isti de facta praedictione nullatenus dubitantes custodiam sepulcro apponendam a Pilato petierint (4).

2. Omnia autem quae Christus praedixit, ad amussim impleta sunt. Nam Christus a Iuda principibus sacerdotum traditus fuit (5), et ministri *tenentes Iesum duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi scribae et seniores convenerant* (6); *qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis* (7). *Mane autem facto... vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato praesidi* (8), qui *Iesum flagellatum tradidit eis, ut crucifigerent* (9); *et exspuentes in eum acceperunt arundinem, et percutiebant caput eius* (10), *et postquam illuserunt ei - duxerunt eum, ut crucifigerent* (11). Cum autem Christus post tot et tam acerba tormenta in cruce mortuus fuisset, tertia, sicut praedixerat, die a mortuis resurrexit (§. 133).

3. Quae Christus de sua passione et morte praedixit, naturali sagacitate praevideri non poterant. Verum equidem est, Christum novisse animum principum sacerdotum, et pharisaeorum, qui persaepe machinabantur ipsius mortem, a qua autem inferenda absterrebantur a plebe, Christo singulariter favente (12). Quamdiu igitur favor populi perdurabat, tamdiu pro vita Christi nil timendum esse videbatur. Sed paulo post factam praedictionem (13) populus Christum Hierosolymam ingressum cum ingenti gaudio excepit (14). Quis iam tam subitaneam populi mutationem, et tam varia sibi succedentia passionum genera naturaliter praevidere potuisset? — Praecipue certum genus mortis ingenium mere humanum determinare non valuisset. Iudaei enim ius gladii non habuerunt, sed toleratum fuit a Romanis, ut Religionis causa impetu facto aliquem extra urbem raperent et lapidarent; quod circa Christum iam tentaverant (15) et in Stephano actu perfecerunt (16). Naturaliter ergo lapidatio et non crucifixio Christi praevidenda erat. Resurrectio autem per vires naturales non perfici, et ideo nec praevideri potuit. Christus autem certe non ex alio fine fata sua discipulis praedixit, nisi ut omniscientiam suam ostendendo ipsos in fide firmaret, et spe futurae resurrectionis consolaretur. Imo no-

(1) Matth. 20, 17 etc.
(2) Marc. 10, 33, etc. cf. Luc. 18, 31.
(3) Io. 2, 19. Matth. 12, 4.
(4) Matth. 27, 62.
(5) Matth. 26, v. 15 et v. 48
(6) Ib. v. 57. (7) Marc. 14, 64.
(8) Matth. 27, 2. (9) V. 26.
(10) V. 30. (11) V. 31. (12) Luc. 22, 2.
(13) Matth. 20. (14) Matth. 21.
(15) Io. 10, 31. (16) Act. 7 57.

bis quoque se Christus per has prophetias ut verum legatum divinum monstravit, qui non obstantibus passionibus plurimis praevisis intrepide tamen Hierosolymam petiit, *ut testimonium perhibeat veritati* (1).

§. 138.

II. Prophetiae de fatis discipulorum Christi.

Christus circa fata futura discipulorum suorum varia praedixit. a) Licet enim fidelitatem suam protestati essent (2) tamen ipsorum infidelitatem et fugam instante passione sua clare praenuntiavit dicens: *Omnes vos scandalum patiemini in ista nocte: scriptum est enim: percutiam pastorem, et dispergentur oves* (3). b) Et cum, his auditis, Petrus responderet: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor* (4), ait illi Iesus: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis* (5). — c) Magnas persecutiones Christus discipulis Evangelium suum praedicantibus praedixit; ait enim: *Tradent vos in conciliis, et in sinagogis suis flagellabunt vos; et ad praesides, et ad reges ducemini propter me in testimonium illis, et gentibus..... et eritis odio omnibus propter nomen meum* (6). d) Petrum crucifigendum esse, Christus praedixit, sic ipsum affatus: *Amen dico tibi: cum esses iunior cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas et alius te cinget, et ducet quo tu non vis* (7): in quae verba addit Evangelista: *Hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset dicit ei: sequere me:* i. e. eandem, ut ego, mortem sustine. — e) De Ioanne autem Christus vaticinatus est, eum non ut Petrum crucifigendum, sed vitam suam usque ad excidium urbis Hierosolymae protractum esse: ideo dixit: *Sic eum volo manere, donec veniam* ad ultionem de Iudaeis sumendam (8).

Nota. In textu graeco locus citatus ita legitur: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere*: sed de efficaci Christi voluntate, Ioannem conservandi usque ad adventum Christi haec verba intellexerunt discipuli, inter quos *sermo exiit, quod discipulus ille non moritur* (9). Errarunt quidem, dum verba Christi de eiusdem ultimo adventu in die iudici intellexerunt; ac ideo candide S. Ioannes dicit: *Non dixit ei Iesus: non moritur* (10), sed non errarunt, dum de longaeva Ioannis vita verba Christi interpretati sunt (11).

2. Quae Christus de discipulis suis praedixerat actu evenerunt. a) Cum enim Iesus ab inimicis suis comprehenderetur, *tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt* (12). b) *Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis, et cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum ait: Et tu cum Iesu Nazareno eras. At ille negavit dicens: Neque scio, neque novi quid dicas: et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit. Rursus autem cum vidisset illum ancilla coepit dicere circumstantibus: quia hic ex illis est. At ille iterum negavit. Et post pusillum rursus qui astabant, dicebant Petro: Vere ex illis es, nam et Galilaeus es. Ille autem coepit anathematizare et iurare: quia nescio hominem istum, quem dicitis. Et statim gallus iterum cantavit* (13). c) Apostoli iam in initio praedicationis suae ad principes sa-

(1) Io. 18, 37. Cf. Zimmer S. I. 22[illegible] etc.
(2) Marc. 14, 31 [illegible] (3) Matth. 26, 31.
(4) Ib. 33. (5) V. 34.
(6) Matth. 10, 22. (7) Io. 21, 18.
(8) Io. 21, 22. (9) Io. 21, 22.
(10) Ib. v. 23.
(11) V. Cornelium a Lap. in h. l.
(12) Matth. 26, 56.
(13) Marc. 14, 66 etc.

cerdotum et magistratus ducti (1), carceribus mancipati (2), flagellis caesi (3), contumeliis affecti sunt (4). Et multo plura, atque acerbiora Apostolos in decursu praedicationis suae ubique locorum sustinuisse, historia ecclesiastica testatur (5). d) Petrum Romae cruci suffixum esse, testatur Tertullianus (6), Eusebius (7), Athanasius (8), Hieronymus (9), multique alii e) Ioannem supervixisse excidium urbis Hierosolymae usque ad tempora Traiani scribunt Irenaeus (10), Eusebius (11), Epiphanius (12), Hieronymus (13) et alii. —

3. Quae Christus de discipulis suis praedixit, consistunt in actionibus libere, et contingenter futuris, quae naturaliter praevideri non poterant. a) Quis enim vel probabile solum putare potuisset, discipulos magistrum suum, cuius tot miracula stupenda viderant, statim ac comprehensus esset, ad unum omnes derelicturos esse? — b) Cognitus quidem erat Christo Petri sat inconstans et volubilis animus, sed tamen nulla sagacitate naturali tum numerus, tum tempus negationum determinari potuit. c) Idem dicendum est de persecutionibus Apostolorum, quae praevideri poterant in genere, sed non in specie, prout Christus illas praedixit. d) Nullo autem naturali modo praevideri poterat, post plures annorum decades Petrum praecise per crucifixionem vitam finiturum esse. e) Et quis per vires mere naturales longaevam alicui vitam praenuntiare potest, cum haec a millenis circumstantiis pendeat, quae praevideri non possunt? Minime id de Ioanne dici naturaliter potuisset, qui ut Apostolus et Evangelista in medio luporum constitutus nulla die de morte violenta securus erat. — Allatas autem de fatis discipulorum prophetias Christus non nisi ex saluberrimo consilio protulit, ut illis, quos ad propagandam religionem suam destinavit, se ut verum Prophetam ostenderet, ipsosque tentationis tempore in fide solidaret. Ideo post praedictas diras persecutiones ait: *Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini* (14).

(1) Act. c. 4, v. 1 et 6; c. 5, v. 27, etc.
(2) Ib. 4, 3, 5, 18. (3) Act. 5, 40.
(4) Ib. v. 41. (5) V. Sandini hist. apostol.
(6) Scorp. c. 15. (7) L. 2 Hist. eccl., c. 24.
(8) Apol. de fuga sua.
(9) Catal. de script. eccl.
(10) L. 2 adv. haer., c. 39.

§. 139.

III. Prophetiae de excidio urbis Hierosolymae

1. Christus horrenda tum urbis Hierosolymae, tum nationis iudaicae fata cum circumstantiis praecedentibus, concomitantibus et subsequentibus clarissime praenuntiavit. Praecipua huius celeberrimi vaticinii capita sunt sequentia. a) Ante urbis excidium *consurget gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiae et fames, et terraemotus per loca* (15), *terroresque de coelo, et signa magna erunt* (16). *Haec autem omnia initia sunt dolorum* (17). b) *Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos* (18); ergo Apostoli ante ruinam urbis occidendi praedicuntur, excepto Ioanne, de quo contrarium praedictum fuit (19). c) Sed tamen *praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe* (romano), *in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio* (20). d) *Multi pseudoprophetae surgent, et seducent multos* (21) — et *pseudochristi dabunt signa magna, et prodigia ita, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (22). e) Abominatio desolationis videbitur *stare in loco sancto* (23). f) Breve tempus tunc aderit, quo discipuli Christi per fu-

(11) L. 3 hist. eccl., c. 3.
(12) Haer. 51, § 12.
(13) In Daniel. c. 9.
(14) Io. 16, 1.
(15) Matth. 24, 7.
(16) Luc. 21, 11.
(17) Matth. 24, 8.
(18) Ib. v. 9.
(19) Io. 21, 22.
(20) Matth. 24, 14.
(21) Ib. v. 11.
(22) Ib. v. 24.
(23) Ib. v. 15.

gam in montes se salvent (1). g) Postmodum tota urbs ab exercitu inimico circumdabitur (2), imo etiam vallo circumcingetur, et ex omni parte coangustabitur (3). h) *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet* (4). i) Tandem urbs expugnabitur, et penitus destruetur: ait enim ad illam Christus: *Ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem* (5); et hoc idem de templo in specie praedixit (6). k) Expugnata autem urbe et eversa, Iudaei *cadent in ore gladii et captivi ducentur in omnes gentes, et Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum* (7). l) Tempus denique praedictarum calamitatum his verbis determinatur: *Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant* (8).

2. Vaticinio Christi eventus exacte respondit. a) Mortuo enim Nerone in variis provinciis maximi tumultus, rebelliones, praelia et bella exarserunt, praecipue quia plures imperialem Romanorum dignitatem ambierunt (9). Iudaei quoque contra Romanos insurrexerunt, sed illorum plura millia Hierosolymae, Caesareae et Alexandriae necata sunt, ut refert Iosephus Flavius (10). Pestis anno p. Ch. n. 66 grassata est per Italiam teste Tacito (11). Fames sub imperatore Claudio quater adfuit, nempe Romae anno secundo, in Palaestina (12) anno quarto, in Graecia anno nono, et iterum Romae anno undecimo imperii sui (13). Terrae motus in Campania, et apud Idumaeos refert Iosephus Flavius (14), qui etiam terrores de coelo et signa, excidium urbis praecedentia, contestatur, ut e. g. exercitus visos in aëre pugnantes, auditas lamentabiles voces circa templum: *Abeamus hinc* etc. b) Omnes Apostolos, excepto Ioanne, iam ante urbis excidium post plurimas tribulationes occisos fuisse, antiquissima monumenta ostendunt (15). c) Evangelium autem tunc in toto orbe romano, et extra illum praedicatum fuisse, historia ecclesiastica docet: ideo Paulus scripsit ad Romanos: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo* (16). d) Plures seductores et pseudochristos recenset Iosephus Flavius (17), quos inter praecipue notat aliquem Aegyptium impostorem, qui multa millia Iudaeorum falsis vaticiniis et promissione variorum signorum deceperat. Idem Iosephus testatur, etiam obsidionis tempore Iudaeos praecipue per seductores, qui se divinos legatos iactitabant, ad tam obstinatam contra Romanos resistentiam exstimulatos fuisse (18). e) Iam ante obsidionem urbis, a Tito susceptam, Romanorum dux Cestius Gallus Hierosolymam cum exercitu intravit, duas urbis partes cepit, et aquilas romanas, quae variis idolorum imaginibus ornatae fuerant, non solum in media urbe, verum etiam prope ad ipsos templi muros erexit (19). Has autem Deorum imagines scripturae Hebraeorum passim *abominationem* appellant, quam ideo Iudaei *stantem in loco sancto* viderunt. f) Hoc ergo signo apparente omnes Christiani fugam capiunt, atque versus montana in oppidum Pellam, vi-

(1) Ib. v. 16, etc. (2) Luc. 21, 20.
(3) Luc. 19, 43. (4) Matth. 24, 21.
(5) Luc. 19, 44. (6) Matth. 24, 1 et 2.
(7) Luc. 21, 24.
(8) Matth. 24, 34. Luc. 21, 32.
(9) Tacit. hist. Suetan. in Vitellio.
(10) De bello iud. (11) Annal. 15.
(12) Act. 11, 28.
(13) Suet. in vit Tacit. Annal.
(14) De bello iud. l. 4, c. 7.
(15) V. Sandini hist. apostolica.
(16) Rom. 1, 8.
(17) L. 20, antiq. iud. c. 3, c. 6, et c. 8, l. 2 de bello iud. c. 22.
(18) De bello iud. l. 6, c. 5.
(19) De bello iud. l. 2, c. 22.

cinum deserto, quod est in finibus Syriae, se recipiunt, uti narrant Eusebius (1), Epiphanius (2), Iosephus (3). Ne unus quidem Christianus tempore obsidionis in urbe interceptus esse legitur. g) Postea tota urbs ab exercitu romano circumdata, et ingenti vallo circumcincta fuit (4). h) Ingentes aerumnas, afflictiones, calamitates, quas Iudaei in hac obsidione perpessi sunt, legimus apud Iosephum (5). Externis armis, internis dissidiis, horrenda fame et aliis malis ita cruciabantur, ut tribulatio maior cogitari non possit. i) Urbs demum expugnata, et, licet Titus magna cura tum urbem sibi, tum templum urbi conservare studuisset, sic tamen incendiis devastata et instrumentorum vi destructa fuit, ut solo aequaretur, ac si, ut dicit Iosephus Iudaeus, aedificia ibi nunquam extitissent (6). k) Eodem teste in bello multo plures quam decies centena millia Iudaeorum caesa, et reliqui captivi abducti, et ubique locorum dissipati sunt, quorum dispersionem inter omnes populos, atque in toto terrarum orbe propriis oculis videmus. l) Excidium urbis secutum est 37 annis post mortem Christi, ergo antequam praeteriret generatio, quae communiter ad 30—40 annos computatur. —

3. Licet tempore Christi ex cognita Iudaeorum indole Romanis infesta et libertatis avida ad futuram quandam rebellionem naturaliter concludi potuisset, haec tamen humano solum ingenio nec quoad tot circumstantias, nec quoad tempus tam praecise praevideri et praenuntiari potuit. Insolita prorsus res fuit tam obstinatus animus Iudaeorum, ut omnia potius mala perpeti, quam Romanis se dedere voluissent. Insolitum quoque fuit Romanis urbes sibi subiectas tali modo penitus destruere; quare ipse Iosephus Flavius fatetur, tale infortunium nulli urbi contigisse. Praecipue sub Tito clementissimo tanta ruina secuta haud fuisset, nisi divina ultio illam disposuisset. Teste Iosepho Flavio ipse Titus, expugnata urbe, illiusque munimentis inspectis, fassus est per virtutem tantum divinam se Hierosolymam expugnare potuisse. — Vaticinium autem adductum intimam cum Religione christiana connexionem habet, quia excidium Hierosolymae cum dispersione gentis iudaicae secuta praedictum fuit ut poena non agniti et occisi Christi (7).

Nota. Cum Christus excidium urbis Hierosolymae praedixit, simul, ut communis fert interpretum sententia, de mundi consummatione locutus est, cuius praeludium et imaginem nobis exhibent extremae gentis iudaicae calamitates. Id enim omnibus prophetis solemne est, ut res temporibus disiunctas, sed in Dei mente adunatas coniungant, idque quam maxime cum una alterius typus est et figura. Difficile tamen non est, ea quae ad Iudaeorum cladem pertinent, ab iis distinguere, quae in saeculi consummatione suum habitura sunt complementum, imprimis in ea narrationis serie, quae a S. Marco refertur; nam de urbis Hierosolymae destructione agitur cap. XIII a v. 1-24, et de totius orbis subversione a v. 24-27. Utroque eventu praenuntiato Christus respondet ad hanc discipulorum interrogationem: *Dic nobis, quando haec erunt?* et quidem v. 28 ad primum eventum rediens eum tanquam pro-

(1) Hist. l. 3, c. 5.
(2) Haer. 7, et haer. 41.
(3) De bello iud. l. 2, c. 41.
(4) V. Stolberg. R. d. R. I. t. 7, § 29, n. 5 in nota.
(5) De bello iud. l. 5-l. 8.
(6) De bello iud. l. 6.
(7) Luc. 19, 44. Matth. 23, 37. Cf. Frint l. c. § 152-153. J. M. Sailer G. d. Rel 28, Verl

pinquum annuntiat v. 30. . . . *non transibit generatio haec, donec omnia fiant* . . . quod autem tempus attinet extremae mundi consummationis, ait v. 32 illud ad occulta Dei iudicia pertinere: *de die autem illo, vel hora nemo scit* (1).

§. 140.

Continuatio.

Christus ergo veras edidit prophetias, quia multa praedixit, quae nulla creata intelligentia praescire potuit: ergo vel Deus fuit, vel certe divino spiritu repletus, quare in eum nulla fraudis et fallaciae suspicio cadere potest. Necessario ergo illi credendum est, cum se dixit a Patre ad homines missum atque religio ipsius habenda est ut divinitus revelata.

Nota. Increduli prophetiis adductis auctoritatem et fidem denegarunt, quia post eventum conscripta fuerunt. — Ast licet id de nonnullis Christi prophetiis verum sit, notandum tamen est, aliud esse, prophetiam proferre, et aliud prophetiam iam ante eventum prolatam conscribere. Evangelistae vero, testes omni exceptione maiores, narrant, Christum eventus tali tempore protulisse, quo futuri erant, nec naturaliter praevideri poterant. — Imo celeberrima de excidio Hierosolymitano prophetia iam ante eventum conscripta fuit a Matthaeo, Marco et Luca, qui iam ante praedictum excidium mortui erant. — *Herdero* dicenti: qui a legato divino prophetias exigit, similis est militibus, Christum percutientibus, et interrogantibus: *Prophetiza nobis, quis est, qui te percussit?* — *Dobmayr* respondet: qui legati divini praedictiones non credit, similis est Iudaeis, Christum propter has accusantibus et dicentibus: *Hic dixit, possum destruere templum hoc, et in triduo reaedificare illud:* neque nos exigimus a Christo prophetias, sed factas laeta mente et firma fide suscipimus. — Indignum quoque Christo, hominum redemptori, non fuit, Iudaeis incredulis infortunia praedicere; nam legatum Dei non solum infinite misericordis, sed et infinite iusti semper decet, tum bonis praemia, tum malis poenas praenuntiare (2).

(1) Lieberman tom. 1, pag. 494.

ARTICULUS IV.

De vaticiniis in Christo adimpletis.

§. 141.

Messias non solum Iudaeis ut propheta magnus, legatus divinus, hominumque redemptor promissus fuit (§. 105), sed et tempus pro ipsius adventu determinatum est, atque characteres ipsius assignati sunt (§. 106 etc.). Christus autem tum *statuto tempore venit*, tum *omnes characteres Messiae evidentissime in se complexus est:* ergo est verus Messias, legatus divinus, ac divinae revelationis praeco.

§. 142.

A. Prophetiae tempus Messiae respicientes.

Christus illo praecise tempore venit, quo Messiae adventus a prophetis praenuntiatus fuerat (§. 106 — §. 112). Ergo prophetiae, tempus Messiae respicientes, in ipso adimpletae sunt, quod facillimum est probare. Nam

1. Ex morientis *Iacobi* oraculo Messias advenire debuit cessante sceptro in Iuda (§. 107). Sed cum Iesus Nazarenus nasceretur, iam Iudaei, a Pompeio devicti sceptro, seu suprema potestate privati erant, et Herodes alienigena regnum Iudaeae a senatu et populo romano acceperat. Paulo post Herodis mortem Iudaeae regio Idumaeis erepta, et in provinciam romanam redacta est. Ideo Iudaei Pilato dicentes: *Non ha-*

(2) Dobm. t. 3, §. 84.

hemus regem nisi Caesarem (1), eo-ipso sceptrum Iudae cessasse, et Messiam advenisse professi sunt. Demum diruta urbe, et dispersa gente omnis umbra potestatis a Iudaeis sublata est.

Nota. Nonnulli ex Iudaeis dixerunt, Messiam, si vaticinium in sensu Christianorum exponatur, iam tempore captivitatis babylonicae advenire debuisse, quia etiam tunc sceptrum Iudae cessavit. Sed perperam. Cum enim captivitatis babylonicae finis post 70 annos iam praedictus fuit (2), sceptrum Iudae non penitus ablatum, sed potius interruptum dicendum erat. Imo aliquo modo sceptrum, licet dependens, in ipsa captivitate permansit, quia rex Babyloniae Iechoniae *thronum posuit super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone* (3). Praeterea Iudaeis permissum erat, ut iuxta patrias leges viverent, et ideo suos pontifices, suos prophetas, ac suos iudices habebant, quibus ius gladii concessum erat, uti apparet ex historia Susannae (4). Tunc ergo sceptrum non omnino cessavit. — Post reditum ex captivitate equidem reges in Iuda non amplius fuerunt, sed forma regiminis mutata est a monarchica in aristocratico-democraticam: populus enim regebatur a senatu, cuius membra maxima ex parte erant de tribu Iuda, quia tribus Beniamin minima fuit, et de ceteris decem tribubus, iam maturius in captivitatem assyriacam abductis, teste Iosepho Flavio (5) et S. Hieronimo (6), paucissimi redierunt. Ideo qui in Palaestinam reversi sunt, communi nomine *Iudaei* nominati sunt. Sceptrum ergo, seu summa potestas tunc in tribu Iuda aderat. — Machabaei equidem, qui gerebant bella Domini, erant ex tribu Levi; sed isti non erant reges, sed belliduces, qui non auctoritate propria, sed nomine senatus populique omnia peragebant. — Si dicitur in vaticinio, quod perduret usque ad Messiam non solum *sceptrum*, sed et *dux de femore* Iudae, vox hebraica *mecoquet* non stricte belliducem, sed potius iudicem, legislatorem seu magistratum significat. — Non desunt, qui sceptrum et ducem non ad solam tribum Iudam, sed ad totam gentem israëliticam referant, et vaticinium ita explicent, sceptrum a gente israëlitica non esse auferendum usque ad Messiam (in quacunque demum tribu geratur). Dicunt autem vaticinium in benedictione Iudae prolatum esse, quia ex hac tribu Messias oriundus, et quia haec tribus diutissime sceptrum gestura erat. Ita senserunt Iustinus M. (7), Eusebius (8), Chrysostomus (9), Augustinus (10) et alii (11).

2. Hebdomadae 70 Danielis, a quocunque regum Persarum decreto earundem calculus incipiatur (§. 108), iam dudum ad finem pervenerunt. Ergo Messiam iam advenisse indubium est. — Si autem computatio hebdomadarum ab ultimo Artaxerxis Longimani decreto, in quo unico de reaedificanda urbe agitur, incipiatur, Christum in dimidio ultimae hebdomadae occisum esse comperimus. Nam, ait doctissimus Bossuetus, Artaxerxes imperium aggressus est anno mundi 3531, et edictum secundum promulgavit anno vigesimo imperii sui, seu anno mundi 3551, ergo 453 annis ante Christum natum. Si vero his 453 annis addantur 30 anni, quibus Christus vitam privatam duxit, habetur summa 483 annorum, seu habentur 69 hebdo-

(1) Io. 18, 11. (2) Ier. 29, 10.
(3) IV Reg. 25, 28. (4) Dan. 13.
(5) Ant. iud. l. 11, c. 5. (6) In Ose. 1, 6.
(7) Dial. c. Tryph.
(8) L. 8 dem. evang., et l. 1 hist. eccl., c. 6.
(9) Hom. 67 in Gen.
(10) L. 18. de Civ. Dei, c. 45.
(11) Cf. Klüpfel t. 2, §. 43. not. 1.

madae; quibus transactis incipit septuagesima, seu ultima hebdomada. Christus vero trigesimo aetatis suae anno, hebdomadae huius primo a Ioanne baptizatus est, ubi tanquam divinus mundi Redemptor, seu ut *Christus dux* publice apparuit: anno autem aetatis suae trigesimo tertio, hebdomadae septuagesimae quarto a populo suo non solum negatus sed et occisus est. Sic ergo vere in dimidio hebdomadae defecit hostia et sacrificium per obitum Christi Messiae (1).

Nota. Quae post mortem Messiae futura praedicta sunt, post mortem Christi actu evenerunt. Nam *civitatem et sanctuarium dissipavit* exercitus romanus sub duce Tito; *abominatio desolationis in templo* adfuit, et *desolatio* seu dispersio populi durat usque ad hanc diem (§. 139). Verum equidem est, post mortem Christi per plures annos sacrificia adhuc in templo oblata fuisse, sed tamen iure dicitur, in dimidio hebdomadae defecisse hostiam et sacrificium. Nam sacrificia V. T. non fuerunt nisi figurae sacrificii a Messia offerendi: uti ergo figura deficit adveniente veritate, et uti umbra fugit micante sole, ita sacrificia V. T. defecerunt in morte Christi, quae fuit omnium sacrificiorum complementum. Ideo S. Hieronymus (2) dicit: « Quidquid in templo post mortem Christi factum est non fuit sacrificium Dei, sed cultus diaboli. » — — Si autem in vaticinio Danielis praedictum est consummandam esse praevaricationem, finem accepturum esse peccatum, delendam iniquitatem et adducendam iustitiam sempiternam, non id ita intelligendum est, ac si hominibus libertas adimenda sit, qua peccare et iniquitatem facere possint, sed id dictum est de Messia, qui plenam Deo pro peccatis satisfactionem praestiturus, et per doctrinam, per exempla et per alia media salutis homines aptos redditurus erat ad peccata vitanda et iustitiam exercendam. Haec autem omnia Christus perfectissime praestitit, uti ex his elucet, quae de doctrina Christi (§. 124 etc.) dicta sunt, et quae de satisfactione Christi, atque de mediis salutis in Theologia dogm. spec. probantur.

3. Christus in hoc mundo vixit, cum adhuc staret templum secundum, sub Zorobabele aedificatum (§. 109), cum etiam Iudaei in sua patria collecti essent (§. 110) et cum idololatria longe lateque vigeret praecipue in regionibus speciatim nominatis, in Lydia, Italia, Graecia etc. (§. 111). Sed quatuor circiter post Christi mortem decenniis templum dirutum, et gens iudaea a patria expulsa ubique locorum dispersa fuit, et statim idololatria per Evangelii praedicationem propelli coepit, ita, ut illa - praecipue ex regionibus nominatis - iam ante plura saecula penitus evanuerit. Dubitari ergo nequit, Messiam ante octodecim saecula certo iam advenisse, quia alias vaticinia, tempus ipsius adventus determinantia, in ipso verificari nullatenus possent.

Nota. Dicunt nonnulli, tempore Christi non amplius secundum templum, sed tertium extitisse, ab Herode, ut testatur Iosephus Flavius, novis effossis fundamentis aedificatum. — Sed id verum haud est: Herodes enim equidem nonnulla aedificia templi restauravit, alia muneribus suis ornavit, et forte aliqua nova adiecit, sed non iam totum templum de novo exstruxit, quod dum Iosephus Flavius asserit, ceu Herodis assentator per exaggerationem loquitur; domum enim restaurare, ornare, vel etiam amplificare non i-

(1) Discours sur l'hist. univ. p. 1, Epoq. 8.

(2) In Dan. 9.

dem est, ac novam erigere. Eodem scriptore iudaeo teste, sacrificia nunquam interrupta fuerunt, quod tamen fieri debuisset, si secundo templo tertius successisset. Iudaei semper quidem templum salomonicum, et zorobabelicum, sed non zorobabelicum et herodicum distinxerunt; sed hunc semper domum secundam appellaverunt, nuspiam templi tertii mentione facta.— Dispersio Iudaeorum post ruinam urbis et templi praedicta fuit a prophetis ut poena non agniti et occisi Messiae. Eventum ergo, qui iam ab octodecim saeculis cernitur, causam praecessisse, necesse est. Si autem mortis sententiam in Christum praecipue principes sacerdotum, scribae et pharisaei promoverunt, a culpa tamen etiam populus immunis non fuit, clamans: *Crucifige eum*, et *sanguis eius super nos, et super filios nostros*. Generatim quoque Iudaei, qui Messiam toties promissum, et tam clare praenuntiatum non agnoscunt, sed odio habent, iure maiorem poenam experiuntur, quam reliquae gentes, quae in incredulitate persistunt. Iudaeos iam ante lugendam dispersionem suam, dum Christus in terris versabatur, in firma persuasione fuisse, tempus pro adventu Messiae a Prophetis determinatum modo adesse, testantur Iosephus Flavius, Suetonius, Tacitus, et alii (1).

§. 143

B. Prophetiae characteres Messiae praesignantes.

Cum Deus pro infinita sua sapientia et bonitate non solum tempus pro adventu Messiae determinare, sed etiam eiusdem notas characteristicas per prophetas praesignare dignatus est, dubitari omnino non potest, illum solum esse verum Messiam, cui omnes characteres a prophetis praesignati conveniunt. Si autem ea, quae in antiquo foedere de Messia praenuntiata sunt (§. 111 et 117), cum iis conferamus, quae in Evangeliis de Iesu Christo Nazareno referuntur, sole clarius videmus, ipsi omnes characteres, de Messia praesignatos, ad amussim convenire, ex quo certissime sequitur, esse Iesum Christum verum Messiam promissum patribus, atque a prophetis praenuntiatum.

Nota. Notae Messiae characteristicae in *negativas* et *positivas* distingui solent. Negativae dicuntur eae, quae ostendunt, non quod ille, cui hae competunt, sit Messias, sed quod ille, in quo hae desiderantur, Messias non sit; quia Messias cum aliis eas communes habet, velut tempus, natale solum, genus familiae et cetera huiusmodi: positivae appellantur, quae affirmative, ac asseverantius commonstrant, eum, in quo sunt, vere Messiam esse; istiusmodi sunt nativitas ex virgine, miraculorum patratio, determinatum passionis et mortis genus, resurrectio etc. Tum has, tum illas Christo competere - iam modo ostenditur iuxta quatuor classes, quibus vaticinia, characteres Messiae praesignantia (§. 114 - 117) recensita fuerunt.

§. 144.

I. Christi ortus et nativitas.

1. Ortus est Iesus ex Abrahamo, Isaaco et Iacobo, quemadmodum manifestum est ex genealogia ipsius, descripta Matth. I, 1 etc.: *Liber generationis Iesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob.* Et Paulus loquens de iisdem Patribus ait: *Ex quibus est Christus secundum carnem* (2).

2. Christus etiam ex stirpe Da-

(1) Cf 3. 94. Cf. Klüpfel. t. 2, l. 2, §. 45, n. 6 etc.

(2) Rom. 9, 5.

vidis ortum habuit. Nam *filius Davidis* dicitur (1), et David nominatur ipsius pater, dicente Angelo ad Mariam: *Vocabis nomen eius Iesum, et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius* (2). Quamvis porro tum in Matthaeo, tum in Luca genealogia tantum Iosephi exhibeatur, cum tamen hic ut *vir iustus* laudetur, ideo certe iuxta legis praescriptum ex eadem tribu, stirpe et familia uxorem duxit. Ipsi Christi adversarii nunquam de ipsius ortu ex stirpe davidica dubia moverunt.

3. Christus natus est Bethlehemi; legitur enim (3): *Cum ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda* etc.; et (4): *Ascendit autem et Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth in Iudaeam, in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria, desponsata sibi uxore praegnante. Factum est autem, cum esset ibi, impleti sunt dies ut pareret; et peperit filium suum primogenitum.*

4. Iesus fugit in Aegyptum, et post diuturnam moram in patriam rediit. Nam Ioseph *consurgens accepit puerum et matrem eius nocte, et secessit in Aegyptum, et erat ibi usque ad obitum Herodis* (5). *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem eius et vade in terram Israël; defuncti sunt enim qui quaerebant animam pueri. Qui consurgens accepit puerum et matrem eius, et venit in terram Israël* (6).

5. Iesus de virgine natus est. Maria enim eum non ex consortio maritali, sed per virtutem Spiritus S. concepit. Nam *Christi generatio sic erat: Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.....* Ioseph autem *non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, et vocavit nomen eius Iesum* (7). Cum Angelus Gabriel Mariae conceptionem Christi annuntiaret, *dixit Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? et ait* Angelus ei: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* (8).

6. Christus est filius Dei, verus Deus. Nam in ipsius baptismo (9), et in transfiguratione (10): *Ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et cum *Petrus* ad Iesum *dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi; respondens autem Iesus dixit ei: Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est* (11). Ioannes de Verbo, quod *caro factum est*, i. e. de Christo dicit: *Deus erat Verbum* (12). Christus ipse ait: *Ego, et Pater unum sumus* (13). Thomas, ab incredulitate sua resipiscens dixit Christo: *Dominus meus, et Deus meus* (14). Paulus de Christo loquitur, *qui est super omnia Deus benedictus in saecula* (15).

7. Cum Christus sub imperatore Augusto nasceretur, omnes belli tumultus cessaverant, et altissima pace genus humanum fruebatur, atque ideo Romae Iani templum clausum fuerat, quod testantur Suetonius (16), Orosius, qui citat etiam Cornelium Tacitum (17), Eusebius (18), Virgilius (19), et alii (20).

(1) Matth. 1, 1. (2) Luc. 1, 31, 32.
(3) Matth. 2, 1. (4) Luc. 2, 4 etc.
(5) Matth. 2, 14 etc. (6) Ib. v. 19 etc.
(7) Matth. 1, 18 etc. (8) Luc. 1, 26 etc.
(9) Matth. 3, 17. (10) Matth. 17, 5.
(11) Matth. 16, 13 etc. (12) Io. 1, v. 1.
(13) Io. 10, 30. (14) Io. 20, 28.
(15) Rom. 9, 5. (16) In Augusto c. 22.
(17) Lib. 6, c. 22. (18) Dem. evang. l. 8.
(19) Aeneid. l. 1.
(20) Cf. Dan. Huet. t. 2, prop. 9, cap. 8, n. 3.

§. 145.

II. Christi vita, et res gestae

1. Christus praecursorem habuit Ioannem Baptistam, cui applicantur vaticinia Prophetarum (1). In huius iam nativitate *Zacharias, pater eius, repletus est Spiritu sancto, et prophetavit dicens.... tu, puer, propheta Altissimi vocaberis; praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius* (2). — Ioannes etiam munera praecursoris exacte adimplevit, erat enim *praedicans in deserto Iudaeae, et dicens: Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum* (3). Porro *baptizavit baptismo poenitentiae populum dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent; hoc est in Iesum* (4). Demum digito quasi ostendit Christum exclamans, cum eum ad se venientem videret: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, qui prior me erat* (5). Ideo de ipso dicitur: *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes; hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine* (i. e. de Messia (6)).

2. Christus Propheta dictus est a Philippo: *Quem scripsit Moyses et prophetae, invenimus Iesum* (7); a populo: *Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum* (8); et *propheta magnus surrexit in nobis* (9); a muliere samaritana: *Video quia propheta es tu* (10); a discipulis euntibus in Emmaus: *De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta* (11); a seipso: *Iesus dixit eis: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua* (12). Et Christus non tantum veras prophetias fecit (v. art. praec.) sed et reliquas prophetici muneris partes obivit.

3. Christus post ieiunium in deserto *coepit praedicare et dicere: poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum* (13). Ab hoc tempore cum maxima assiduitate docuit in monte (14), in synagogis (15), noctu (16), in templo, in quo *erat docens quotidie* (17); iure igitur *magister* (18), et *praeceptor* (19) dictus. Ipsi adversarii de Christo dixerunt: *Commovet populum docens per universam Iudaeam, incipiens a Galilaea usque huc* (20).

4. Christus praedicationem suam incepit in Galilaea. Nam *cum audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilaeam, et relicta civitate Nazareth venit et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, et Nephtali* (21), *et circuibat Iesus totam Galilaeam docens in synagogis eorum, et praedicans Evangelium regni* (22).

5. Christum plurima, atque stupenda miracula patrasse, ostensum fuit articulo II, §. 109 etc.

6. Christus non solum doctor, sed verus quoque legislator fuit. Ideo Christus doctrinam suam proferens non loquebatur, uti prophetae V. T. qui dicere consueverunt: *Haec dicit Dominus*, sed ipse ait: *Ego autem dico vobis* (23); docuit ergo, de quo et turbae admirabantur, *sicut potestatem habens* (24). Ipse sane leges in V. T. ignotas, et ad salutem necessarias dedit tum de suscipiendo baptismo (25), tum de sumenda Eucharistia (26), et alias plures. Id-

(1) Malach. 3, 1. Isa. 40, 3.
(2) Luc. 1, v. 67 et v. 76.
(3) Matth. 3, 1 etc. (4) Act. 19, 4.
(5) Io. 1, 29. (6) Io. 1, 6.
(7) Io. 1, 45. (8) Io. 6, 14.
(9) Cf. Matth. 21, v. 11, et v. 43.
(10) Io. 4, 19. (11) Luc. 24, 19.
(12) Matth. 13, 57. (13) Matth. 4, 17.
(14) Matth. 5, 2. (15) Matth. 4, 23.
(16) Io. 3. (17) Luc. 19, 47.
(18) Io. 13, 13 etc. (19) Luc. 5, 5.
(20) Luc. 23, 5. (21) Matth. 4, 12 etc.
(22) Ib. v. 23.
(23) Matth. 5, v. 22, 28, 32, 39.
(24) Matth. 7, 29.
(25) Io. 3, 5. Matth. 28, 19. (26) Io. 6, 54.

eo dixit: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me* (1); et ad Apostolos ait: *Euntes docete omnes gentes.... docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis* (2). Ipsi Apostoli doctrinam Christi ut veram legem considerarunt: ideo Paulus dicit: *Cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi* (3); et: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (4).

7. Christus vere munere sacerdotali functus est. Paulus enim ait: *Habentes Pontificem magnum qui penetravit coelos, Iesum Filium Dei, teneamus confessionem* (5); et de eodem Christo dicit: *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior coelis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel, seipsum offerendo* (6). — Christus etiam vere sacrificium instituit secundum ordinem Melchisedech, dum in ultima coena accepit panem et vinum, et gratias agens, in corpus et sanguinem suum transmutavit, gladio verborum et tenore specierum corpus a sanguine dividens, et sic mortem suam repraesentans. — Cum autem hoc idem in commemorationem suam, *donec veniat* ad iudicandum, faciendum praeceperit, huiusque sacrificii incruenti ipsemet semper primarius minister maneat; ideo vere dicitur, et est *sacerdos in aeternum*, vel, ut dicit Paulus (7), *sempiternum habet sacerdotium* (8).

8. Regiam Christi potestatem iam Angelus Gabriel praenuntiavit dicens: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis* (9). Eandem agnoverunt Magi ab oriente venientes et interrogantes: *Ubi est, qui natus est rex Iudaeorum* (10)? Nathanaël Christum in hunc modum compellat: *Tu es Filius Dei, tu es rex Israël* (11). Christus ipse Pilato interroganti, an rex sit, respondit: *Tu dicis, quia rex sum ego* (12); cum iam antea (13) dixisset: *Regnum meum non est de hoc mundo*, i. e. non est regnum temporale, sed spirituale. — Christus enim per Apostolos suos, quos ad praedicandum *evangelium salutis* (14) in universum mundum misit (15), magnam societatem instituit, quae regnum coelorum, seu ecclesia dicitur, et cuius ipsemet supremus rector est: *Caput corporis ecclesiae* (16), *Pastor magnus ovium* (17), *Princeps pastorum* (18) dicitur.

9. Christus natus est pauper *in praesepio, quia non erat eis locus in diversorio* (19), et vixit quoque in summa paupertate, ita, ut diceret: *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet* (20). Nudus demum mortuus, et in alieno monumento sepultus est.

10. Cum Iesus Hierosolymam ingressurus esset, *discipuli - adduxerunt asinam et pullum, et posuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii autem caedebant ramos de arboribus, et sternebant in via: turbae autem, quae praecedebant et quae sequebantur, clamabant dicen-*

(1) Io. 14, 21. (2) Matth. 28, 20.
(3) I Cor. 9, 21. (4) Gal. 6, 2.
(5) Hebr. 4, 14. (6) Hebr. 7, 26 etc.
(7) Hebr. 7, 24.
(8) Cf. Klüpfel t. 2, l. 3, §. 85-90.
(9) Luc. 1, 32 etc. (10) Matth. 2, 2.
(11) Io. 1, 49. (12) Io. 18, 37.
(13) V. 36. (14) Eph. 1, 13.
(15) Matth. 28, 19. Marc. 16, 15.
(16) Col. 1, 18. (17) Hebr. 13, 20.
(18) I Petr. 5, 4. (19) Luc. 2, 7.
(20) Matth. 8, 20. Cf. Luc. 9. 57 etc.

tes: Benedictus qui venit in nomine Domini; hosanna in altissimis (1).

11. Christus ceu infans in templo praesentatus fuit (2) eundemque ceu puerum duodennem parentes eius *invenerunt in templo sedentem in medio doctorum* (3), qui postmodum *erat docens quotidie in templo* (4).

12. Christus maximum zelum pro domo Dei, i. e. pro honore templi ostendit; nam *ingressus in templum coepit eiicere vendentes et ementes, dicens illis: Scriptum est, quia domus mea domus orationis est; vos autem fecistis illam speluncam latronum* (5). Fusius idem narratur a Matthaeo (6) et a Ioanne (7).

§. 146.

III. Christi passio et mors.

1. Christus, ut ex historia evangelica constat, plurima passus, et mortuus est, et quidem ad finem saluberrimum, ut pro peccatis hominum satis faceret, eosdemque redimeret. Ipse enim ait: *Filius hominis venit - dare animam suam redemptionem pro multis* (8). Et in ultima coena inquit: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (9). Petrus (10) dicit: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo.* Paulus ait: *Deus proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (11), *in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum* (12).

2. *Congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi - et consilium fecerunt, ut Iesum dolo tenerent et occiderent* (13). — *Pilatus autem — ut cognovit, quod* Iesus *de Herodis esset potestate, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Hierosolymis erat illis diebus — Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes, et Pilatus in ipsa die; nam antea inimici erant ad invicem* (14).

3. *Abiit unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes ad principes sacerdotum, et ait illis: quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quaerebat opportunitatem, ut eum traderet* (15). — *Adhuc eo loquente ecce Iudas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus, missi a principibus sacerdotum et senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accèdens ad Iesum, dixit: Ave Rabbi, et osculatus est eum* (16).

4. *Iudas — poenitentia ductus retulit 30 argenteos principibus sacerdotum et senioribus. . . principes autem sacerdotum acceptis argenteis... emerunt ex illis agrum figuli* (17).

5. *Iudas, proiectis argenteis in templo, recessit, et abiens laqueo se suspendit* (18). In ipsius vero locum successit Matthias, qui Apostolatum seu Episcopatum pro Iuda accepit (19).

6. Christus *assumpto Petro, et duobus filiis Zebedaei, coepit contristari et moestus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem. Et progressus pusillum procidit in faciem suam orans et dicens: Pater mi! si possibile est, transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut*

(1) Matth. 21, 6, etc. (2) Luc. 2, 21-27.
(3) Ibid. v. 46. (4) Luc. 19, 47.
(5) Luc. 19, 45. (6) Matth. 21, 12 etc.
(7) Io. 2, 15 etc. (8) Matth. 20, 28.
(9) Matth. 26, 28. (10) I Ep. 3, 18.
(11) Rom. 8, 32. (12) Eph. 1, 7.
(13) Matth. 26, 3 etc. (14) Luc. 23, 6, etc.
(15) Matth 26, 14 etc. (16) Ibid. v. 47 etc.
(17) Matth 27, 3 etc (18) Ibid. 27, 5.
(19) Act. 1 15-26

ego volo, sed sicut tu (1). *Et factus in agonia prolixius orabat; et factus est sudor eius, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram* (2).

7. Christus cum in horto Gethsemani moerore afficeretur, inter suos consolatorem non invenit. Nam *venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum*(3)? Et cum a Iudaeis comprehenderetur, *tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt* (4).

8. *Summi sacerdotes, et omne concilium quaerebant adversus Iesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant. Multi enim falsum testimonium dicebant adversus eum, et convenientia testimonia non erant* (5).

9. *Surgens princeps sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea, quae isti adversum te testificantur? — Iesus autem tacebat* (6). *Cum accusaretur a principibus sacerdotum, et senioribus nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia? et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur praeses vehementer* (7). *Herodes viso Iesu gavisus est valde... interrogabat autem eum multis sermonibus; at ipse nihil illi respondebat* (8).

10. Cum princeps sacerdotum Christum reum mortis declaravit, *tunc expuerunt in faciem eius, et colaphis eum caeciderunt, alii autem palmas in faciem eius dederunt* (9). Postea *sprevit illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum* (10). *Tunc apprehendit Pilatus Iesum, et flagellavit* (11); et *milites praesidis... exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, et arundinem in dextera eius. Et genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes: Ave rex Iudaeorum. Et exspuentes in eum acceperunt arundinem, et percutiebant caput eius* (12).

11. *Pilatus Iesum flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur* (13), et *induerunt eum vestimentis eius, et duxerunt eum, ut crucifigerent* (14); et *venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariae locus* (15), et *crucifixerunt eum* (16).

12. *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris, et unus a sinistris* (17).

13. *Praetereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes: Vah, qui destruis templum Dei, et in triduo illud reaedificas, salva temetipsum: si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter et principes sacerdotum illudentes cum Scribis et senioribus dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: Si rex Israël est, descendat nunc de cruce, et credimus ei: confidit in Deo, liberet nunc, si vult eum: dixit enim, quia Filius Dei sum. Idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei* (18).

14. Priusquam Iesus crucifigeretur, *dederunt ei vinum bibere felle mistum, et cum gustasset, noluit bibere* (19). Et cum in cruce pendens siti torqueretur, *currens unus, et implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei* (20).

(1) Matth. 26, 37 etc. (2) Luc. 22, 43 etc.
(3) Matth. 26, 40. (4) Ib. v. 56.
(5) Marc. 14, 55 etc. (6) Matth. 26, 62.
(7) Matth. 27, 12 etc.
(8) Luc. 23, 8 etc. Cf. II Petr. 2, 23.
(9) Matth. 26, 67. (10) Luc. 23, 11.
(11) Io. 19, 1. (12) Matth. 27, 28 etc.
(13) Matth. 27, 26. (14) Ib. v. 31.
(15) V. 33.
(16) V. 35. Cf. Luc. 24, 20. Act. 2, 36. I Cor. 1, 23. (17) Matth. 27, 38
(18) Matth. 27, 39 etc. Cf. Marc. 15, 28. Luc. 23, 35 etc. (19) Matth. 27, 34
(20) Marc. 15, 36. Cf. Io. 19, 28-30.

15. *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius (et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit... et milites quidem haec fecerunt* (1).

16. *Iesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt* (2).

17. *Clamans voce magna Iesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (3).

18. *Et haec dicens expiravit* (4), i. e. vere mortuus est (5).

§. 147.

IV. Christi status post mortem.

1. *Iudaei ergo (quoniam parasceve erat), ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura* (6).

2. Ioseph ab Arimathaea, postquam *permisit Pilatus, venit et tulit corpus Iesu. Venit autem et Nicodemus ferens mixturam myrrhae et aloës quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudaeis sepelire* (7). *Et accepto corpore Ioseph involvit illud in sindone munda, et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra* (8).

3. Petrus in prima sua concione Hierosolymis habita ait: *Providens* David *locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem* (9). Ideo Ecclesia in symbolo suo antiquissimo articulum fidei professa est: *descendit ad inferos.*

4. Christus tertia die resurrexit a mortuis (§. 133).

5. *Dominus Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in coelum, et sedet a dextris Dei* (10). Christus *videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum: cumque intuerentur in coelum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt: Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum? hic Iesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum* (11). Deus suscitavit Christum a mortuis, et constituit ad dexteram suam in coelestibus super omnem potestatem, et principatum, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro (12).

6. Apostoli post ascensionem Christi in coelum regressi sunt in Ierusalem (13), ibique post acceptum Spiritum Sanctum praedicationem Evangelii i. e. doctrinae et legis Christi inceperunt (14).

7. Ad primam concionem Petri tria hominum millia fidem christianam et baptismum susceperunt (15). Et post secundam *multi eorum, qui audierant verbum, crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia* (16). Haud multo post, Philippo praedicante, et signa faciente, recepit *Samaria verbum Dei* (17). Petrus Antiochiae, et postea Romae

(1) Io. 19, 23 etc. (2) Luc. 23, 34.
(3) Luc. 23, 46. (4) Ibid.
(5) Cf. §. 133, n. 1, l. a. (6) Io. 19, 31 etc.
(7) Io. 19, 38 etc. (8) Matth. 27, 59 etc.
(9) Act. 2, 31. (10) Marc. 16, 19.
(11) Act. 1, 9 etc. Cf. Luc. 24, 50 etc.
(12) Eph. 1, 20 etc. Cf. Rom. 8, 34 etc.
(13) Luc. 24, 52. (14) Act. 2.
(15) Act. 2, 41. (16) Act. 4, 4.
(17) Act. 8, 14.

Ecclesias fundavit; idem Paulus, et reliqui Apostoli in variis orbis partibus peregerunt, et sic religio christiana celerrime ubique propagata fuit.

8. Stephanus Iudaeis publice inclamavit: *Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis; sicut patres vestri, ita et vos* (1). Iudaeis blasphemantibus, et persecutionem excitantibus Paulus et Barnabas dixerunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes* (2). Historia ecclesiastica commonstrat, Iudaeos magna ex parte in incredulitate permansisse, et gentes, idololatriae deditas, rectam fidem suscepisse.

9. Regno Christi, seu Ecclesiae a Christo institutae duratio perpetua adscribitur. Angelus enim Christi conceptionem annuntians Mariae dixit: *Regni eius non erit finis* (3). Christus ipse ad Petrum dixit: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (4). Et ad Apostolos, quos ad docendum misit, ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (5).

§. 148.

Continuatio.

Itaque in Iesu Christo Nazareno omnes characteres, qui de Messia praedicti fuerant, adimpleti sunt. In nullo autem alio illos adimpletos cerni, ipsi Iudaei, qui ideo Messiam adhuc exspectant, contestantur (6). Iesus Christus est ergo verus Messias, qui a Deo ut propheta, legislator, et novae revelationis praeco mittendus erat (§. 115). Atque sicut vaticinia, quae unius viri fata, a libera Dei hominumque voluntate dependentia cum minutis circumstantiis ante plura saecula praedicebant, nonnisi virtute divina prolata sunt, sic in Christo adimpleta Religioni ab ipso traditae sigillum divinitatis imponunt. Neque enim humano solum ingenio, vel naturali industria fieri potuisset, ut omnes prophetiae messianae in Christo adimplerentur, quod praecipue de illis dicendum est, quae characteres positivos assignant, e. g. conceptionem ex virgine, patrationem miraculorum, varia passionum genera, resurrectionem etc. Ex adimpletis in Christo vaticiniis dignitas quoque, et excellentia Religionis christianae maxime conspicua redditur, quae, quantum ad substantiam, diversa haud est a religione patriarchali, quae mox coepit inde a primorum hominum lapsu; neque discrepat, substantiam si spectes, a religione in V. T. Iudaeis praescripta (7). Christus enim omnis revelationis, hominibus concessae, centrum est, quo posito omnia in optimo nexu pulcherrimoque ordine consistunt, quo sublato, omnia, quae divinam erga homines bonitatem ostendunt, perturbata atque subversa conspiciuntur (8).

Nota 1. Christus etiam *figuras* V. T. tum *personales*, tum *reales* (§ 113, n. 2) adimplevit. a) Variae profecto in V. T. personae extiterunt, quae miram cum Christo analogiam praeseferunt: e. g. sexto die creatur *Adamus*, sexto die mortem subit Christus; dormiente Adamo, sumpta ex latere ipsius costa, creatur Eva, moriente Iesu ex percusso latere ipsius nascitur Ecclesia; ex Adamo et Eva nascuntur homines, ex Chri-

(1) Act. 7, 51. (2) Act. 13, 46.
(3) Luc. 1, 33. (4) Matth. 16, 18.
(5) Matth. 28, 20.
(6) Cf. Perrone t. 4, n. 161.
(7) Cf. Klüpfel t. I. §. 22, Prol.
(8) Cf. Dobmayr t. III, §. 108. Frint P. II t. I, §. 76-86.

sto, et Ecclesia renascuntur homines. — *Abel* fuit pastor ovium, Iesus hominum; Abeli iusto mortem paravit Cain ex invidia, Iesu innocentissimo mortem pararunt Iudaei ex livore et odio; Abelem foras ad mortem ducit Cainus, Iesum Iudaei ad supplicium extra Hierosolymam rapiunt; ob patratam caedem Cain vagus et profugus erat super terram (1), Iudaei ob patratam caedem Christi e patria electi, vagi, et profugi sunt super terram. — *Melchisedechum* panem et vinum offerentem figuram fuisse Christi Eucharistiam instituentis, iam antea dictum est. — *Iosephum Aegyptiacum* in plurimis vitae suae circumstantiis Christum praefigurasse, egregie ostendit C. de Stolberg (2). — *Moses* aliis Hebraeorum pueris trucidatis incolumis servatus, Iesus a caede puerorum bethlehemitica liberatus est; Moses ductor, legislator et liberator populi israëlitici, Christus ductor, legislator et redemptor omnium hominum fuit; Moses duodecim exploratores in terram Chanaan, Christus duodecim Apostolos in universam terram misit; Moses splendida facie descendit de monte, Iesus consenso cum tribus Apostolis monte, *transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies eius sicut sol* (3). Mosi successit *Iosue* (seu *Iesus*), qui populum israëliticum in terram promissam introduxit, in figura ostendens, legem veterem homines salvare non posse, legem vero novam homines ad veram atque perpetuam beatitudinem perducere. — Matre sterili, Angelo nuntiante, natus est *Samson*, matre virgine, Angelo nuntiante, conceptus et natus est Iesus (4). Manue, Samsonis patri de filii ortu dubitanti, visus est Angelus; apparet et Angelus Iosepho patri Iesu coniugis pudiciam suspectam habenti. Uxorem philisthaeam ducit Samson, eique intimos animi sensus aperit; Ecclesiam ex Ethnicis cogit, ac sibi adiungit Christus, eamque decretorum suorum interpretem constituit. Samson ad uxorem visens obvium leonem interficit, in cuius ore post aliquot dies favum mellis reperit; Iesus Ecclesiam constituens ait: *Confidite, ego vici mundum* (5), atque hic quidem mundus adversus Iesum prius ferox, ab eo tandem domitus suave ipsius accepit iugum melleamque Evangelii dulcedinem degustavit. Samson sitiens valde clamavit ad Dominum (6); Iesus animam agens sitire se dixit. Samson Gazae dormit ad mediam noctem, tum expergefactus postmodum ipsas portae fores detrahit, et humeris impositas defert ad verticem montis; Iesus lethi somno excitus de mortis exit potestate. — *David*, Bethlehemi natus, per plures annos vitam ignobilem agens, tandem Goliathum vincens, sed postea diris persecutionibus agitatus, et in persecutores benevolus, Christum exinanitum, diu vitam privatam agentem, Satanam vincentem, sed a Iudaeis diris persecutionibus agitatum, et pro inimicis orantem praesignavit. David feliciter regnans Christi exaltati typus fuit. Scissio regni davidici sub Ieroboam lugendas dissensiones, et sectas in Ecclesia Christi oriundas, et a praescripto Dei cultu, atque a recta salutis semita abducentes haud obscure praefiguravit. b) Multae sunt quoque figurae reales, quae in Christo adimpletae conspiciuntur, e. g. *Agnus paschalis*, qui tempore Paschatis Hierosolymae comedendus erat, quo tempore et loco Christus immolatus fuit. Agnum mactari oportuit sine macula, ut Christum innocen-

(1) Gen. 4, 12.
(2) G. d. R. I. Chr. t. I, §. 19.
(3) Matth. 17, 2. (4) Iud. 13, 3 etc. Luc. 1
(6) Iud. 15, 18.

tem et impollutum praefiguraret. Agni, et Christi Iesu mors cruenta, utraque in gratiam populi. Sanguis agni domorum foribus aspersus Hebraeis saluti fuit, perinde ut Iesu sanguis universis hominibus, quicunque eo abluuntur. Ne agni ossa confringerentur lege cautum erat; Iesu mortui non fregerunt crura. Agni reliquias ullas in crastinam servare nefas erat; Christus de cruce depositus est, et in monumentum conditus ipso mortis suae die. Ab agni esu polluti ac incircumcisi arcebantur; ad sacrum corporis Christi epulum nonnisi corde puro accedere licet. Post agni paschalis esum aegyptiaca statim servitute exempti sunt Israëlitae; per corporis Christi esum a vitiorum, daemonum, ac mortis tyrannide liberamur. — *Serpens aeneus*, a Mose in deserto erectus, Christi in cruce exaltati typus fuit; — quemadmodum enim serpentis huius aspectus homines a venenato serpentium morsu sanavit, sic per fidem in Christum, cruci affixum, a morsu daemonis, i. e. a peccato liberamur (1). — *Hircus emissarius* cuius capiti mala imprecabatur Pontifex, quique Israëlitarum noxis velut onustus in loca deserta abigebatur, Christum denotavit, *qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo* (2): nam *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum* (3). *Sacrificia cruenta* sat frequenter a Iudaeis oblata praefigurabant sacrificium cruentum a Christo in cruce offerendum a quo omnem vim suam repetebant. — E coelo depluens manna, panis coeli, et panis Angelorum dicta (4), figura fuit panis eucharistici a Christo instituendi, cuius perpetuam in templis Dei asservationem *panes propositionis* praefigurabant. — *Petra* in deserto a Mose percussa, ex qua ad sedandam Israëlitarum sitim aqua scaturiit, Christum praesignavit, ex cuius percusso latere copiosae gratiae effluxere, quae homines in squalida mundi huius solitudine siti spirituali tabescentes reficiunt(5). Summus Pontifex semel in anno, post mactatam victimam in sancta sanctorum ingrediens, praefiguravit Christum (6), qui post oblatum in cruce sacrificium in coelum gloriose ascendit (7).

Nota 2. Mirum nonnullis videtur, cur Iudaei, qui oracula prophetarum in manibus habebant, maxima ex parte Christum, cuius fata propriis oculis cernebant, ceu Messiam agnoscere detrectarint. Nil autem exinde contra veritatem prophetiarum messianarum in Christo adimpletarum colligi potest, dummodo nationis iudaicae indoles rite perspecta habeatur. Quovis enim tempore Iudaei, uti historia docet, erga prophetas a Deo missos animum durum, ingratum et rebellem ostenderunt (8). Praecipue autem tempore Christi natio iudaica valde corrupta extitit, atque ideo multi oracula prophetarum vel omnino non legebant, vel non intelligebant, vel etiam per spurias variarum sectarum expositiones et traditiones, ac praecipue per falsam Messiae ceu regis terrestris potentissimi notionem penitus corrumpebant. — Negari autem non potest, haud paucos melioris indolis Iudaeos vaticinia messiana recte intellexisse, ipsa in Christo adimpleta agnovisse, atque ideo religionem christianam suscepisse (§. 135). Maiorem vero gentis iudaicae partem in Messiam non credituram fore, ipsi prophetae iam dudum praedixerant; atque ideo ipsa obstinata Iudaeorum increduli-

(1) Io. 3, 14. (2) I Petr. 2, 24.
(3) Io. 55, 6. (4) Ex. 16, 4. Ps. 77, 24 etc.
(5) I Cor. 10, 4, etc.

(7) Cf. Frint l. c. §. 87 etc. Dan. Huet. Prop. 9, cap. 170. Mart. Becani Analogiam V. et N Testamenti. (8) Matth. 23, 37.

tas, quae ad nostra usque tempora durat, pro nobis argumentum affert (1).

ARTICULUS V.

De Religionis christianae propagatione, efficacia et conservatione.

§. 149.

Si attente consideremus, quomodo Religio a Christo tradita in mundo propagata sit, quantum corruptos hominum mores emendaverit, iisque stupendam in perferendis tribulationibus fortitudinem tribuerit, et quam mire inter plurimos sibi adversantes tumultus per octodecim saecula conservata fuerit, nova atque sat solida ad ipsius divinitatem vindicandam argumenta invenimus. Nam in Religionis christianae *celerrima propagatione*, *stupenda efficacia* et *mira conservatione* occurrunt vera miracula in ordine morali, i. e. eventus tales extraordinarii, qui licet nihil habeant, quod cum legibus naturae physice pugnet, tamen specialem Dei operationem, ac divinae providentiae ordinationem probant prorsus singularem, quia praeter expectationem et communem rerum cursum contingunt, atque spectatis hominum moribus et naturali rerum humanarum cursu contingere non potuissent. Itaque sicut miracula prius allata (Art. II) physice impossibilia sunt, ita haec eventus complectuntur moraliter impossibiles. In illis se Deus Dominum naturae ostendit, in his se Dominum gratiae commonstrat. Utriusque autem generis miracula, sive in ordine naturali, sive in ordine supernaturali patrata, causalitatem divinam, seu immediatum ac supernaturalem influxum Numinis divini ostendunt, et sic Religionem divinitus revelatam esse probant (2).

(1) Cf. Frint l. c. §. 92. Perrone tom. IV, 178 et seq.

§. 150.

A. Religionis christianae celerrima propagatio.

Si rite perpendamus praeprimis *impedimenta fortissima*, Religionis christianae propagationi obstantia, dein *media*, ad hanc promovendam destinata (naturaliter sumta) *maxime infirma*, ac demum *eventum splendidissimum*, naturaliter nullo modo explicandum, omnino necesse est, ut *supernaturalem divini Numinis influxum* statuamus.

I. Impedimenta fortissima tum *interna*, tum *externa* Religionis christianae propagationi obstiterunt. a) Praecipuum enim praedicationis evangelicae argumentum erat *Iesus crucifixus*, *Iudaeis quidem scandalum*, *Gentibus autem stultitia* (3).— In parte sua *theoretica* Religio christiana credendum proponit Deum unum in essentia et trinum in personis, Filium Dei incarnatum, peccatum originale, quod omnes homines corrupit, carnis resurrectionem aliaque mysteria captum humanum longe superantia. Quis autem nescit, quantum superba hominis mens illa credere refugiat, quae non solum incomprehensibilia sunt, sed et sibi adversantia videntur?— Accedit quod eadem haec Religio in parte sua *practica* omnibus cupiditatibus bellum indicat, iubeat voluptates fugere, iniurias condonare, omnesque pravos animi motus comprimere, mundum odisse, honores et alia commoda parvi ducere, et alia multa, quae ita sunt comparata, ut naturam humanam exterreant, et odium pariant eius, quae ea praecepit, Religionis. b) Praedicanda autem erat haec Religio tum *Iudaeis*, tum *Gentilibus*; sed inter hos et illos maxima obstacula inveniebantur. Iudaei enim Religioni patrum suorum, quam a

(2) Cf. Liebermann t. I, p. II, cap. II, art. IV, § II Observ etc. (3) I Cor. 1. 23

Deo revelatam sciebant, et caeremoniis externis, per Moysen praescriptis, tenacissime inhaerebant, et ad has dimittendas vix adigi poterant. Ex carnali suo corde, et ob praeconceptas suas opiniones Messiam ut Regem potentissimum, qui ipsos a iugo Romanorum liberaret, et desiderabant et exspectabant, atque ideo a Christo humili et paupere abhorrebant. His accessere plurimae atque horrendae calumniae, quibus principes synagogae, sacerdotes et Pharisaei Christum ut impostorem, daemonium habentem, et omni iure crucis supplicio addictum coram plebe denigraverunt. Ac demum iidem infensissimi Christi inimici sicut Apostolos, Evangelium praedicantes, dire vexaverunt, ita omnibus, qui Christo nomen darent maximas poenas minati sunt. — Gentiles, apud quos in Latio praecipue et in Graecia scientiae artesque florebant, quoad mores tamen, ipsis ethnicis scriptoribus fatentibus, valde illo tempore corrupti, deliciis voluptatibusque dediti, ac ideo prorsus inepti erant ad Christi religionem suscipiendam. Praeterea Philosophi ethnici Religionem christianam, cuius mysteriis offendebantur, et per quam inania sua systemata confundi intelligebant, tum verbis tum scriptis exagitarunt. Sacerdotes gentiles, quorum auctoritas, sustentatio et lucrum ab idolorum cultu dependit, omni modo populum a fide in Christum avertere conati sunt: ideo omnia, quae tunc temporis contigere mala, omnesque adversitates neglecto idolorum cultui, novaeque Religionis professioni adscripserunt. Denique imperatores romani inhumanas, crudeles barbarasque persecutiones in Christianos excitarunt, ut idololatriam, antiquam Religionem tam arcte cum bono civitatis, ut arbitrabantur, connexam, ac simul summi pontificatus apud Romanos honorem et ius principibus delatum sibi conservarent, quod per novam religionem everti cernebant. Inaudita ideo et cogitatu horrenda tormenta excogitata, et ubique locorum adhibita sunt, ut homines a suscipienda Religione christiana deterrerentur.

2. Media, ad Religionis christianae propagationem destinata, si naturaliter considerentur, *maxime infirma*, imo et *inepta* dici debent. a) Ad praedicandum enim Evangelium missi sunt duodecim Apostoli, qui maxima ex parte erant piscatores, homines nullis litteris exculti, nullis armis, nullis divitiis instructi, nullo principum favore adiuti, pauperes, simplices, obscuri. Una iis scientia, scire Christum et hunc crucifixum; una eloquentia, verbum crucis aperte, ac simpliciter exponere; una prudentia, quidquid iniuriae inferebatur, patienter sustinere, ac pro malis bona reddere. Sectatoribus suis non tantum bona temporalia nulla proponunt, sed ignominiam, aerumnas, supplicia. Quis iam sanae mentis dicat tales viros naturaliter synagogam superare, idolorum templa destruere, pro iis vexillum crucis erigere, novamque Religionem toto in mundo propagare potuisse? — b) Quod si ad patriam Apostolorum respiciamus, plerosque ex Galilaea fuisse comperimus (1). Iudaeis autem sat communis persuasio inerat, neque Christum (2), neque prophetam, i. e. legatum divinitus missum a Galilaea venire (3). Quam arduum ergo erat, ut viri ignobiles - Galilaei - a Iudaeis ut divini praecones reciperentur? — Ethnicis equidem distinctio inter Iudaeos et Galilaeos satis nota non fuit; sed illi generatim Iudaeos, ut osores idolorum sperne-

(1) Act. 1. 11. (2) Io. 7, 41. (3) Io. 7, 52. Cf. Io. 1, 46

bant, et ut gentem devictam sed contumacem et rebellem vilipendebant. Quantae ergo difficultatis erat, ut superbi Gentiles a praeconibus, ex Iudaea venientibus, Religionem Christi, in humili Iudaeae loco nati, assumerent? —

3. Eventus praedicationis evangelicae omnem exspectationem longe superavit. Religionem enim christianam celerrime ubique locorum propagatam fuisse, tum *sacri*, tum *profani* scriptores contestantur. a) Paulus (1) Religionis christianae praeconibus Psalmi XVIII, 4 verba attribuit: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Et ad Colossenses (2) ait: *Evangelium pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit, sicut et in vobis.* Ad Romanos scribit, fidem eorum annuntiari in universo mundo (3), et seipsum replevisse a Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum Evangelium Christi (4). Constat quoque ex Actibus Apostolorum, Paulum Palaestinam, Syriam, Asiam minorem, Thraciam, Macedoniam, Graeciam, atque praecipuas insulas Aggaei et Mediterranei maris peragrasse, usque in Italiam pervenisse, et ubique Ecclesias fundasse. Similiter de S. Petro constat ex prima eiusdem epistola, quod in Ponto, Galatia, Cappadocia (Asia minore), Bithynia Evangelium promulgarit. Reliquos Apostolos aliis populis, ut Parthis, Medis, Persis, Aethiopibus, imo et Indis Evangelium praedicasse, partim ex antiquis monumentis, partim ex constanti traditione cognoscimus. Praedicatio autem Apostolorum plurimos ad fidem christianam perduxit. Id testatur *S. Clemens Rom.* in prima ad Corinthios epistola scribens: « Hisce viris (Petro et Paulo) aggregata est multitudo ingens electorum, qui multa martyria et tormenta sustinuerunt, nobisque praeclara exempla facti sunt. » *S. Ignatius M.* ad Philadelphios « Ecclesiam Christi a terrae fine usque ad finem dilatatam esse » scribit. *Iustinus M.*, qui medio saeculo secundo floruit, testatur « nullum esse genus hominum sive barbarorum, sive graecorum, sive etiam aliorum omnium quocunque appellentur nomine, sive in plaustris degentium, vel domo carentium, inter quos non fiant preces, et gratiarum actiones Patri et creatori omnium per nomen Iesu Christi crucifixi (5). » — Huius viri testimonium confirmat *S. Irenaeus* paulo post secutus qui in catalogo Ecclesiarum enumerat Germaniam, Galliam, Hispaniam, Aegyptum, Lybiam, eodem lumine fidei illustratas, et pari omnium concordia sicut uno solis lumine universus terrarum orbis illustratur (6). *Tertullianus* cum emphasi dicit: « Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis relinquimus templa (7). » *Eusebius* enarrat, Apostolorum discipulos integras nationes ad christianam fidem perduxisse (8). b) *Tacitus* suo tempore, i. e. in fine saeculi primi, « ingentem christianorum multitudinem inventam fuisse » testatur (9). *Seneca*, qui Christianos cum Iudaeis confundit, inquit: « Cum interim usque eo convaluit consuetudo sceleratissimae gentis, ut per omnes iam terras recepta sit; victi victoribus leges dederunt (10) ». *Plinius* iunior, Asiae proconsul ad Traianum scripsit:

(1) Rom. 10, 18. (2) Col. 1, 6.
(3) Rom. 1, 8. (4) Rom. 4, 19.
(5) Dial. c. Tryph. n. 117.
(6) L. 1 adv. haer., c. 3.
(7) Apologet. c. 37.
(8) L. 3 Hist. eccl., c. 37.
(9) L. 15 Annal., c. 44.
(10) Ap. August. l. 6 de Civ. Dei, c. 11, n. 36

« Visa est mihi res digna consultatione propter periclitantium numerum; multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, et vocabantur; non civitates tantum, sed vicos etiam atque agros christianae superstitionis contagio pervagata est; prope iam desolata templa deorum, et solemnia diu intermissa (1) ». Post tam luculenta et christianorum et ethnicorum scriptorum testimonia negari prorsus non potest, Religionem christianam iam tribus primis saeculis sub imperatoribus infidelibus celerrime atque latissime propagatam fuisse.

4. Celerrimam autem hanc Religionis christianae propagationem non esse opus humanum sed divinum, *ratio* probat et *historia* confirmat. — a) Certum enim rationis principium est, non dari effectum sine causa sufficienti. Quodsi effectus certus per causas naturales explicari nequit, ad causam supernaturalem, seu ad omnipotentis Dei influxum recurrere necesse est. — Tale quid autem occurrit in celerrima Religionis christianae propagatione quae naturaliter explicari nequit, cum impedimenta fortissima per media maxime infirma, ac inepta superari non possint. Iure ideo *Hooke* ait: « Facilius concipitur per turbam puerorum regnum quoddam expugnari, quam per duodecim piscatores mundum circa religionem reformari. Idemque iudicium iam in initio praedicationis evangelicae sapientissimus *Gamaliel* tulit, qui, cum Apostolis praedicatio severissime interdiceretur, publico in concilio dixit: *Sinite illos; quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur; si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud* (2). Ex hoc sat solido dilemmate iam modo omni iure ratio sana concludit: Religio ab Apostolis annuntiata, non dissoluta, sed mirifice propagata est, ergo non fuit ex hominibus, sed a Deo consilium hoc, aut opus. b) Iuxta regulas criticas uti ipsa facta, ita et eorundem causas non tam per ratiocinia, quam potius per authentica monumenta declarare oportet. Talia autem ostendunt, non naturali, sed supernaturali modo miram Religionis christianae propagationem perfectam esse. — Supernaturalem enim assistentiam iam Christus ipse Apostolis promiserat dicens: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus S. in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae* (3). Idem miracula praedixit in fidei confirmationem patranda; ait enim: *Signa eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super aegros manus imponent et bene habebunt* (4). — Quae Christus praedixerat, etiam mox adimpleta fuere. Nam cum complerentur dies Pentecostes, Apostoli *repleti sunt omnes Spiritu S.* qui visibili modo super ipsos venit, *et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus S. dabat eloqui illis* (5). Ab hoc tempore *illi profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* (6). Petrus cum Ioanne ascendens in templum claudum a matris utero, invocato nomine Iesu, sanavit (7). Postea ad Petrum afferebant *aegros et vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes* (8). Sic etiam per sudaria, et semicinctia Pauli *recedebant ab eis*

(1) L. 10, Epist. 97. (2) Act. 5, 38.
(3) Act. 1, 8. (4) Marc. 16, 18.
(5) Act. 2, 4. (6) Marc. 16, 20.
(7) Act. 3. (8) Act. 5, 16

languores, et spiritus nequam egrediebantur (1). Neque dubitari potest, pari modo et reliquos Apostolos miracula patrasse. In genere enim de Apostolis dicitur: *Multo tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiae suae, dante signa et prodigia fieri per manus eorum* (2). Et Paulus ait, Apostolos ea, quae audierunt, praedicasse, *contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus S. distributionibus secundum suam voluntatem* (3). Ipsi ergo Apostoli candide fassi sunt, se non naturalibus suis conatibus, sed spiritualibus auxiliis Religionem christianam propagasse. Neque res aliter concipi potest; nam, ut satis solide ait *S. Augustinus* de incredulis: « Si miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine aliis miraculis credidit (4)».

Nota 1. Non desunt, qui cum *Gibbon*, aliisque incredulis prolatum argumentum impugnare, et celerrimam Religionis christianae propagationem naturaliter explicare conati sunt. Hanc, aiunt, maxime promoverunt a) tot populorum coniunctio sub una imperii romani auctoritate, quo factum est, ut fama longe lateque propagaretur novae istius religionis; b) indoles philosophiae, quae illo tempore in mysticismum et rerum externarum contemtum declinaverat: c) communio bonorum et mutua caritas, inter christianos tunc temporis conspicua, per quam pauperibus de necessaria sustentatione abunde provisum erat; d) assertio christianorum, quae omnem spem salutis aliter sentientibus ademit, credentibus vero et baptismum suscipientibus veniam omnium peccatorum, et aeternam felicitatem promisit; e) demum allegata a christianis miracula, quibus plerique caecam fidem adhibuerunt. — Sed causae istae assignatae ad mirabilem christianae religionis propagationem naturaliter explicandam nullatenus sufficiunt, quia per illas nec impedimenta fortissima e medio sublata, nec media maxime infirma fortiora reddita sunt. Nam a) Apostolis equidem, quod favente divina providentia factum est, ad varias unius, eiusdemque imperii provincias facilius patuit via, sed non ideo minoris difficultatis erat, doctrinam mysteriis gravibusque praeceptis refertam praedicare, praecipue cum per tria saecula imperatores ipsi non solum antiquo errori tenaciter inhaererent, sed et religionem novam dire persequerentur. b) Philosophiae, ut communiter fit, paucissimi operam navarunt, et qui illius studio addicti fuerunt, quae ex suis principiis recta cognoverunt, admiserunt, reliqua negavere: teste S. Augustino (5) philosophi ethnici christianae religionis infensissimi adversarii fuerunt, praecipue Stoici et Epicuraei. c) Communio bonorum et mutua caritas post propagationem factam, seu in iam fundatis Ecclesiis christianis conspicua fuit. Et si illa pauperes allicere potuit, divites naturaliter absterrere debuit; his vero absentibus, quomodo pauperes de necessaria sustentatione sibi blandiri poterant? — d) Iudaei quoque idololatras damnarunt, veri autem Dei cultoribus salutem adiudicarunt, an ideo multos ad partes suas traxerunt? — Christiani autem peccatorum veniam, aeternamque salutem illis tantum promiserunt, qui

(1) Act. 19, 12. (2) Ibid. 14, 3.
(3) Hebr. 2, 4.
(4) De Civ. Dei l. 22, c. 5. Cf. S. Chrysostom. Orat. 5 c. Gentil. Hom

Segneri, L'incredulo senza scusa, p. 2, 19. P Zimmer Ver. Rel. chr. t. 1, §. 256 etc.

vere contriti pravos sensus suos mutant, inordinatasque passiones abnegantes evangelica praecepta adimplent. Firma autem de veritate religionis persuasione, iam aliunde hausta, opus est, ut quis talibus promissionibus credat, conditionesque requisitas adimpleat. e) Quod miracula attinet a christianis allegata vel illa revera patrata sunt, vel non; si primum, fatendum est, quod volumus, nempe mediis supernaturalibus religionem christianam propagatam esse; si secundum, intelligi non potest, quomodo orbis, hominibus obscuris et idiotis fidem adhibuerit, sibique novam ac corruptae naturae gravissimam religionem imponi passus sit.

Nota 2. Inepte allato argumento opponitur celerrima propagatio Islamismi; in hac enim impedimenta maxime infirma et media naturalia fortissima observamus. Nam Religio mahumetana, quae cupiditatibus favet, et per epicureae felicitatis pollicitationes allicit, non persuasione, sed vi armorum, atrocibus minis terroribusque belli propagata fuit.—Idem fere dicendum est de celeri protestantismi propagatione, quae sat naturaliter explicari potest. Agebatur enim de reformatione, quae ad maiorem in moribus ac disciplina licentiam homines alliciebat, et laicos a peccatorum confessione et a praeceptis Ecclesiae, presbyteros a coelibatu liberavit, et principibus bona ecclesiastica adiudicavit etc. (1).

§. 151.

B. Religionis christianae stupenda efficacia.

Religio christiana, ab Apostolis praedicata, stupendos in orbe terrarum effectus produxit, dum *mores corruptos emendavit, homines quoque pessimos quasi in momento in sanctos mutavit, plurimisque imbecillibus personis invictam ad atrocissima martyria perferenda fortitudinem ingessit.* Isti autem effectus, qui sine divini Numinis influxu explicari nequeunt, miraculis in ordine morali patratis iure accensentur, ac ideo Religionis christianae divinitatem probant.

1. Mores hominum ante Evangelium praedicatum corruptissimos fuisse, omnis historia testatur. Neque id mirum fuit apud Gentiles, qui numina flagitiis dedita colebant et in eorundem honorem scelera committebant. Ideo ubique errores, iniustitiae, foedae libidines atrocesque caedes praevaluerunt (2). Qui autem Religionem christianam susceperunt, ita mox mutati sunt in alios, ut non tantum a vitiis temperarent, sed etiam exempla exhiberent maximarum virtutum. Et haec exempla non rara fuerunt et aliquorum tantum, sed generatim in christianis ita conspicua, ut magnam etiam paganis iniecerint christiani nominis reverentiam. Communiter ideo fideles ab ipsis Apostolis *sancti* appellati sunt (3). *Iustinus M.*, *Athenagoras* et *Tertullianus* in suis apologiis publica de incontaminata christianorum vita testimonia tulerunt, nec fuit qui haec enervaret. *Plinius* quoque iunior in epistola ad Traianum christianorum mores maxime laudavit. — Talis vero morum emendatio nonnisi divinae virtuti adscribi potest. Nemo enim ignorat, quantae molis sit vel unius hominis mentem immutare, et ex flagitioso homine vere probum et sanctum efficere. Non est hoc humanae virtutis opus, sed miraculum gratiae in ordine morali, sicut resuscitatio mortui in

(1) Cf. Beda Mayr P. II, S. II, §. 492 etc. Liebermann l. c. arg. adv. sol, Perrone t. 1, n. 374 etc

(2) V. Stolberg G. d. R. B. II, Beil. III.
(3) Rom. 1, 7. I Cor. 1, 2. Ephes. 1, 1.

ordine naturali. Quis iam, cum viderit, tam mirabiles effectus non in uno aliove, sed in multitudine prope infinita, ubique terrarum contigisse, ita ut fere iuxta prophetica verba facta sit nova creatio, novi coeli et nova terra, quis, inquam, haec videns non exclamare cogitur: *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris* (1)? Nil tale philosophi praestiterunt, licet hinc inde sat bonas doctrinas morales tenerent et discipulis suis in scholis diligentissime traderent. Genuinam tamen morum mutationem perficere, et veram vitae sanctitatem producere non valuerant. Imo de philosophis M. T. Cicero conqueritur, « eos non obtemperare ipsos sibi, nec ea facere, quae docebant (2). »

2. Summi sane momenti est hominum, in profundum errorum ac vitiorum barathrum immersorum, subitanea et perfecta conversio, cuius in primis praecipue Religionis christianae temporibus plura exempla inveniuntur. Maximam autem admirationem meretur conversio Pauli, qui in schola Gamalielis educatus, Iudaismo in secta Pharisaeorum pertinaciter inhaerens, christianos dire persequebatur. — Cum autem spirans minarum et caedis in discipulos Domini Damascum pergeret, luce coelesti perfusus, et in terra prostratus, audita voce: *Ego sum Iesus, quem tu persequeris* (3), derepente in alium omnino hominem ita mutatus est, ut eruditus ab Anania baptismum susciperet, religionem christianam ipse defenderet, et praedicaret, Apostolus gentium fieret, pro fide Christi plurimas aerumnas et persecutiones, ac demum ipsam mortem sustineret. Talis autem subitanea et constans mutatio Sauli in Paulum, lupi in agnum, Pharisaei maxime obstinati in christianum maxime ferventem, persecutoris in Apostolum, non iam naturae adscribi potest, quae saltum nescit, seu supernaturalis gratiae opus dici debet, uti Lucas (4) narrat, et Paulus ipse fatetur (5).

3. In decem diris persecutionibus, ab imperatoribus romanis motis ingentem christianorum multitudinem martyrium pro fide Christi sustinuisse, tum ex Apologetis christianis, tum ex testimonio *Eusebii* (6), *Lactantii* (7), *Sulpitii Severi* (8), *Taciti* (9) et aliorum constat. — Ex iisdem monumentis et ex genuinis martyrum Actis (quorum plurima collegerunt *Ruinart*, *Assemmannius* et alii) certo liquet, exquisitissima fuisse supplicia quibus christiani ubique subiecti fuerunt. Ad hos enim cruciandos inhumani persecutores adhibuerunt tauros aeneos candentes, ferreas laminas, faces, sarmenta, pectines ferreos, equuleos, forcipes, rotarum varia genera, torcularia, nervos, cruces, compedes, ungulas, plumbata, uncos, lebetes, sartagines, craticulas, aliaque innumera, quae sine maximo horrore legi aut cogitari non possunt. Haec autem christiani plurimi cuiuscunque conditionis, aetatis ac sexus, delicati, nobiles, servi, senes ac decrepiti et infirmi, fragiles foeminae, pavidi pueri et tenerae puellae in toto, qua patet, terrarum orbe tolerarunt. — Data enim optione, an a fide deficientes delicias et honores aucuparentur, an in fide constantes supplicia experirentur, haec potius eligebant, ac saevos quosque cruciatus ea fortitudine et alacritate subibant, ut retineri aliquando vix possent,

(1) Ps. 117, 23.
(2) Cf. Zimmer t. I, §. 228-235. Liebermann l. c. Prop. II.
(3) Act. 9, 1-12. (4) Act. 9.
(5) Act. 22, 10-16. Phil. 3, 4-8. I Tim. 1. Cf. Sailer Grundl. d. Rel. 29. Vorles
(6) Hist. eccl. l. 8, c 4.
(7) De mort. persec. c. 16.
(8) 1 Hist., l. 2. (9) Annal. l. 15, n. 44.

quominus ipsi se sponte ad immania quoque offerrent, « quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, scribit *Sulpicius* (1), multoque avidius tunc martyria gloriosis mortibus quaerebantur, quam nunc episcopatus pravis ambitionibus appetuntur; » et dum latrones, subdit *Lactantius*, et robusti corporis viri eiusmodi lacerationes perferre nequeunt, et gemitus edunt victi dolore, pueri et mulierculae tortores suos tacite vincunt, et exprimere illis gemitum nec ignis potest (2).— Quis iam talem animi fortitudinem et alacritatem naturaliter explicabit? — Certe - sive martyres naturalem tormentorum vim senserint, sive non, divinus influxus negari haud potest. Constat enim naturam humanam a violentis cruciatibus, et tormentis maxime abhorrere. Id patet praecipue in cruentis operationibus chirurgicis, quae licet cum omni possibili lenitate ad salutem corporis suscipiantur, tamen piis quoque et robustis hominibus praevium horrorem incutiunt, et sine gemitibus, clamoribus vel et convulsionibus vix perficiuntur. Imo non raro contingit, his adstantes deliquia pati, solum aspectum perferre non valentes. Quis iam naturae viribus illam fortitudinem, alacritatemque adscribet, quam martyres in perferendis saevissimis tormentis ostenderunt? — in ipsis profecto natura non mutata, sed per gratiam corroborata fuit. Si ergo martyres naturalem tormentorum vim senserunt, extraordinarium auxilium divinum, seu gratiae supernaturalis operatio negari nequit. Si vero naturalem tormentorum vim non senserunt, vel si a voracibus belluis, a vehementissimo igne et ab aliis tormentis, ut saepius contigit, nullam prorsus iacturam passi sunt, id sane naturaliter explicari non potest, sed ut veri nominis miraculum est agnoscendum.— Inter ipsos ethnicos, propriis oculis martyres considerantes, plurimi supernaturalem Divinitatis influxum agnoscebant, et ideo religionem christianam suscipiebant. Exinde potissimum factum est, ut id quod naturaliter homines a fidei christianae professione absterrere debuisset, ad hanc promovendam maxime conferret. Mirum hunc martyriorum effectum iam admirati sunt patres, illumque ceu argumentum ad religionis christianae veritatem probandam adduxerunt. Sic *Tertullianus* praesides alloquitur: « Cruciate, torquete, damnate, atterite nos.... plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis christianorum... nec quidquam proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra, illecebra est magis sectae(3) ». Idem testantur *Arnobius* (4), *Lactantius* (5), nec non *Theodoretus*, qui praeclara hac utitur comparatione: « Sicut lignatoribus silvam caedentibus multo plures pullulant propagines a radicibus, quam sint rami qui inciduntur, ita tunc quoque, piis compluribus interfectis, multo plures quotidie ad doctrinam evangelicam accedebant(6).»

Nota. Absonum est, quod nonnulli increduli argumentationi nostrae opposuerunt, dicentes, martyres ex stupiditate, vel ex insaniente fanatismo tot tormenta tolerasse. Constat enim, doctos quoque, et sat eruditos viros pro Christo sanguinem fudisse. Neque in imperio romano, quod illo tempore optime adhuc excultum erat, tanta barbaries stupiditasque inter homines fuit, ut optione data inter delicias et supplicia, inter libertatem et carceres,

(1) Hist. l. 2. (2) Div. inst. l. 5, c. 15.
(3) Apol. c. 37. (4) C. Gent l. 2, n. 3.
(5) Div. inst. l. 5, c. 23.
(6) Serm. 9. de legib.

inter vitam et mortem discernere non valuissent, aut caeco prorsus modo dura pro amoenis elegissent. Ipsa sapientissima responsa, quibus a martyribus imo et a femellis, iudices ethnici confusi sunt, sat ostendunt, illos stupidos haud fuisse. — Eodem modo insanientis fanatismi suspicionem longe a martyribus removent - quies animique tranquillitas, quam in cruciatibus acerbissimis praeseferebant, doctrina sanctissima, quam non solum intrepide profitebantur, sed saepe etiam solidis rationibus confirmabant, amor, quo complectebantur inimicos suos, preces, quas pro persecutoribus fundebant, et alia beneficia, quae hinc-inde illis, a quibus cruciabantur, praestabant. —Neque argumenti nostri vis ex eo enervatur, quod inter infideles quoque et haereticos nonnulli inventi fuerint, qui pro superstitione, seu errore suo cruentam mortem tolerarint. Horum enim numerus cum multitudine martyrum pro fide christiano-catholica occisorum comparari nequit. Infideles et haeretici pro suis opinionibus, circa quas imaginatio saepe fallit, mortui sunt, martyres autem vere christiani facta sensibilia et publica, i. e. miracula patrata, de quibus omnino persuasi fuerant, morte sua confirmarunt. Inter illos multi non tam propter fidem, quam profitebantur, quam potius propter falsa, et bono civitatis penitus contraria principia, quae spargebant, vel propter impias seditiones, quas excitabant, morte mulctati sunt. Neque in istis virtutes mansuetudinis, patientiae et caritatis erga inimicos tam conspicuae fuerunt, ut in martyribus christianis. Demum in illorum favore nec unum ex miraculis assignari potest, quae frequenter in gratiam martyrum christianorum contigerunt, uti ex genuinis eorundem actis patescit (1).

§. 152.

C. Religionis christianae mira conservatio.

Divina Providentia, quae se in conservanda Religione mosaica manifestavit, etiam in conservanda Religione christiana satis conspicua est. — Religionis enim christianae *perpetua inter vehementissimas persecutiones stabilitas, funestus persecutorum eius interitus, ac supernaturalia charismata*, quibus genuinae doctrinae christianae perfecti sectatores quovis in saeculo exornati apparuerunt, singularem divinam opem, seu constans miraculum in ordine morali ostendunt.

1. Christus Religioni et Ecclesiae a se institutae, non obstantibus plurimis persecutionibus, perpetuam stabilitatem promisit, dicens: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam* (2). Quod autem Christus praedixit iam per octodecim saecula verificatum est. — Religio enim christiana in tribus prioribus saeculis dirissimis in toto imperio romano agitata est persecutionibus. — His vero cessantibus ex ipsius gremio aliud saevissimorum adversariorum genus enatum est, nimirum haeretici, ac imprimis Ariani, qui imperatorum favore suffulti vehementissimos motus excitarunt ad rectam Christi fidem labefactandam. His successerunt Donatistae, Pelagiani, Nestoriani, Eutychiani, Monothelitae, Iconomachi, aliique, quorum in christianos recte sentientes insultus historia ecclesiastica exhibet. Quot dein turbines posterioribus saeculis produxerunt Albigenses, Hussitae, et praecipue saeculo decimosexto Novatores, qui sub specioso reformationis nomine omnem lapidem moverunt ad genuinam doctrinam Christi corrumpendam! Ultimis demum

(1) Perrone l. I, n. 411-437.
(2) Matth. 16, 18.

temporibus quot extiterunt increduli, athei, rationalistae, qui sub philosophiae larva, qua incautos deceperunt, conatus suos nonnisi eo direxerunt, ut omnis religio positiva, praecipue christiano-catholica e mundo eliminaretur! Hanc tum verbis, tum scriptis publice editis insectati sunt; ab hac homines per falsa sophismata, per apparentes antilogias, per malignas calumnias, per temerarias irrisiones, per S. Scripturae et historiae corruptiones, ac per alia inordinata media avertere studuerunt; adversus hanc foedera et societates inierunt, quibus sese singuli jureiurando obstrinxere, ut nullis parcerent sumptibus, nullis incommodis, itineribus, nullisque mediis ad finem assequendum. — Sed nihilominus vera Christi religio et ecclesia, licet internum et externum permanens bellum sustinere, ac per vicissitudines saeculorum modo prosperas, modo adversas transire debuerit ac debeat, quotidie cernit ex inimicis suis cadere a latere suo mille, et decem millia a dextris suis, et novis insurgentibus veteres deficere, semper sibi constans, semper victrix, ex sua virtute fortis, semper una, semper foecunda ac maiestate plena. — Quod si serio perpendamus, quam incertae et immobiles sint omnes res humanae, cum nihil sub sole permaneat, sed innumeris casibus in omnem partem cuncta agitentur, si imprimis omnium humanarum institutionum, potentissimorum etiam regnorum, imo et systematum philosophicorum, et variarum sectarum vicissitudines et continuas mutationes attendamus, hisque opponamus invictam religionis christianae firmitatem, quae inter res torrentis instar cum impetu decurrentes sola permansit immota, dubitare profecto non possumus, divinam illam esse, et eius potentia sustineri, qui res omnes nutu suo moderatur et gubernat (1).

2. Iam in Psalmis praedictum fuit inimicos Messiae conterendos esse (2). Et Christus comparans regnum suum morale lapidi, ait: *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit conteret eum* (3). Funestam hanc sortem praeprimis experti sunt Iudaei, qui ob atroces iniurias Christo illatas maximas calamitates, ruinam urbis et templi, ac tristissimam dissipationem experti sunt (§. 142). Imperatores quoque romanos, in christianos saevientes, omnes miserrime vitam suam finiisse, testatur Lactantius (4), et cum ipsius testimonio ethnici quoque scriptores consentiunt. — Iulianus apostata in flore iuventutis misere periit, et testibus Theodoreto, Philostorgio et S. Gregorio Naz. (5) inter execrandas blasphemias animam exhalavit. Sapor quoque et Chosroë, reges Persarum, christianis infensi, multis repleti calamitatibus vitam finierunt. Sic in omnibus saeculis, ad nostra usque tempora exempla sat luculenta eorum occurrunt, qui, eoquod genuinam Christi religionem persecuti fuerint, a statu felicitatis suae deiecti magnis calamitatibus contriti sunt (6).

3. Ad Religionis christianae divinitatem probandam non solum tempore Christi et Apostolorum, sed etiam posterioribus temporibus stupenda miracula patrata fuerunt. Ad Constantinum M. e tenebris idololatriae ad lucem Evangelii perducendum splendida crux in coelo apparuit cum inscriptione: « In hoc signo vinces » cuius miri eventus to-

(1) Cf. Perrone t. I, pars I, cap. 4, prop. 4. Adr. Gretsch, Rede vom stäten Siege der Wahrheit in der kath. Kirche 4. Theil pro D. 4, p. Eph

(2) Ps. 2, 9. Ps. 71, 9. (3) Matth. 21, 44.
(4) L. de morte persec. (5) Or. 4.
(6) Cf. Adrian. Gretsch l. c. 2. Th.

tus exercitus testis fuit (1). Hippone in Africa per reliquias *S. Stephani* stupenda miracula contigerunt, quae utpote publice coram magna populi multitudine patrata *S. Augustinus* contestatur (2). Saeculo V exeunte Typasa in Mauritania multis lingua ob christianae religionis intrepidam professionem radicitus exsecta fuit, qui tamen per plures annos sine lingua perfecte loqui potuerunt, et per varias provincias dispersi multos tanti miraculi, quod ipse Voltairius naturaliter explicare non valuit, testes oculares constituerunt *Victor Ut.*(3), *Procopius* (4), *Marcellinus* (5), *Iustinianus* imp. (6). Quis satis nota miracula *S. Gregorii Neocaesareensis, S. Martini Turonensis* et plurimorum aliorum negabit, quin turbae testium, omni fide dignorum contradicat, et omnem fidem historicam labefactet? — Posterioribus saeculis iudicium de Beatis et Sanctis publice colendis sibi rectissime reservavit Ecclesia romana, quae ad beatificationem duo, ad canonizationem quatuor miracula requirit (7). In horum autem inquisitione cum tanto rigore procedit, ut inter ipsos heterodoxos iam multi hunc admirati sint. Ast hoc non obstante quovis in saeculo plures tum beatificati, tum canonizati sunt, atque ideo negari non potest, in omni aevo inter christianos recte sentientes et pie viventes tales existere, qui supernaturalibus charismatibus exornati, Religionis, quam colunt, veritatem confirmant (8).

ARTICULUS VI.

De Religionis christianae excellentia.

§. 153.

Excellentia Religionis christianae iam ex hactenus dictis abunde colligitur. Quis enim negabit, Religionem excellentissimam esse, cuius doctrina sanctissima ab ipso Filio Dei incarnato praedicata, et plurimis stupendisque miraculis ac vaticiniis confirmata fuit? At speciales quoque praerogativas quasdam hic commemorare oportet, quibus Religio christiana mire splendescit. Haec enim Religio *antiquissima* est, iam a primordiis mundi inchoata; haec porro est *absolute perfecta*, merito omnis revelationis apex et complementum dicenda; et haec denique est *indefectibilis* usque ad finem mundi nunquam ex orbe terrarum eliminanda.

§. 154.

I. De Religionis christianae antiquitate.

1. Religio patriarchalis, mosaica et christiana unum habent auctorem, unumque opus divinum constituunt ad genus humanum salvandum. Quod enim de Verbo, seu de Filio Dei, qui Christus est, Io. I, 3 legitur: *Omnia per ipsum facta sunt*, non solum de mundo physico, sed etiam de mundo morali intelligenda sunt; unde immediate v. 4 etc. additur: *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet:* imo v. 9 de eodem Verbo dicitur: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Patriarchae igitur, Moyses et Prophetae unam seriem continuam cum Christo et Apostolis efficiunt, atque in illis pariter Christus, prout in his operatus est: et ideo una eademque est tum antiqui, tum novi Testamenti Revelatio, qua Patriarchis ad instar diluculi et aurorae, in Moyse et Prophetis ad instar solis orientis, ac tandem in Filio suo in-

(1) V. Euseb. de vit. Const., c. 28 etc.
(2) De Civ. Dei l. 22, c. 8, Serm. 320 et seq.
(3) De Vand. persec.
(4) L. 1 de bello Vandal.
(5) In Chronico
(6) L. 1, Cod. de off. P. P. Afric.
(7) V. egregium opus Benedicti XIV de serv. Dei Beatif. et Canon.
(8) Cf. Al. Waibl Dogmatik d. Rel. I. Chr 1 B. 1. Abth. 3. Hauptst. 2. Absch.

carnato instar solis in meridie radios suos undique diffundentis mundum illustrare voluit. Hanc Revelationis unitatem ostendit Paulus (1) dicens: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula.*

2. Si ad obiectum respiciamus, veritates fidei in V. T. revelatae etiam in novo foedere ad credendum proponuntur, et praecepta morum, hominibus in Religione patriarchali et mosaica iniuncta, etiam in Religione christiana fidelibus inculcantur. Christus quippe ait (2): *Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut Prophetas; non veni solvere, sed adimplere*, illustrare et perficere. Christus igitur retento symbolo antiqui foederis mysteria sublimia, et dogmata summi momenti adiecit, et codicem V. T. novis legibus auxit, et praecepta morum ad maiorem perfectionem perduxit. Abrogatae sunt tantum leges caeremoniales, quae ut umbra futurorum adveniente sole evanescere debuerunt, atque leges politicae, populo dumtaxat israëlitico accommodatae, quoniam, data revelatione universali et absoluta, cedere debuit, quod erat speciale et imperfectum.

3. Inter dogmata in V. T. revelata praecipuum locum tenet promissio Messiae, seu futuri Redemptoris, in quem semper credendum erat, ut iustificatio et salus obtineretur. Haec promissio iam protoparentibus facta, per Noëmum ad posteros propagata, Abrahamo, Isaäco et Iacobo repetita fuit; unde Patriarchae adventum Messiae ardenter desiderarunt (§. 105). Moyses quoque novum Legislatorem et Prophetam, id est; Messiam praenuntiavit, et variis modis per legem caeremonialem adumbravit ita, ut Paulus appellet legem veterem (3), *umbram futurorum*, et (4) *paedagogum nostrum in Christo*. Prophetae omnes futurum Messiam annuntiarunt, et fidem in ipsum excitare conati sunt (§. 113). Quoniam autem Messias promissus alius non est, quam Iesus Christus, in hunc etiam fideles V. T. crediderunt; unde non immerito Christiani, seu credentes in Christum dici potuissent. Vere igitur fides in Christum iam in mundi primordiis incepit, et Religio christiana antiquissima est dicenda.

4. Ex dictis patet, Christum ut totius Religionis revelatae centrum esse considerandum. Omnia enim a Christo exeunt, et omnia in Christum revertuntur: *ipse primus, et novissimus, principium et finis* (5). A rerum exordio egredientes nunquam destituimur Revelationis lumine, sed per varias mundi aetates recta via pervenimus ad Christum, cuius sanctissima Religio omnis praecedentis Revelationis finis est et complementum. Christum, quem in carne venisse credimus, et quem humiliatum usque ad mortem crucis, ac propterea nunc exaltatum ad dexteram Patris adoramus, iam primi homines, Patriarchae et Prophetae crediderunt, coluerunt, desiderarunt et fervidissimis precibus implorarunt. En quanta sit Religionis christianae maiestas, cui omnia saecula famulantur! — Vere *Christus Iesus heri, et hodie; ipse et in saecula* (6). Sublato Christo, omnia obscura et aenigmatibus similia videntur, per Christum omnia in clarissima luce collocantur.

(1) Hebr. 1, 1 etc. (2) Matth. 5, 17.

(3) Col. 2, 17. (4) Gal. 3, 24.
(5) Apoc. 1. (6) Hebr. 13, 8.

§. 155.

II. De Religionis christianae absoluta perfectione.

Religio christiana non ad instar Religionis iudaicae relativa tantum

gaudet bonitate, seu perfectione, sed absoluta, ita ut neque alia perfectior sit in illius locum successura, neque ipsa in se spectata, seu obiective sit perficienda. Vere igitur Religio christiana omnis Revelationis apex, et complementum est dicenda, ita ut in Christo et Apostolis clausa sit, finita, et ad summam perfectionem adducta, quod solidis argumentis probatur.

1. Religionem christianam absolute perfectam esse, iam inde colligitur, quoniam ipsa nobis neque per visiones tantum, ut Patriarchis, neque ut populo iudaico per viros inspiratos, Moysen et Prophetas est a Deo data, sed per ipsum unigenitum Dei Filium allata. Nam si inter varias formas, quibus Deus se hominibus manifestare potest, nulla datur nobilior et perfectior, quam forma Dei hominis, Religio quoque tali ratione divinitus nobis concessa omnium nobilissima et perfectissima sit, necesse est.

2. Summus omnis Religionis revelatae scopus est perfecta hominis expiatio, plena cum Deo reconciliatio, et intima cum eodem unio moralis. At hunc triplicem finem in Religione christiana perfectissime assequimur. Messias enim venturus erat, *ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna* (1). Christus ipse (2) ait, sanguinem suum effundendum esse *in remissionem peccatorum*. Paulus (3) inquit: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Et (4) scribit: *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius:* ex hoc ipso autem infert Apostolus, nos ad moralem cum Deo unionem, et ad salutem aeternam pervenire posse; unde subdit: *Multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius*. Hinc etiam Ioannes testatur, homines ad intimam cum Deo unionem venire per fidem in Verbum incarnatum, seu Christum, *qui dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Christus ipse paulo ante suam passionem et mortem de fidelibus suis (5) dixit: *Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate - ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint. — Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus; ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum*. Cum ergo Religio christiana talis sit, ut nos ad perfectissimam cum Deo reconciliationem et unionem perducat, nulla alia perfectior Revelatio expectanda est; tam praeclaros enim effectus illa producit, ut respectu habito salutis nostrae consequendae nihil amplius desiderare liceat.

3. Apostoli satis clare Religioni christianae absolutam perfectionem attribuunt, et in illa omnis Revelationis complementum agnoscunt. Io. cap. 1, cum v. 14 dixisset: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis;* mox subiungit v. 16 etc: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia: quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Sicuti ergo his verbis Christo plenitudo gratiae et veritatis adscribitur, ita pariter adseveratur, plenitudinem gratiae et veritatis per Christum nobis communicatam fuisse. Hac de causa etiam tempus, quo Christus venit, *plenitudo temporis* vocatur, non quod post primum Christi adventum tempora

9.
26, 28. (3) Hebr. 9, 28

(4) Rom. 5, 10.
(5) Io. 17, 19 etc

cessent, sed quia plena lux Revelationis per Christum afferenda erat. Ideo Paulus (1) scribit: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Et (2): *In dispensatione plenitudinis temporum* (voluit Deus) *instaurare omnia in Christo, quae in coelis, et quae in terra sunt, in ipso.* Et iterum (3) ait, doctrinam Christi per Apostolos annuntiari, ut *occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Quibus in verbis Paulus utitur similitudine, et dicit: sicut naturalis homo suam habet mensuram, seu aetatem maturam et staturam plenam, quam consecutus non amplius crescit; ita etiam spiritualis homo per doctrinam Christi per Apostolos annuntiatam acquirit suam aetatis et plenitudinis mensuram, id est, suam staturam plenam, aetatem maturam suamque plenitudinem, scilicet perfectionem fidei et dilectionis, ita ut omnis nova Revelationis doctrina excludatur, per quam perfectio maior sit acquirenda. Hinc idem Apostolus expresse negat, novae revelationis doctrinam aliquando afferendam esse; imo illi anathema dicit, qui novam doctrinam, quasi divinitus revelata esset, praedicare praesumpserit. Ait enim (4): *Sed licet nos, aut Angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut praediximus, et nunc iterum dico: si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit.* Haec Apostolus scribere non potuisset, si Religio christiana Revelationis apex et complementum non esset, sed nova revelatio expectanda foret

(1) Gal. 4, 4. (2) Ephes. 1, 10.
(3) Ibid. 4, 13. (4) Gal. 1, 8 etc.

4. Ratio per fidem illustrata eandem veritatem confirmat. Nam si Religio christiana absolutam perfectionem non haberet, sed successu temporis perfectior reddi posset, unum ex his duobus admittendum esset, vel Christum et Apostolos perfectam doctrinam ignorasse, vel eos istam hominibus tradere noluisse. Utrumque autem falsum, absurdum et blasphemum est. Nam *Christus* est ipse Filius Dei unigenitus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi:* ergo certe perfectissimam salutis doctrinam non ignoravit, sed perfectissime cognovit. Christus est autem etiam Redemptor hominum, qui se palam *viam*, et *veritatem*, et *vitam* professus est (5), qui testatus est, *se ad hoc venisse in mundum, ut testimonium perhiberet veritati* (6); *quem veracem esse, et viam Dei in veritate docere*, ipsi inimici testificati sunt; qui homines ad summam perfectionem tendere iussit (7), qui se eorundem *bonum pastorem* nominavit, qui *animam suam dat pro ovibus suis* (8), et qui ideo venit, *ut vitam habeant, et abundantius habeant* (9). Quis audebit dicere, talem Redemptorem perfectissimam doctrinam hominibus tradere noluisse? — Porro quomodo statui potest, Apostolos doctrinam Christi assecutos non fuisse, aut hominibus eam annuntiare nolûisse, cum et ipsi Legati divini fuerint, in universum mundum missi, *ut docerent omnia, quae Christus mandavit* (10), cum ideo Spiritu S. repleti fuerint (11) qui *eos doceret omnem veritatem* (12) *et suggereret omnia*, quae a Magistro divino ipsis patefacta fuerant (13) et qui suam extraordinariam missionem divinam factis divinis demon-

(5) Io. 14, 6. (6) Ib. 18, 15.
(7) Matth. 5, 48. (8) Io. 10, 11.
(9) Ib. v. 10. (10) Matth. 28, 20.
(11) Act. 2, 4. (12) Io. 16, 13.
(13) Ibid 14, 26.

strarunt? — Certe quilibet Apostolus cum Paulo dicere potuisset: Videte, *quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, et docerem vos publice et per domos... Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis* (1).

5. Absoluta Religionis christianae perfectio recte etiam infertur ex eius indefectibilitate, quae §. seq. probatur. Nam si illa usque ad finem mundi perduratura est, nunquam nova revelatio, seu religio perfectior illi substituetur.

Nota. Tradita doctrina varios habuit adversarios. Nam *Montanistae*, *Manichaei*, *Anabaptistae* et *Schoedenborgiani* contendebant, doctrinae a Christo traditae novas successu temporis revelationes accedere debere. *Gnostici*, praecipue *Marcionitae*, dicebant, religionem christianam procedente tempore expurgandam, emendandam, et puriorem reddendam esse; et idem fere sentiebant *Sociniani* et *Arminiani*. *Rationalistae* hodierni sub praetextu obiectivae perfectibilitatis, quam Religioni christianae tribuunt, quidquid superbae et inquietae rationi non arridet, ex ipsa Christi Religione expungunt; atque demum in divinae revelationis locum purum putidumque naturalismum ponunt, explosa omni supernaturali Revelatione. Futilia autem sunt, quae ab adversariis assertioni nostrae opponuntur.

Obi. 1. Christus saepe locutus est iuxta conceptus Iudaeorum, et se eorum opinionibus accommodavit: et ad exemplum Magistri sui hoc idem Apostoli fecerunt. Quaecunque ergo corruptum tunc temporis Iudaismum redolent, e doctrina Christi, et Apostolorum doctrina eliminanda, et iuxta sanae rationis principia emendanda sunt.

(1) Act. 20, v. 20 et 27.

Resp. Christum se ad opiniones populares, etiam vanas, demisisse, et Iudaeorum doctrinis, licet erroneis, se accommodasse, aperte sanctissimo eius characteri contradicit, utpote qui ab omni peccato et mendacio se ubique remotissimum exhibuit, et se non tantum legatum divinum, sed et verum Dei Filium argumentis ineluctabilibus demonstravit. Accedit, Christum non tantum nunquam aliter apud populum, et aliter apud discipulos de placito aliquo disseruisse, sed et praeadamatas Iudaeorum opiniones aggressum esse, atque a doctrinis, quibus Iudaeos offendi optime noverat, tradendis haud abstinuisse, sed etiam permisisse, ut a se et discipuli abirent. Haec abunde constant ex Matth. cap. V, etc. et Io. cap. VI. Quod autem Apostoli se accommodaverint, aut sensum verum verborum Christi non assecuti fuerint, aperte cum ipsorum inspiratione pugnat; et insuper certe si Iudaeorum placitis se accommodare voluissent, doctrinam, quae visa est Iudaeis scandalum, Gentibus autem stultitia, haud proposuissent. Inania ergo et absona sunt, quae adversarii sine argumento et sine teste, imo tota antiquitate repugnante, deblaterant.

Obi. 2. Si sacros N. T. libros perscrutamur, probe cognoscimus, aliquas veritates in illis non inveniri, quae tamen modo a Christianis creduntur; et aliquas obscure tantum indigitatas esse, quae nunc clarissima et omni ex parte definita sunt. Ergo doctrinae Christi et Apostolorum nova dogmata revelata accesserunt.

Resp. Haec Protestantes obiiciunt, qui S. Scripturam ceu unicum Revelationis fontem recipiunt, traditionem vero, et infallibile Ecclesiae magisterium reiiciunt. Quae autem obiiciunt, solummodo probant, praeter

S. Scripturam etiam traditionem verum constituere Revelationis fontem, atque etiam infallibile Ecclesiae magisterium agnoscendum esse, quod non novam revelationem affert, sed a Christo et Apostolis traditam explicat et definit.

Obi. 3. Omnium artium et disciplinarum, quae ad humanitatem pertinent, commune vinculum atque cognatio est, quo efficitur, ut lux quaedam uni, alterive allata etiam reliquas collustret. Crescente ergo artium et disciplinarum cultura, etiam Religionis christianae perfectio crescere debet.

Resp. Inter varias humanas disciplinas, et etiam inter ipsas ac Religionis doctrinam aliquod vinculum dari, non negamus: ast exinde ad summum sequitur, aliquas doctrinas religiosas posse succedentibus temporibus clariores et dilucidiores fieri, vel etiam nova argumenta veritatibus addi, nullo modo autem revelationem divinam corrigi, aut augeri. Subiective ergo in mentibus hominum, non autem obiective Religionis christianae perfectio crescere potest. Idem fere fit in scientiis humanis. Philosophia ad maiorem perfectionem perducta veritates rationales, quae obiective semper eaedem manent, melius cognoscit, non novas producit, et astronomia sidera accuratius indagare, non vero nova procreare valet.

§. 156.

III. De Religionis christianae indefectibilitate.

Prout Religio christiana minime successu temporis perfectior reddi potest, ita etiam nunquam aut prorsus potest desinere, aut etiam quidquam de sua integritate amittere, seu deficere. Esse autem Religionem christianam revera indefectibile sequentibus argumentis probatur.

1. *In S. Scriptura*, sicut praedictum fuit, legem mosaicam aliquando abrogandam, et revelationem perfectiorem illi successuram esse, ita satis clare adseveratur, hanc ipsam revelationem perfectiorem, a Christo Domino allatam nunquam finem habituram esse. Ideo Paulus (1) dicit: *Si enim quod evacuatur, per gloriam est, multo magis quod manet in gloria est*, idest, si enim lex vetus eiusque ministerium, quae transitoria erant, gloriosa fuerunt, multo magis erunt gloriosa lex nova eiusque ministerium, quae usque ad finem mundi permanebunt. Hac de causa vocatur *Evangelium aeternum* (2) et *Testamentum novum* pariter *aeternum* (3). Hac de causa Christus ipse dicit, se cum Apostolis docentibus futurum esse *usque ad consummationem saeculi* (4), et Ecclesiam a se instituendam tam firmam esse, ut portae inferi non praevaleant unquam adversus eam (5). Iam Angelus Gabriel de Christo inquit: *Regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis* (6). Eodem sensu (7) Paulus dicit, *Christus heri, et hodie: ipse et in saecula*. Ergo Religio christiana nunquam deficiet, sed usque ad consummationem saeculi perdurabit.

2. Ratio per fidem illustrata hoc idem probat. Nam Deus *omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (8). Hunc in finem Christus doctrinam suam coelestem hominibus annuntiavit, et pro ipsis passionem et mortem subiit. Nam *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* (9).

(1) II Cor. 3, 11. (2) Apoc. 14, 6. (3) Hebr. 13, 20. (4) Matth. 28, 20. (5) Ibid. 16, 18. (6) Luc. 1, 32 etc. (7) Hebr. 13, 8. (8) I Tim. 2, 4. (9) Io. 3, 16.

Et: *Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est* (1). Si autem Deus omnes homines omnium locorum et temporum vult salvos fieri, et si Christus in hunc finem pro omnibus mortuus est; omnino necesse est, ut Religio christiana semper in sua integritate persistat, et nunquam deficiat, quia per hanc Religionem tantum homines salvi fieri possunt; *neque* enim *aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (2).

§. 157.

Conclusio capitis.

Ex hactenus dictis sole clarius apparet, in Religione christiana characteres divinae revelationis tum internos, tum externos inveniri, ex quo concludendum est, ipsam vere divinitus revelatam esse. Id argumenta tam clara, et tam solida probant, ut nisi quis praeiudiciis captus, et passionibus obcaecatus sit, illis rite perpensis de religionis christianae divinitate dubitare non possit. Quodsi de hac constat, fluit exinde omnium hominum strictissima obligatio, Religionem christianam suscipiendi, et iuxta sanctissima ipsius documenta vitam instituendi. Cum enim Religio omnibus hominibus necessaria (§. 44), naturalis autem insufficiens sit (§. 55 etc.), ideo omnes, ut finem suum assequantur, religionem extraordinario modo a Deo revelatam amplecti tenentur. Ex hac ratione Christus Apostolos ad docendas *omnes gentes* misit (3), addita generali sententia: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* (4). Omnes ergo homines, ut salutem consequantur *symbolum* a Christo traditum, *codicem* a Christo praescriptum, et *Hierarchicon* a Christo statutum non solum revereri et recipere, sed etiam in sensibus et actibus suis sequi obligantur. Sic religio christiana destinata est, ut fiat religio *universalis* mundi, ipsaque constituit illud *regnum divinum morale*, in quo via salutis patet.

Nota 1. Nonnulli *argumentum ab experientia* maxime extollunt. Putant enim, hominem ad firmam de Religione, divinitus patefacta, persuasionem nullo alio aptiori modo pervenire posse, quam si illius salubria documenta accurate observet, et per hanc observantiam se meliorem, perfectiorem, magisque beatum fieri sentiat. Hoc posito, aiunt, aliis argumentis non indiget ad veritatem Revelationis factae probandam. — Sed animadvertendum est, quod assiduum Religionis exercitium, licet persuasionem de eius veritate mirifice firmet, solum tamen non sufficiat, sed alia argumenta supponat. — Nam cum religionis revelatae praecepta suiipsius strenuam abnegationem requirant, huic homines pro nota naturae suae infirmitate et corruptione se non subiicient, nisi aliunde iam de veritate Religionis, et de motivorum ab hac propositorum realitate certi existant, atque ideo ad praefatam experientiam sine aliis argumentis non pertingent. Praeterea, quamvis homines praecepta Religionis accurate observent, et sic se perfectiores et feliciores fieri sentiant, non iam ideo ad supernaturalem Dei revelationem concludere possunt, quia etiam ratio practica salutaria documenta praebet, quorum observatio accurata hominem magis perfectum, magisque tranquillum et felicem reddit. Ad obtinendam ergo firmam de facta divina revelatione certitudinem aliis semper argumentis opus est. — Caeterum negari non

(1) II Cor. 5, 15 (2) Act. 4, 12. (3) Matth. 28, 19. (4) Marc. 16, 16

potest, per legitimam divinorum mandatorum observantiam fidem, seu persuasionem de veritate revelationis firmari vivificari, et contra tentationum pericula praeservari. Vita enim recta hominem ad veritatem cognoscendam aptiorem reddit, sicut e contra cor passionibus repletum ac libidini inserviens ita saepissime intellectum obfuscat, ut clarissimam veritatis lucem non agnoscat. Ideo Christus ad Iudaeos, praeiudiciis et passionibus obcaecatos, dixit: *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar* (1), néque tamen destitit, vaticiniis et miraculis divinam suam missionem probare (2).

Nota 2. Argumentis pro Religionis christianae divinitate allatis nova lux accedit, si cum argumentationibus adversariorum, et cum characteribus falsarum religionum conferantur. Increduli enim, qui immerito se Philosophos dicunt, vel cum Humio et Baylio omnia inanibus dubiis perturbare tentant, vel cum Voltairio futilibus derisionibus, ac impiis iocis sanctissima instituta contemtui exponunt, vel cum Rousseau per falsa sophismata, et ementitas historiunculas incautos fallunt, vel cum Hegelio per longas-iuxta omnes formas logicas ordinatas-inductiones decipiunt, quas autem ex falsis principiis ordiuntur, ex tripode pronuntiatis et nullibi probatis. — Quodsi ad alias religiones a Christianismo alienas oculos convertamus, illasque iuxta theoriam characterum revelationis diiudicemus, sole clarius apparet, illas cum religione christiana comparari non posse, sed ut falsas reiiciendas esse (3).

(1) Io. 7, 17.
(2) Frint P. II, t. I, §. 189-191.
(3) Perrone t. I, p. I, n. 446 etc.
(4) P. I, Sect. II, cap. 4.
(5) Rom. 1, 25.

CAPUT V.

DE GENTILISMO, IUDAISMO RECENTIORI, ET MUHAMMEDANISMO.

§. 158.

Operae pretium est, ut Religiones illae, quae ob maiorem, quam nactae sunt, extensionem, ac per durationem celebriores factae sunt, et quae divinam sibi originem et auctoritatem attribuerunt, iusto examini subiiciantur. Inter istas autem praecipue recensere oportet *religionem Gentilium, religionem Iudaeorum*, post Christum soli mosaismo inhaerentium, atque *religionem muhammedanam*. — Si autem hae religiones iuxta theoriam, de revelationis characteribus propositam (4), examinentur, sicut illarum falsitas clare patet, ita christianae Religionis veritas confirmatur.

ARTICULUS I.

De Gentilismo.

§. 159.

Gentilismi notio et origo.

1. Post religionem patriarchis revelatam omnium antiquissima fuit religio Gentilium, seu Ethnicorum, quo nomine intelliguntur omnes superstitiosi falsorum Numinum cultores. Horum religio ante Christum ad omnes populos, solis Hebraeis exceptis, extensa fuit, sed pro diversitate gentium semper fuit diversa, adeo ut in quavis fere regione alii Dei haberentur, nec iisdem semper modis colerentur. In hac autem tum fidei, tum cultus externi discrepantia in eo tantum Gentiles convenerunt, quod, ut Apostolus ait: *Commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturae potius quam Creatori* (5). Turpis horum superstitio dicitur *polytheismus* ob pluralitatem Deorum, quorum existentia credebatur, et *idololatria* ob cultum divinum rebus creatis ac finitis impensum. Polytheismus pro

varietate Deorum, qui coluntur, varia nomina sortitur: cultus enim divinus, soli, lunae, astris et igni exhibitus dicitur *magismus:* cultus hominum, qui per Apotheosin ad Deos extolluntur vocatur *sabismus;* cultus divinus rebus terrestribus, ratione carentibus, e. g. animalibus, plantis, fluminibus, vel sculptili etc. impensus, nuncupatur *fetischismus;* cultus demum, quo cum supremo Numine Aeones, Logos et Demiiurgus adorantur, est *gnosticismus.* — Polytheistae autem non omnes Deos eiusdem ordinis et dignitatis esse censuerunt, sed varias inter illos classes distinguentes unum ceteris excelsiorem crediderunt. Romani distinxerunt *Deos maiorum gentium, Deos minorum gentium, et Semideos.* Inter Deos maiorum gentium eminebant Iupiter, qui coelo et terrae, Neptunus, qui mari, et Pluto, qui inferno praeesse credebatur. Tantus autem erat Deorum Dearumque numerus, ut, teste Eusebio, iam ab Hesiodo triginta eorum millia recenserentur.

Nota. Nonnulli autumarunt, Gentiles idolis suis cultum non absolutum, sed relativum exhibuisse, quem ad prototypon i. e. ad ipsam divinitatem direxerint. — Sed contrarium testantur tum sacri, tum profani scriptores antiquissimi. Ieremias reprehendit idololatras, *dicentes ligno: Pater meus es tu; et lapidi: Tu me genuisti* (1). Isaias graphice describit idololatriae stupiditatem, dum ait: *Artifex lignarius sumsit ex eis* (lignis) - - *medium eius combussit igni - reliquum autem eius Deum fecit, et sculptile sibi; curvatur ante illud, et adorat illud, et obsecrat dicens: Libera me, quia Deus meus es tu* (2). Auctor libri Sapientiae dicit: *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex: sed ut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem, et lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt* (3). Huc spectant etiam verba Pauli (4). — Ipsi ethnici poëtae hanc idololatriae insaniem deriserunt. Horatius (5) Deum loquentem inducit: « Olim truncus eram, ficulnus, inutile lignum, cum faber incertus, scamnum faceretne Priapum, maluit esse Deum: Deus inde ego.» — Iuvenalis ita lepide Aegyptiis irridet: « Quis nescit, qualia demum Aegyptus portenta colat! crocodilon adorat, — porrum et cepe nefas violare, ac frangere morsu. O sanctas gentes, quibus haec nascuntur in hortis numina!» — Eodem modo antiqui Ecclesiae Patres, qui melius quam neoterici Gentilium sensa cognoverunt, clare contestantur, cultum idolorum non relativum, sed absolutum fuisse (6).

2. Polytheismum ac idololatriam ante diluvium non extitisse, S. Thomas Aq. ex eo colligit, quia in S. Scriptura inter scelera, propter quae poena diluvii humano generi inflicta fuit, non commemorantur. Licet autem Noë, *vir iustus* (7) et *iustitiae praeco* (8), doctrinam a Deo revelatam posteris suis fideliter tradiderit; haec tamen in genere humano, valde iterum multiplicato et in omnes regiones disperso, pedetentim oblivioni data fuit, ita ut corruptioni morum, iam ante diluvium invalescenti, maxima quoque polytheismi et idololatriae crimina adderentur. Horum praecipua

(1) Ier. 2, 27. (2) Is. 44, 13 etc.
(3) Sap. 13, 1 etc. (4) Rom. 1, 23 etc.
(5) Lib. 1, Sat. 8.
(6) V. Perrone t. II, p. I, cap. II, prop. II.
(7) Hebr. 11. (8) II Petr. 2, 6.

causa in ipsa corrupta hominis natura invenitur. Cum enim humana ratio per peccatum corrupta esset, et sensualitas praevaluisset, qua de causa homines difficulter se a sensibilibus ad mere spirituales conceptus elevant; ideo factum est, ut Deum quoque, quem existere intime senserant, in sensibili natura videre voluissent. Erroneum hunc conceptum maxime promovit corruptio voluntatis, in sensuales voluptates inordinate diffusae. Egregie id declarat *S. Athanasius* qui (1) scribit: « Percepta voluptatum multiplici specie, et retenta divinarum rerum oblivione, dum in corporeis affectibus voluptatem sentiunt, - - persuadent sibi, ultra visibilia nihil esse, sed sola ista naturalia et corporea boni naturam habere; hinc ex rebus corporeis et sensibilibus non unum iam Deum sibi confinxere, sed plures... Et primo quidem coelo, soli, lunae, reliquisque stellis divinos honores consecraverunt.» Hoc idem testatur *Eusebius* (2); cui persuasum est, astrorum cultum in Aegypto incepisse, et exinde ad Phoenices et in Graeciam transiisse, antiquissima enim fuisse Graecorum numina solem, lunam, astra, coelum et terram, *Plato* (3) fatetur. — Mox etiam homines in Deorum numerum relati, et cultui divino consecrati sunt, quod ex variis causis contigit. Homines enim, ingenio et dexteritate eminentes, vel etiam, ut maiori auctoritate aliis imponerent, singularem cum Diis familiaritatem simulantes, post mortem a rudiori populo ceu divina numina habiti sunt. Apotheosi etiam hincinde ansam praebuit mutuus coniugum amor, timor erga reges potentissimos, vel gratitudo in principes beneficos et pietas parentum in filios, ac filiorum in parentes. Ideo persaepe statuae in ipsorum memoriam erectae, et in magno honore habitae sunt, ita ut paulatim divinum quid ipsis inesse crederetur (4). — Sic autem mox hominum stupiditas morumque corruptio excrevit, ut etiam animalia, plantae, flumina, metalla, lapides, etc. ceu divina numina colerentur. — Neque praetereundum est, mala quoque tum physica, tum moralia, quibus mundus abundat, novum polytheismi genus produxisse. Ut enim illorum causam et originem homines explicarent, cum principio bono principium malum coniunxerunt, duos Deos, bonum et malum, auctorem lucis et auctorem tenebrarum statuentes, quorum error iam a Zoroastro, Persa, traditus, *Dualismus*, et cum a Manete, Persa, aevo christiano renovaretur, *Manichaeismus* nominatur.

Nota. Inter recentiores multi philosophicis reflexionibus originem idololatriae evolventes, primo homines in statum naturae, seu omnimodae feritatis reponunt, a quo dein ad fetischismum, postea ad magismum, ac demum ad sabismum, seu ad agnoscendos deos personales ascendunt (5). Sed isti historiae contradicunt. Cum enim divina revelatio iam in primordiis mundi facta, et per Noëmum propagata fuerit, status naturae, seu omnimodae feritatis imaginarius est, saltem in populis proxime a Noëmi familia descendentibus, in quibus, ut solet, solummodo pedetentim doctrinae revelatae memoria obliterari coepit. Dein monumenta historica ostendunt, primo solem, lunam et astra, quae ob fulgorem et regularem motum animata, ratione praedita ac persona-

(1) In Orat. adv. Gent.
(2) Praep. ev. l. 1, c. 6 etc. 9.
(3) In Cratylo ap. Euseb

(4) V. Calmet. dissert. de origine idololatriae ad lib. Sap.
(5) V. Staudenmaier Encyklopaedie 1, B. 1, Th. 1, Abth. Analyt. Th. 2. Abth. §. 219 etc.

lia credebantur, ceu divina numina adorata fuisse. Turpis fetischismus, rebus prorsus materialibus inhaerens, serius per lugendam morum corruptionem introductus fuit. Ideo apud populos, quorum cultura cum illa Graecorum et Romanorum comparari non poterat, qui autem puriorem vitam agebant, inventus haud est. Sic *Tacitus* de antiquis Germanis testatur, ipsos Deorum simulacra non habuisse (1). Et S. *Augustinus* de ipsis Romanis ex Varrone refert: « Romani per annos plusquam 170 Deos sine simulacris coluerunt, quod si adhuc mansisset, castius Dii colerentur, qui enim primi simulacra Deorum populis posuerunt, et metum sustulerunt, et errorem addiderunt, quia existimant Deos facile posse in simulacrorum soliditate contemni (2). »

§. 160.

Gentilismo desunt Revelationis a) characteres interni.

Si Gentilismus iuxta recta rationis principia examinetur, facile apparet doctrinam Religionis, in ipso traditam, neque Deo dignam neque hominibus accommodatam esse, sed rectae rationi prorsus repugnare, atque ideo divinitus revelatam dici nullatenus posse. Nam

1. *Symbolum* Gentilium primarium religionis articulum de uno et vero Deo evertit et contra omnem rationem plures Deos, eosque non ortos tantum, sed et sceleribus contaminatos, ac orco potius, quam coelo dignos assumit, et alterum de futura retributione articulum aut ignorat, aut fabulis pervertit.

2. *Codex* eorundem non moralitatem religiosam, non amorem erga Deum et proximum, sed cultum externum vel superstitiosum, vel obscoenum, vel crudelem praescripsit. Ritus enim externi sine devotione interna exercebantur in honorem Deorum, Dearum, variis passionibus inservientium, turpissima scelera committebantur, imo et victimae humanae offerebantur (3).

3. *Hierarchicon* non ad fines religiosos, sed mere politicos dirigebatur, et statum sacerdotum concernebat, qui non ad populum instruendum et moraliter perficiendum, sed ad idola custodienda, alenda, et ineptis ritibus colenda destinati erant. Ex his iam abunde patet, religionem gentilium revelatam minime esse, sed ut falsissimam reiici penitus debere.

Nota. Tolerari nullo modo potest impia Hegelii assertio, qua deos Graecorum humaniores et praestantiores Deo Hebraeorum, et illorum superstitionem meliorem horum mosaismo esse dicit. — Qui talia effutit, vel historiae ignarus, vel sanae mentis expers iure censetur. — Sed blasphema Hegelii dicteria fluunt ex pantheistico ipsius systemate, quo ad divinitatem extolluntur omnes res naturales, omnes hominis cogitationes, affectiones et passiones, cum quibus, quomodocumque inordinatis melius sane conveniunt dii Graecorum, illis faventes, quam Deus Hebraeorum, illas debito modo coërcere praecipiens. — Sana ratio sicut Pantheismum (§. 38) ita et quae ex eo deducuntur iure reiicit et detestatur.

§. 161.

b) Characteres externi.

Cum Gentilismus internis revelationis characteribus careat, et Deo indigna ac rationi contraria contineat, fieri omnino non potest, ut externis characteribus, i. e. *miraculis* et *prophetiis* confirmetur: id etiam nullibi factum esse historia docet.

(1) De mor. German. ed. Venet. t. 4, p. 32.

(2) L. 4 de Civ. Dei, cap. 31, n. 2.

(3) V. Stolberg G. d. Rel. I. II. B. III. Beilage.

1. Et quidem in primis nullum pro Gentilismo allegari potest miraculum, cuius veritas historica, philosophica et relativa certis argumentis probata sit. Nonnulli equidem legislatores e. g. Minos Cretae, Zaleucus Spartae, Numa Romae commercium cum numine divino iactabant, quod autem nullus eorum signis authenticis probavit. — Miracula Apollonii Tianaei, iam in se ridicula et absurda, coaevis ignota fuerunt, et nonnisi a Philostrato, qui plusquam centum annis post Apollonium vixit, conscripta sunt: citat ille quidem cuiusdam Damidis, Apollonii discipuli opus, de cuius autem authentia merito dubitatur, cum prioribus temporibus penitus ignotum fuerit: Lucianus, saeculi secundi scriptor, de Apollonio loquitur, sed de eiusdem miraculis nullam mentionem facit. — Vespasianus in Aegypto, mandante Deo Serapide, et caecum et claudum curasse dicitur a Tacito et Suetonio. Sed celebres isti historici a facto, quod examinare debito modo non poterant, longe dissiti, falso rumore decepti sunt. Ex horum narratione enim, et ex adiunctis facile coniicitur illos, qui Vespasianum imperatorem fieri exoptabant, fraudem ita compegisse, ut per simulatum morbum et ementitam curationem, aegyptiacae Deitatis iussu factam, Vespasiani auctoritas in Aegypto firmaretur. Idem dicendum est de miraculis Hadriani imp. quae Aelius Spartianus narrat, sed in fine adiicit, « quamvis Marius Maximus haec per simulationem facta commemoret. » — Sic iam dudum a criticis ut falsa et fictitia ostensa sunt, quae de miraculis Pythagorae, Apuleii, Aesculapii, et de genio Socratis circumlata fuerunt. Denique si quid miri ab Ethnicis patratum fuisset, id nonnisi virtuti daemoniacae adscribendum foret, ac illorum religionem rationi prorsus contrariam nunquam confirmare posset (1).

2. Nullum quoque vaticinium pro Gentilismo afferri potest, cuius veritas historica ac philosophica et eventus respondens, et nexus cum religione plane liqueat. Viguit equidem apud omnes fere gentes divinatio, et celebratissima pluribus in locis fuere oracula, quae futura praedicere tentabant. — Sed quae ista proferebant, verarum prophetiarum nomine insigniri non possunt. Nam multa, quae praedicta fuere, naturali sagacitate praevideri poterant, et de cetero oraculorum responsa erant obscura admodum et aequivoca, ut, quod inde colligendum esset, plerumque ignoraretur. Ipse *Lucianus* Apollinem, perspicuitatem laudantem, reprehendit, quod in responsis suis tam obscure loquatur, ut ad illa intelligenda novo interprete opus sit (2). Teste *Eusebio* ipsi ethnici in oraculis omnia fraudibus tractari ac peragi fassi sunt(3). *Origenes* (4) ait: « Ea (oracula) non credunt etiam graecorum philosophorum sectae, praesertim qui sequuntur Democritum, Epicurum, Aristotelem.» Quodsi per oracula quid praedictum fuit, quod naturaliter cognosci non poterat, id malignorum spirituum influxui adscribendum est, quem S. Scriptura (5) haud obscure indigitat. Licet enim daemones veri nominis prophetias edere nequeant, possunt tamen, ut aiunt SS. Patres, praedicere mala, quorum futuri sunt auctores, possunt ea, quae modo fiunt, in alia regione remota eodem fere tempore manifestare, possunt ex praesentibus sua sagacitate quaedam

(1) Cf. Wiest t. II, §. 276 et seq. Cl. Frint c. §. 159-181.

(2) In Iove tragoed. t. II.
(3) Praep. ev. l. 2, c. 4.
(4) C. Cels. l. 8.
(5) Act. 16, 16 etc.

proxime futura conlicere: ideo *S. Cyprianus* de daemonibus ait: « Hi ergo spiritus sub statuis atque imaginibus delitescunt, hi afflatu suo vatum pectora inspirant, oracula efficiunt etc.(1).» Libros sybillinos Romae asservatos, et in magno honore habitos esse constat, sed in illis vaticinia vera contenta fuisse, critici sat solide negant. Etiamsi vero admitteretur carminum sibyllinorum, quae modo extant, authenticitas, quam nonnulli probare tentant (2), per illa non pagana sed christiana religio confirmatur. Ideo libenter et cum laude sibyllarum oracula citarunt nonnulli SS. Patres, e. g. Origenes (3), Clemens Alex. (4), Tertullianus (5), Augustinus (6).

Nota. In odium Religionis christianae Voltairius maxime extulit religionem *Sinensium*. Sed in Sina crassam de rebus divinis ignorantiam inveniri, maxima ex parte polytheismum et idololatriam vigere, expositionem et caedem infantium admitti, aliasque gravissimas inordinationes conspici, multi iam, qui in illis regionibus fuerunt, contestati sunt. Meliorem religionis notitiam habent, qui librum Schu-King et doctrinam Confucii sequuntur. Sed de illo libro dissentiunt eruditi. Iuxta *De Guignes* liber ille polytheismum, et multa alia absurda et falsa tradit, et licet officia erga parentes, principes et aequales recte determinet, nihil tamen de Deo remuneratore, de fine hominis ultimo et de vita futura proponit. — Iuxta *Martinium* vero et *Du Haldium* in illo doctrina de Deo uno, de attributis divinis, de Dei providentia, de timore et amore Dei recte statuitur, et genuina pro moralitatis officiis motiva assignantur. Quodsi ita est, in praedicto libro Religio naturalis quoad summa capita pura traditur, illiusque auctor veri nominis philosophus dicendus est, licet animadvertendum sit, non omnia, quae recte proposita sunt, soli rationi adscribenda, sed potius ex revelatione Patriarchis facta, per Noëmum propagata, et fidelius conservata derivanda esse. — Idem dicendum est de *Indis*, qui aliquando rectam de Deo notionem habuisse dicuntur, quem sub nomine Parabrahmae ceu ens a se absolutum, sanctum, aeternum, immutabile coluerunt. Sed mox a recto isto conceptu defecerunt, pro idea creationis emanationes ex substantia divina statuerunt, Deo supremo tum uxorem, tum Deos inferiores adiunxerunt, metempsychosin et alia fabulosa, absurda et obscoena docuerunt.— Antiquos *Persas* in montibus soli et lunae sacrificasse, ignem sacrum coluisse et dualismo adhaesisse, ex Herodoto et Xenophonte, aliisque scriptoribus constat. Zoroaster equidem, Philosophus, nonnulla bona documenta tradidit, quibus tamen multa falsa adiunxit, dum duo summa principia docuit, doctrinam moralem maxima ex parte neglexit et amorem ad solos concives restrinxit etc. Quamobrem nonnisi ex praeiudiciis et passionibus fieri potuit, ut religiones istae cum Religione christiana comparentur, vel etiam huic praeferantur (7).

(1) De idol. vanit.
(2) V. Waibl Dogm. I. Bd. 4. Abh. 3. Hptst. 2. Absch.
(3) L. 5, c. Cels.
(4) Strom. 1, 4.
(5) L. de pall. c. 2.
(6) De Civ. Dei l. 18, c. 23. Cf. Frint l. c. §. 94-100.
(7) Cf. P. Zimmer Ver. Rel. chr. t. I, §. 86 — §. 96. Dobmayr t. III, §. 117. Staudenmaier Encyclop. t. I, p. I, § 296 etc.

ARTICULUS II.

De Iudaismo post Christum.

§. 162.

Religionem mosaicam, quam Iudaei colebant, divinitus revelatam esse, sat solidis argumentis (cap. II) probatum est. Religionem vero,

cui modo Iudaei sunt addicti, ut falsam reiiciendam esse, facile probari potest. Iudaei enim post Evangelium promulgatum *novam a Deo datam Revelationem contemnunt, antiquam vere a Deo factam corrumpunt, eorumque hodierna Religio externis Revelationis characteribus penitus destituta est.*

1. In V. T. Revelatione, quam Iudaei venerantur, Messias ceu novae Revelationis praeco, novaeque legis auctor promissus et praenuntiatus fuit (cap. III), quem Iudaei audire et sequi ab ipso Moyse iussi sunt (1). Messiam autem actu iam advenisse et nullum alium esse, nisi Iesum Christum Nazarenum, argumenta invicta ostendunt (2). Hunc ergo audire, ipsiusque doctrinam et legem evangelicam, relictis caeremonialibus Moysis, sequi oportet. Longe ergo a veritate aberrant Iudaei, ipsamque legem mosaicam gravissime violant, dum Iesum Christum ceu Messiam non agnoscunt, plenam Revelationis lucem, ab ipso allatam spernunt, et mosaismo iam abrogato obstinate inhaerent.

2. Religio iudaica, quae iam ante Christum per sectas Pharisaeorum, Sadducaeorum et Essaenorum corrumpi coepit, multo magis post excidium hierosolymitanum gentisque dispersionem per Thalmudistas corrupta fuit. Hi enim, arbitrarias S. Librorum expositiones et spurias traditiones secuti, religioni suae sat crassos addiderunt errores. Nam a) quoad *Deum* dicunt, hunc quotidie tres horas legi thalmudicae discendae impendere, et totidem cum pisce Leviathan ludere, quotidie ob excidium Hierosolymae et templi lacrymari, venturo Messiae monstruosum convivium parare, et verum Israëlitam in altero mundo ultra duodecim menses non puniturum esse. b) *Messiam* plerique exspectant ceu nationalem et terrestrem regem, qui Iudaeos in Palaestinam reducat, et exaltet. Alii duplicem discernunt Messiam vel officio, unum Gentium, alterum Iudaeorum, vel sorte, unum humilem filium Ioseph, ex Ephraim, alium sublimem ex familia Davidis: circa huius adventum, neglectis et contortis clarissimis V. T. vaticiniis vel inanes traditiones sequuntur, vel indeterminatum esse censent tempus ipsius, et anathema intentant omnibus, qui illud computare velint. c) *Legem mosaicam* secundum omnes suas ordinationes actu obligare, et usque ad finem mundi perduraturam esse docent. Huic plerique addunt antiquas traditiones, a R. Iehuda Saec. II in Mischna collectas, quibus eandem cum lege scripta per Moysen auctoritatem tribuunt. d) *Codicem* quoque, seu doctrinam moralem pessumdant; nam in Thalmude multo magis externae caeremoniae, quam internae virtutes inculcantur, ac multa maledicta in Iesum Christum, religionemque et fideles ipsius continentur. — Errores autem tam absurdi, fini hominis ac spiritui religionis adversi, satis ostendunt, religionem, quam modo Iudaei profitentur, a Deo revelatam non esse.

3. Externis etiam Revelationis characteribus odierna Iudaeorum religio penitus caret. Cum enim ante Christum quovis fere tempore viros insignes habuerint, qui miraculis et prophetiis divinam suam missionem ostenderunt, post Christum neque ullum miraculum, neque ullam prophetiam ostendere possunt, quo fides ipsorum confirmaretur (3).

(1) Deut. 18, 18 et 19.
(2) C. IV, art. IV

(3) V. Wiest t. II, § 257 -- § 249. Dobmayr t. III. § 110 -- § 115.

ARTICULUS III.

De Muhammedanismo.

§. 163.

Cum ineunte saeculo septimo in Arabia nonnulli Iudaei et christiani, plurimi autem foedo adhuc polytheismo, summae ruditati ac superstitioni iuncto, addicti essent, *Muhammedes*, anno Christi 571 Meccae natus, vir litterarum quidem rudis, natura tamen facundus et disertus, haud parva sagacitate praeditus, et formae elegantia conspicuus, anno aetatis suae quadragesimo Prophetam agere coepit, hominibusque persuadere conatus est, ad emendandam religionem sese a Deo missum esse, utque sibi auctoritatem conciliaret, colloquia cum Angelo Gabriele, imo cum ipso Deo instituta iactavit, paroxismos morbi epileptici, quo laboravit communi auctorum sententia, raptos divinos dictitans. — Muhammedis religionem exhibet liber *Koranus*, seu (praeposito articulo) *Alcoranus* dictus, cuius contenta ab ipso Deo per Archangelum Gabrielem spatio 30 annorum sibi manifestata esse iactitavit Muhammedes. — Hunc vero librum non ipse Muhammedes scripsit, sed eo vivente, tantum illius contenta in variis schedulis fuerunt descripta, atque Muhammedis socer et successor in regno *Abukeker* schedulas istas primum collegit atque ex illis volumen, quod Alcoranum vocamus, confici curavit. — Praeter Coranum habent etiam Muhammedani *Sonnam*, seu *Sunnam*, i. e. legem traditam, quae varias relationes ad dicta vel facta prophetae pertinentes continet, sed pari consensu a Muhammedanis non suscipitur; nam sunt inter eos *Sonnitae*, qui eam acceptant, et Schiitae qui reprobant — Si iam religio muhammedana rationali censurae subiiciatur, manifeste apparet, illam divinitus revelatam non esse, quia nec *interni*, nec *externi* Revelationis characteres in illa inveniuntur.

1. Liber Muhammedanorum symbolicus, i. e. Alcoranus opus, Deo revelante dignum, dici nullatenus potest. Non enim continet nisi rerum diversissimarum farraginem, compilatam ex doctrina religionis iudaicae, saracenicae, christianae et proprii Muhammedis cerebri figmentis. Varia quoque in illo prorsus erronea, rationi et fini hominis contraria ac Deo indigna proponuntur. c) Licet enim *in symbolo* Unitas Dei statuatur, cum hac fide tamen gravissimi errores coniunguntur. Dicitur enim, cuncta decreto divino absoluto ita evenire, ut non possint non evenire, ac ideo, sublata libertate, ineluctabilis necessitas seu fatum inducitur (1). Docetur praeterea Deum creasse multos homines ad gehennam (2), qua sententia Deo despotismus et origo peccati tribuitur. Asseritur quoque, Deum creasse genios, medios inter Angelos et homines, qui cum his coire possint: ex illis fuisse diabolum eiusque culpam, quod primum hominem adorare recusaverit. — Primi hominis corpus formatum esse dicitur ex argilla, animam autem esse particulam essentiae divinae. — Iudicium extremum iuxta Alcoranum duraturum est per 50000 annos, et paradisus, in quo iusti recreandi sunt, exhibetur tanquam locus deliciarum et voluptatum carnalium, in quo etiam libidinosae corporum commixtiones sint. — b) Quod attinet *codicem*, in hoc equidem inculcatur dilectio Dei et amor proximi; hic autem ad religionis muhammedanae asseclas restringitur, ita ut etiam odium et caedes infidelium, i. e. a professione muhammedana alienorum prae-

(1) Sura 17, 13 et 9, 55. (2) Ib. 7, 18v

cipiatur (1). Ieiunium - toto mense Rhamadamtale praescribitur, quod moralitatem non promoveat, sed potius destruat: est enim hoc ieiunium diurnum dumtaxat, ab ortu solis usque ad occasum, nocte in diem vertenda et in comessationibus insumendo, cum interdiu dormiant. — Oratio, pro quolibet die ter, vel iuxta traditionem quinquies praescripta, licet quandam laudationem Dei contineat, egoismum tamen Muhammedis prodit; illius enim formula est: Deus est excelsus, Deus est excelsus: testor non esse Deum praeter Deum: bis testor, Muhammemedem esse legatum Dei. — Rectae rationi etiam maxime repugnat, atque mentem de doctrinae suae soliditate male consciam manifestat prohibitio studiorum, philosophicae Alcorani inquisitionis, et omnium disputationum de rebus ad religionem pertinentibus sub poena capitis. Nec minus a recta ratione abhorret praeceptum bellandi pro religione, atque hanc vi armorum propagandi, quasi fides, seu internus mentis assensus per externam coactionem elici possit. — c) Circa *historiam* quoque graves in Alcorano errores reperiuntur. Sic e. g. Maria, soror Moysis, ob nominis consonantiam cum Maria matre Christi turpiter confunditur, et generatim ea quae in genuinis monumentis de Patriarchis, de Moyse et de Christo narrantur, misere contorquentur.

2. Externis Revelationis characteribus Muhammedanismus omni ex parte caret. a) *Persona* enim Muhammedis talibus sanctitatis notis insignita non est, quae Legatum divinum, sive Prophetam ad emendandam religionem a Deo missum, decent. Licet enim pietatem quandam simulaverit, ostendit tamen ex altera parte indomitam ambitionem, quae ad fines suos promovendos fraudibus et caedibus non parcit, simulque foedam libidinem, ad quam explendam novas sibi semper uxores iunxit, speciales hac de re revelationes a Deo habitas praetexens. — In immensum ergo distat character Muhammedis a charactere Christi, apostolorum et prophetarum V.L.(2). b) Nullis quoque *miraculis* religio muhammedana confirmata fuit. Nam Muhammedes saepius a Meccanis, Iudaeis aliisque provocatus, ut missionem suam divinam, de qua continuo gloriabatur, aliquo signo confirmaret, variis semper subterfugiis ipsos elusit, responditque: « Miraculis non semper fidem adhibitam fuisse, vel - se non fuisse missum ad miracula patranda, sed solum ad praedicandum. — Fuerunt nihilominus qui Muhammedi miracula tribuerunt, et qualia? Nempe, quae aut arte humana facile possunt effici, ut de columba ad aurem volante; aut quorum nulli sunt testes, ut de camelo, nocte ei locuto; aut quae sui absurditate refelluntur, ut de magna lunae parte in manicam ipsius delapsa et ab ipso remissa ad reddendam sideri rotunditatem. — Generatim - cum Muhammedes non solum ad miracula nullibi provocet, sed potius hanc divinae legationis probationem quindecim vicibus in Corano reiiciat, ex hoc solo testimonio sat clare patet omnes posteriorum Arabum scriptorum, integris saeculis a Muhammede distantium, de huius miraculis narrationes fidem nullatenus mereri. — c) Idem dicendum est de *prophetiis*, quae ab iisdem scriptoribus sine solido argumento Muhammedi adscriptae fuerunt. Ipse enim Muhammedes ad prophetias provocare noluit. Asseruit quidem, Moysen et Christum de se prophetasse, sed praedictiones has

(1) Sur. 47, 4.

(2) V. Hug. Grot. de ver. Rel. chr. l. 6, §. 4.

per Iudaeos et Christianos corruptas aut deletas fuisse. Ast corruptio haec seu mutilatio, quam nullibi probavit, rationi contradicit; antequam enim Muhammedes apparuit, causam nullam habuit, et post eiusdem adventum ob dispersa in toto orbe exemplaria fieri non potuit. Neque Muhammedes ullo inclaruit vaticinio a se prolato, cuius veritas historica, philosophica et relativa certo constet. Tentavit quidem praedicere fata tum sua, tum suorum; verum eventus praedictionibus non responderunt. Praedixerat enim, se semper illaesum ab hominibus fore; — et certum est, eum in bello saepe vulneratum, et veneno per concubinam oblato mortuum esse. Praedixerat quoque suorum tum concordiam inter se, tum perennes de hostibus victorias; ast paulo post Muhammedis mortem Islamismi asseclae in sectas abierunt, nec raro gravissimas clades perpessi sunt. Nonnulla, quae Muhammedes praedixisse fertur, et quae actu contigerunt, talia sunt, ut naturali sagacitate praevideri potuerint, uti est illud, quod dixit, Chosroëm aliquando a Graecis (Romanis) superandum esse. d) Ipsa etiam celeris religionis muhammedanae propagatio pro eiusdem veritate ne minimam quidem probationem affert, cum satis facile naturaliter explicari possit. Magna enim sagacitate praetentam religionis emendationem sic construxit, ut a plurimis libenter reciperetur. Nam, ut post *Humfr. Prideaux* Cl. *I. L. Froereisen* de Muhammede observat: « Ne rerum gerendarum nervus deficeret, divitem quendam mercatorem in partes suas trahebat. Ut Iudaeis placeret, christianorum Trinitatem reiecit, quod et Arianis placuit, circumcisionemque illorum retinuit.— Ut philosophis se commendaret, Polytheismo Deismum vel potius Stoicismum praetulit. Ut sanctus videretur, vini usum prohibuit. Ut spe mortalium pectora alliceret, elysios post mortem pollicitus est campos. Ut complices alere possit, sub eleemosynarum praetextu magnas undique collegit summas. Ne christianos offenderet, maximis Christum et Apostolos nominibus insignivit, et elogiis condecoravit, ac praescripsit quae scopo suo maxime proficua arbitrabatur etc.»; quibus addi potest, Muhammedem, ut effoeminatis orientalibus adsentaretur, polygamiam sat amplam introduxisse. Demum fraudibus, minis et terrore gladii religio muhammedana propagata fuit. Neque mira est favens Saracenis fortuna in bello, cum hi, Muhammedis pollicitationibus decepti, maximam virtutem in pugnando ostenderint, Romani autem et Persae diuturnis bellis iam defatigati, et fere exhausti fuissent. Cum ergo religio Muhammedis tum internis, tum externis revelationis characteribus destituta sit, merito ut falsa reiicitur (1).

Nota. Islamismi historiam prolixe exhibet Cl. *Frid. de Kerz* (2), qui egregie dicit, in Muhammedanismo haberi Prophetam sine miraculis, ideoque sine argumentis suae missionis, Religionem sine articulis fidei, sine mysteriis, sine sacrificio, sine sacramentis, doctrinam moralem, quae passionibus indulget, libidinem explet, vindictam cruentam approbat etc. et coelum, a quo mens honesta et pudica abhorret (3). — Egregiam quoque Cl. Dobmayr comparationem instituit dicens: « Iesus regnum morale, Muhammedes politico-religiosum instituit. Iesus loquitur ad rationem et ad cor, Muhammedes ad sensualitatem et ad phan-

(1) Cf. Wiest t. II, §. 229-236 et §. 251, ac §. 279 Dobmayr t. III, §. 119 et seq.

(2) Gesch. d. Rel. I. Chr. von Stolberg Forts 22 Bd. I. Abthlg (3) L. c. §. VII, n. 44

tasiam. Iesus operatur per virtutem veritatis, Muhammedes per arma. Iesus est optimus homo, Muhammedes multa mala perficit. Iesus homines sanat, Muhammedes plurimos occidit (1).

§. 164.

Conclusio.

Ex hactenus probatis clarissime patet, nullam Religionem divinitus revelatam in mundum inveniri, nisi illam, quae in patriarchis incepit, in lege a Moyse scripta incrementum accepit, et a Christo ad summam perfectionem perducta est. Ad huius revelationis divinitus factae veritatem confirmandam ex ipso *Gentilismo*, *Iudaismo recentiori*, et *Muhammedanismo* testimonia exhibere licet.

1. Varia in Gentilismo inveniuntur, quae revelationis divinitus factae veritatem confirmant. Ipsa antiquissima maximeque universalis idea commercii Deum inter et homines, seu institutionis coelitus factae, ad cuius notionem populi rudes per se assurgere non potuissent, Revelationis factum iam omnibus notum supponit (2). Oracula quoque, fere omnibus gentibus communia, facta iam divinitus prophetias insinuant. Fides de originario humani generis lapsu, qui miseriarum causa extitit, apud plerosque populos, et praecipue apud illos reperitur, qui doctrinae revelatae traditionem melius conservarunt, i. e. apud Sinenses, Indos, Persas etc. (3). Historia diluvii, per quod totum fere genus humanum periit, licet persaepe corrupta, antiquissimis tamen populis nota fuit (4). Post diluvium autem genus humanum ex Chaldaea in omnes regiones propagatum fuisse, pervetusta nationum monumenta ostendunt (5). Vestigia quoque fidei de SS. Trinitatis, incarnationis et Redemptionis, divinitus factae, mysteriis apud ipsos ethnicos populos deteguntur (6). Mythologia quoque gentilium, quanquam fabellis referta, varia tamen facta biblica, a quibus narrationes, postmodum corruptae, initium sumpserunt, haud obscure confirmant. Sic *Daniel Huetius* plurimis et sat solidis comparationibus institutis ostendit per Mercurium Moysen, et per Herculem Iosuam intelligendum esse (7). Persuasio, ethnicis sat vulgaris, de invidia Deorum ex historia lapsus primorum hominum, quibus serpens dixit: *Scit Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri, et eritis sicut Dii, scientes bonum et malum* (8), repetenda est, eademque verba Apotheosi viam parasse videntur (9). Ideo idem citatus doctissimus auctor contra Hegelium solide ostendit, historiam universalem gentium philosophice concipi et tradi non posse nisi, admissa revelatione, Christus ceu historiae centrum constituatur (10).

2. Iudaei, licet inviti, pro veritate religionis christianae duplex testimonium ferunt. Ipsi enim librorum S. V. T. codices in manibus tenent et magna solertia conservant, ita ut prophetiarum V. T. corruptio impossibilis facta fuerit christianis. Idcirco Iudaei Christianorum librarii appellati sunt. Egregie dicit *S. Augustinus*: « Propterea adhuc Iudaei sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam. Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus

(1) L. c. §. 122.
(2) V. Frint I. Th. 2. B. §. 309-311.
(3) V. Staudenmaier Encyklop. 1. Bd. 1. Th. §. 230 etc. etc.
(4) Stolberg Gesch. d. Rel. 1. B. 2. Beil.
(5) Idem ibid. 5. Beil.
(6) Idem ibid. 5. Beil.
(7) V. Dem. ev. prop. IV, cap. IV, n. I et II etc.
(8) Gen. 3, 5.
(9) Staudenmaier l. c. §. 340 et 341.
(10) V. Darstellung u. Kritik des Hegel'schen Systems n. 18. die Philosophie der Geschichte.

alios inimicos, paganos (1).» Et alibi dicit: « Ipsa prophetia (de Christo) quid aliud nisi a nostris putaretur conficta, si non de inimicorum codicibus probaretur? Ideo *ne occideris eos*, ne ipsius gentis nomen extinxeris, *nequando obliviscantur legis tuae* (2) . . . veluti quereretur quid de illis esset faciendum, ut in aliquos usus testimonii veritatis non occidantur, i. e. non consumantur, neque obliviscantur legis Dei; continuo subiunxit: *Disperge illos in virtute tua* (3). Si enim in uno loco essent terrarum, non adiuvarent testimonio praedicationem Evangelii, quae fructificat toto orbe terrarum. Ideo *disperge illos in virtute tua*, ut eius ipsius, cuius fuerunt negatores, persecutores, interfectores, ubique sint testes per ipsam legem, quam non obliviscuntur, in qua est ille prophetatus, quem non sequuntur (4). » Idem proponit S. Caesarius (5). Praeterea Iudaei post destructionem templi et urbis ubique dispersi hac ipsa sua calamitate contestantur, Messiam actu iam advenisse, et hunc alium non esse, quam Iesum Christum, quem ipsi negarunt et occiderunt, quia iuxta oracula Prophetarum ob negatum et occisum Messiam haec lugenda dispersio secutura erat. Quamobrem recte sapienterque S. Chrysostomus ait: « Omnipotentis sapientiae Dei opus esse, ut inimici veritatis fiant ipsi testes veritatis (6). »

3. Muhammedes, quamvis ut pseudopropheta multa falsa docuerit, ac insipidam suam superstitionem religioni christianae praeferendam esse putaverit, de Christo tamen maxime honorifica testimonia tulit. Docuit enim Christum per divinam virtutem miraculose conceptum, per Gabrielem annuntiatum, et ex immaculata Maria Virgine natum, eundem fuisse verum prophetam coelitus missum, qui docuit veram salutis viam; eundem vitam sanctam egisse, et multa miracula perpetrasse, quorum nonnulla in Alcorano recensentur; eundem plura edidisse vaticinia, ascendisse ad coelum, et aliquando ad iudicium venturum esse. Docet quoque, Apostolis Christi omnino credendum esse, ut evangelio Christi, ac legi Moysis omnibusque prophetis. Denique Christus in Alcorano *Ruh - Allah*, i. e. spiritus seu anima Dei vocatur. Atque haec observantes nonnulli occasionem sumserunt religionem christianam probandi ex ipso Corano, id quod prae aliis praestare conatus est Dominicus de Colonia e S. I. (7).

§. 165.

Doctrinae usus.

Si Religio christiana, ut invicta argumenta probant, est unica vere divinitus revelata, ergo ab omnibus hominibus suscipienda est; neque enim aliter ad finem suum, i. e. ad perfectam moralitatem et aeternam felicitatem pervenire possunt. Omnes autem, qui religioni isti iam addicti sunt, pro beneficio coelitus accepto continuas gratias agere, omnibusque viribus adlaborare tenentur, ut iuxta religionis suae sanctissima praecepta vitam instituant, moresque componant.

§. 166.

Appendix de mythica Evangeliorum expositione.

Religionis christianae fundamenta evertere tentavit *Dr. D. F. Strauss* per mythicam Evangeliorum expositionem. In omnibus enim, quae de Iesu Christo mira narrantur, nonni-

(1) Enar. in Ps. 56. (2) Ps. 58, 12.
(3) Ps. 58, 13. (4) Ep. 149 ad Paul.
(5) Serm. 4, n. 3. (6) Il

(7) In opere: Character Mahometis, et religionis chr. argumenta ex Korano hausta. Cf tom. 2, §. 253.

si *mythos* intelligendos esse contendit. Per mythos autem intelligit facta, quae narrantur et vera putantur, sed tamen non ita contigerunt, verum ex dicteriis hominum fallacibus originem duxere. — Ast haud difficile est impium hoc systema refutare. Nam a) rationes, quas Dr. Strauss pro mythica sua expositione adducit, sunt futiles et inanes; b) rationes vero, quae ipsius expositioni opponuntur, sunt validissimae.

A. Dr. Strauss ad temerarias suas assertiones probandas sequentibus potissimum utitur argumentis: 1. In Evangeliis facta occurrunt, plane opposita legi continuitatis, vi cuius omnia necessario per causas intermedias evolvuntur, quae ideo, utpote intrinsecus impossibilia, historice admitti nequeunt, sed mythice exponi debent. 2. Quaelibet Religio, historia teste, praecipue in sua origine mythos habet; idem ergo de christiana quoque Religione sentiendum est. 3. Tempore, quo Evangelia exarata sunt, apud nationem praecipue iudaicam, genius historicus neutiquam adfuit, sed omnia mythis atque allegoriis replebantur. 4. Iudaeis porro magnae ideae inerant de desiderato et exspectato Messia, quem omnibus aliis eminentiorem arbitrabantur; ideo, quidquid ipsis de illustribus V. T. viris notum erat, cum Christo, quem Messiam putarunt, coniungere tentavere: has autem ideas Evangelistas collegisse et scriptis suis exarasse, frequentes V. T. citationes ostendunt. 5. Recta philosophia iam dudum viam mythicae Evangeliorum expositioni stravit, et haec iam *per multa saecula* semper magis magisque evoluta est (1).

Argumenta haec allata omni soliditate carent.

(1) V. Introductionem ad vitam Iesu critice elaboratam, in qua mythorum fontes, criteria, origo etc. assignantur.

Ad 1. Straussius enim, qui se a praeconceptis opinionibus prorsus liberum iactitat, praeiudicio maximo, ex philosophia hegeliana hausto, laborat, quo putat, Deum personalem a mundo distinctum non existere, atque ideo omnia naturali necessitate per causas intermedias evolvi: falso hoc principio refutato et miraculorum possibilitate probata (§. 65), corruit totum ipsius argumentum. — Immerito autem Theologos orthodoxos de praeconceptis opinionibus incusat. Falsum enim est ipsos docere, in negotio religionis alias leges vigere, quam in ceteris entibus. Omnes enim admittunt legem summam, ac imprimis principium causalitatis, quo dicunt: *Nihil fit sine causa sufficiente:* hoc principium etiam ad facta, quae ad religionem spectant, applicant, et si miracula statuunt, ab hac lege minime recedunt, sed causam sufficientem in omnipotente ac independente Dei voluntate inveniunt. Etiam in naturalibus hincinde, praetermissis causis intermediis, per vim fortiorem quasi per saltum effectus produci potest. Sic iuxta legem continuitatis homines pedetentim per infirmitates morti adproximant, sed gladio perculsi in momento vitam finiunt. Si homines legem continuae evolutionis superare valent, an Deus id non poterit? — —

Ad 2. Non negamus, omnem Religionem falsam mythis, spuriis narrationibus, falsis principiis etc. refertam esse, eamque eoipso secernendam esse dicimus a Religione vera, quae ementita facta pro veris venditare non potest. — Magni momenti veritates iam in mundi primordiis humano generi revelatae fuerunt, e. g. de Deo creatore, de hominum lapsu, de promisso Redemptore etc. Quo magis autem inter homines corruptos harum veritatum

memoria obliterata est, eo magis mythi, fabulae falsaque dicteria invaluerunt. Sic inter Gentiles enata est mythologia non ex religionis natura, sed ex verae Revelationis neglectu. — In Religione vero patriarchali et mosaica mythos in sensu Straussii adfuisse, nullo modo probari potest. Constat potius, Israëlitas in iis, quae in libris ipsorum sacris narrata leguntur, vera semper facta agnovisse: imo, licet saepius a Deo defecerint, et ad idololatriam deflexerint, nunquam tamen eo temeritatis venerunt, ut veritatem historicam librorum sacrorum negarent, quos semper in maximo honore habuerunt, et non mythice sed litteraliter exposuerunt. — Equidem in V. T., in quo Messias adhuc exspectabatur, omnia in figuris contingebant illis. Sed figurae istae, seu typi, longe discrepant a mythis, quos adstruit Strauss. Figurae enim non in fictis, sed in veris factis constiterunt, et ideo in illis duo secernenda sunt, nimirum eventus realiter praesentes et symbola futurorum. Cum autem finis legis Christus fuerit, ideo in Religione christiana sicut figurae cessarunt, sic multo minus mythi assumi possunt.

Ad 3. Tempore quo Evangelia exarata fuerunt, apud nationem praecipue iudaicam genium historicum non viguisse, sed omnia mythis et allegoriis repleta fuisse, Straussius asserit, sed non probat. Contrarium historia testatur. Aevo enim Christi et Apostolorum genius historicus etiam apud orientales maxime invaluit, et multi illorum temporum scriptores historici citari possunt. Sic e. g. *Manetho* historiam Aegypti conscripsit, quem saepius citat Plutarchus (1). *Berosus* historiam chaldaicam exaravit, ad quem saepius provocat Iosephus Flavius; eodem teste (2) *Hecataeus ab Abdera* de populo iudaico multa scripsit. *Dios* et *Menander* historiam Phoeniciae elaborarunt; *Nicolaus Damascenus*, saepius citatus a Iosepho Flavio, de temporibus Pompeii scripsit; *Ptolomaeus Mendesius* historiam tum populi sui, tum Herodis litteris mandavit (3). In medio tot scriptorum historicorum Evangelistae historiam Iesu Christi elaborarunt; nonne maxime absurdum est, tale tempus mythicum et a genio historico alienum dicere, ac exinde pro Evangeliorum expositione canonem petere? — —

Ad 4. Iudaeis omnino persuasum erat, Messiam promissum, praefiguratum et praenuntiatum fuisse; et utinam promissiones, figuras et prophetias rite attendissent, absque dubio Christum ceu verum Messiam agnovissent! Sed maximo illis temporibus praeiudicio laborabant, putantes, Messiam ceu regem temporalem potentissimum venturum esse, qui debellatis Romanis Iudaeos exaltet. Hanc ideam cum Messia coniungentes in Christo humili et paupere Messiam agnoscere detrectarunt. Ipsi quoque discipuli diu eadem falsa idea infecti erant; ideo Christum interrogarunt: *Quando restitues regnum Israël* (4). — Quod cum nunquam factum sit, ipsi profecto discipuli cum reliquis asseclis a Christo recessissent, nisi ex aliis argumentis certis, i. e. ex visis miraculis de divina ipsius missione et auctoritate persuasi fuissent. — Quodsi Evangelistae vaticinia messiana citarunt, hoc ideo fecerunt, quia facta magistri sui viderant, et in his illa adimpleta cognoverant: non ergo propter vaticinia facta finxerunt, sed propter facta certa vaticinia analoga applicanda esse censuerunt. — Christo autem ideo solum facta mira afficta

(1) Is. et Osir (2) Ad Appion. l. 1, c. 17.
(3) V. Clem. Alex. l. I Strom. c. 28.
(4) Act. 1, 6.

esse, ut ceteris V. T. illustribus viris eminentior fieret, Strauss dictitat, sed nullo modo probat.

Ad 5. Straussius, ut probet, expositionem mythicam, lucem praeferente philosophia, *per multa saecula* magis magisque evolutam esse, provocat praeprimis ad mythologiam Graecorum, dein saltat ad *Philonem* Iudaeum, ac demum adducit *Origenem*, post quem usque ad lugenda tempora reformationis nullum citare potest mere mythicae, seu allegoricae expositionis patronum. Quis autem non videt, talem probationem irrisionem potius mereri, quam confutationem? — Ipse *Philo* Straussio non patrocinatur: licet enim historiam creationis allegorice exponat, non sic tamen procedit, cum de subsequentibus temporibus agitur, sed cum Abrahamo veram historiam incipit, ac ea, quae de Patriarchis, de Moyse etc. leguntur, non ut mythos, sed ut vera facta assumit. — *Origenes* magnus equidem allegoriarum amator fuit, sed sensum litteralem nullatenus ut Straussius negavit, sed in multis etiam miris factis admisit. Sic historiam Noachi (1), historiam Lothi (2), decem plagas Aegypti (3), transitum maris rubri (4) omnino litteraliter exposuit. Itaque omnes rationes, pro mythica Evangeliorum expositione allatae, futiles sunt et inanes.

B. Rationes, quae mythicae expositioni opponuntur, eamque non solum orthodoxae fidei, sed etiam rectae philosophiae prorsus contrariam ostendunt, sunt solidissimae.

1. Recta enim philosophia docet, facta nonnisi ex monumentis authenticis et fide dignis desumenda, et iuxta haec diiudicanda esse. Evangelia autem genuina, et ab auctoribus fide dignis conscripta esse, §. 81 et seq. probatum est. Ipse Strauss de sinceritate Evangelistarum dubitare non videtur, cum dicit, hos bona fide, seu inscios hominum dicteria pro veritate venditasse. Talis autem assertio omnino absona est. Christi enim discipulis maximi interesse debuit, an facta mira, quae de ipsorum magistro narrabantur, vera sint, nec ne; dubitari ergo non potest, ipsos tanti momenti rem sedulo indagasse; neque ad tale negotium criticum capacitas illis abnegari potest, qui, fatente ipso Straussio, doctrinam magistri sui bene proposuerunt. Anne scriptor saeculi decimi noni facilius dicteria hominum a veris factis discernere valet quam scriptores coaevi et oculati? — —

2. Mythica Evangeliorum expositio totius antiquitatis consensui repugnat. Ecclesiae enim Patres, doctrina et sanctitate conspicui, miracula Christi litteraliter acceperunt iisque ad confundendos Iudaeos atque Gentiles quovis aevo usi sunt, cum praecipue ex realitate miraculorum Christi christianae religionis divinitatem probarent. Neque aliter primos christianos, apostolis coaevos, sensisse, sat manifestum est. Quomodo enim, non obstantibus diris persecutionibus, tot ex Iudaeis et ex Gentilibus Religionem christianam assumsissent, si facta mira Christi nonnisi ementita, et ex vanis hominum dicteriis orta fuissent, et a fabulis non discrepassent? — Celerrima propagatio Religionis christianae, quae totius quasi mundi faciem mutavit, tunc esset factum, cuius rationem sufficientem nulla Philosophia explicare valeret, et quod ideo miraculum miraculorum dicendum esset (5).

3. Demum haud difficile est ostendere, totum Straussii systema non tantum soliditate carere, sed et contradictionibus involvi, si decantato-

(1) Hom. 3 in Gen. (2) Hom. 5 in Gen. (3) Hom. 4 in Ex. (4) Hom. 5 in Ex. (5) Cf. §. 130 etc.

rum mythorum origo inquiratur. Straussius enim perpetuo clamitat, per vana hominum dicteria et fallacia encomia vitam Iesu mirifice exornatam fuisse, et sic mythos in Evangelia irrepsisse. — Historia autem docet et continua experientia testatur, solummodo magni momenti facta, et praeclari nominis viros, praecipue si de ipsorum fatis ex certis monumentis non constabat, splendidis hominum dicteriis, illustribus amplificationibus et honorificis mythis ansam dedisse. — Quid autem, admisso Straussii systemate, in Christo tam splendidis mythis viam aperuit? — Iuxta Straussium nihil aliud de Christo historice verum est, nisi quod Nazarethi habitaverit in iuventute, a Ioanne baptizatus fuerit, discipulos collegerit, in Galilaea et Iudaea docens circumierit, Pharisaeismo se ubique opposuerit, ad regnum Messiae invitaverit, sed in fine odio ac invidiae pharisaicae sectae succumbens in cruce obierit. Quid autem adest in his omnibus, quod rationem sufficientem mythorum assignet? — nonne eadem, vel etiam maiora alii quoque viri illustres praestiterunt, qui non tantum odium tum pharisaeorum, tum populi incurrerant, nec tam ignobilem finem sumserant? nonne etiam Ioannes Baptista discipulos collegit, poenitentiam praedicavit (1), pharisaeis se acerrime opposuit, et ad regnum Messiae invitavit? — cur pro subiecto mythorum non potius electus est Ioannes, qui fuit e genere sacerdotali, in deserto maxime mortificatam vitam gessit, baptismum plurimis imo ipsi etiam Christo contulit, ob eximiam sanctitatem a sacerdotibus et principibus Iudaeorum maximo honore habitus fuit, et ob veritatem libere dictam ab Herode, Iudaeis inviso, necatus gloriosum martyrium subiit? Si Christus non talia opera fecit, quae nemo alius fecit, si, ut Straussius vult, vera non sunt miracula ipsius, quomodo fieri potuit, ut Ioanni longe praeponeretur, Christus ut Messias undequaque glorificaretur, et Ioanni munus, multo inferius, praecursoris adscriberetur? — tanta difficultas et tam aperta contradictio, quae in systemate Straussii solvi nullatenus potest, mythicae expositionis absurditatem sole clarius ostendit (2).

Nota 1. Strauss, ut factorum in Evangeliis enarratorum veritatem historicam neget et mythicam suam expositionem vindicet, totam vitam Christi crisi suae subiiciens, ubique antilogias seu apparentes contradictiones invenit, quas recensere et refutare non tam ad theologiam dogmaticam generalem, quam potius ad studium biblicum spectat. — De cetero pleraeque ab ipso motae difficultates iam a SS. Patribus et Theologis solutae sunt, et in specie eaedem refutatae legi possunt in operibus supra citatis.

Nota 2. Impietate omnes incredulos superat *Bruno Baur*, qui asserere non erubuit, in Evangeliis talem Christum proponi, qui omnibus horrorem incutere debet, et Religionem christianam naturae, libertati et felicitati hominis prorsus opponi. — Tales autem blasphemiae, nonnisi ex perversis principiis scaturientes, quibus, omni moralitate sublata, homo ad conditionem brutorum deprimitur, confutatione non indigent, et iam satis refutantur per ea, quae de charactere Christi (§. 121) et de doctrinae christianae excellentia (§. 124 etc.) dicta sunt.

(1) Matth. 3.

2) Cf. Mact. Berichkt über das Leben Iesu von Strauss: theol. Quartalschrift von Tübingen 18 B. . Hug: Gutachten über das Leben Iesu von Strauss: Zeitschrift für Theologie 1839 1. Bd. 1. Heft etc. Wilhelm Hoffmann, das Leben Iesu, kritisch bearbeitet von Strauss, geprüft etc.

THEOLOGIAE GENERALIS

PARS III.

DEMONSTRATIO RELIGIONIS, SEU ECCLESIAE CATHOLICAE

§. 167.

1. Quicunque ex allatis argumentis de divinitate Religionis christianae et de eiusdem necessitate ad salutem aeternam consequendam persuasus est, summo studio adniti debet, ut rectam atque perfectam sibi Religionis christianae notitiam comparet. Ad hanc autem acquirendam necesse est, ut indagentur *fontes*, in quibus genuina et integra Christi doctrina continetur, et praeterea opus est, ut *legitimus modus* cognoscatur, qui observandus est, ut ex fontibus veritates divinitus patefactae sine erroris periculo hauriantur. — Recte idcirco Theologi duplex Religionis christianae principium distinguunt, nempe *principium constitutivum*, quod consistit in fontibus doctrinam a Christo revelatam et ab Apostolis praedicatam continentibus, et *principium regulativum*, quod proponit normam veritates revelatas sine erroris periculo cognoscendi. De utroque hoc principio in hac ultima Theologiae generalis parte disserendum est.

2. Summi profecto momenti est tractatio, quam suscipimus. Notum enim est, plures existere christianorum societates, quae omnes contendunt, se colere Religionem a Christo revelatam. Verum cum inter omnes has societates magna sit doctrinae et dogmatum oppositio, Christus autem divisus non sit, neque plures et diversas Religiones ad nos attulerit; in aperto est, non posse omnes veram et integram Christi Religionem habere. Sicut ergo prius demonstravimus, inter omnes Religiones, quae se revelatas dicunt, unam esse *christianam* hoc charactere insignitam: ita nunc probandum est, inter diversas religiones christianas solam *catholicam* esse, quae a Christo originem ducat et veram ipsius ac integram doctrinam teneat, ceteras omnes falso sibi tanti nominis gloriam attribuere. Haec tractatio ad omnes quidem pertinet christianorum sectas, quae ab exordio propagatae Religionis a vera Christi Ecclesia discesserunt; attamen ad illas imprimis attendere necesse est, quae hac adhuc aetate vigent, et societates constituunt satis numerosas, quales sunt *Graeci schismatici*, et *Protestantes*, sub quo nomine veniunt *Lutherani* seu *Evangelici*, *Calviniani* seu *Reformati*, *Anglicani*, *Sociniani*, etc. Istas christianorum societates veram et genuinam Christi doctrinam non sequi, in Theologia dogmatico-polemica ostenditur, in qua dogmata Ecclesiae catholicae ut vera probantur, et errores haereticorum refelluntur. Ast-etiam Theologiae generalis, seu fundamentalis praecipuum officium est, ut invicte probet, in sola Ecclesia romano-catholica Religionis christianae fontes recte assignari, veritates revelatas omnes legitimo ac infallibili modo ad credendum proponi, et omnes pariter verae Christi Ecclesiae notas, seu characteres inveniri. Ut huic officio Theologiae generalis satisfiat, 1° *de principio Religionis christianae constitutivo*, seu *de eiusdem fontibus*; et 2° *de principio Religionis christianae regulativo*, seu *de Ecclesia et ratione* disserendum est.

Nota. Magni momenti est distinctio inter principium Religionis christianae *constitutivum* atque *regulativum*, ut recte determinari possit, quaenam veritates fide divina credendae sint, quaenam non. Quod substantiam attinet, omnes Theologi catholici in hac distinctione consentiunt, quamvis non omnes iisdem verbis eandem exprimant. Omnes enim fatentur, Revelationem divinam in Christo et Apostolis clausam esse ita, ut post Christum et Apostolos nova dogmata non revelentur. Omnes pariter docent ex ordinatione Christi Ecclesiam statutam esse, ut factae nobis revelationis custodem ac interpretem legitimum et infallibilem, ita ut ea tantum a nobis ut dogmata revelata habenda sint, quae ab Ecclesia ad credendum proponuntur. Nonnulli Theologi Religionis christianae fontes principium eiusdem materiale appellant (ad quod autem falso prorsus ratio humana refertur): per principium autem *formale* intelligunt revelationem per magisterium Petro-apostolicum, seu ecclesiasticum nobis propositam (1).

SECTIO I.

DE PRINCIPIO CONSTITUTIVO, SEU DE FONTIBUS RELIGIONIS CHRISTIANAE

§. 168.

Si Christus, ut divinus humani generis redemptor, religionem suam instituit, ut omnium locorum et temporum homines ad finem suum, i. e. ad perfectam moralitatem et aeternam felicitatem pervenire possint, dummodo coelestia ipsius documenta et fide teneant et opere exerceant; summi profecto momenti est, nosse, ex quibus potissimum fontibus pura ac genuina christianae religionis dogmata haurienda sint. Quod si recto modo inquiratur, facile patet, hunc in finem libros existere, divina auctoritate exaratos, in quibus multa doctrinae revelatae capita exponuntur. Ex eadem autem sine praeiudiciis et sine partium studio suscepta inquisitione constat, non omnia, quae a Christo revelata fuerunt, in praedictis libris sacris contineri, sed multa religionis christianae capita per aliam viam, i. e. per traditionem nobis communicari. — Ut ergo integra Christi religio cognoscatur, duplex eiusdem fons assignandus venit; — nimirum 1° *Sacra Scriptura*, et 2° *Traditio*.

Nota. Cl. *Dobmayr* sat erudite ostendit, iuxta ipsa rectae rationis dictamina, ad religionem revelatam et pro omnibus hominibus destinatam propagandam et conservandam neque solam scripturam, neque solam traditionem medium sufficiens constituere, sed ceu medium optimum, maximeque congruum dignosci, si divinae scripturae et traditioni status doctorum adiunctus sit, qui divina assistentia et auctoritate suffultus praedictos fontes perpetuo custodiat et authentice exponat (2). — Ast res tanti momenti non iam a priori determinari potest. Quicunque enim modus ad revelationem propagandam et conservandam a ratione aptissimus dignoscatur, non iam ideo Deus illo uti tenetur: sicuti enim nobis totam revelationem non debet, sic modus quoque revelationem benignissime factam propagandi et conservandi ipsi praescribi nequit, sed ab eius liberrima et sapientissima voluntate dependet. Nec etiam medium, quod humanae rationi maxime arridet, in se semper optimum est, cum saepe ratio finita omnia adiuncta rite considerare et perspicere non valeat. Ex

(1) V. Io. Schwetz Theol. gen. p. III, cap. V.

(2) Tom. II, §. 159-142.

historicis ideo monumentis indagandum est, quid Christus pro sua infinita sapientia et bonitate fecerit, et ordinaverit ad religionem suam propagandam ac incorrupte conservandam.

CAPUT I.

DE SACRA SCRIPTURA.

§. 169.

Ex historia constat, variis gentibus et populis libros quosdam sacros iam a multis saeculis quodammodo proprios fuisse, uti Sinensibus *Schu-king*, Indis *Vedam*, Persis *Zendavesta*, Muhammedanis *Koranum*, Iudaeis *Pentateuchum et reliquos libros antiqui*, Christianis vero tum *hos*, tum *libros novi testamenti*, et quamlibet nationem et gentem ea persuasione duci, quod in his libris divina a Deo profecta i. e. revelata religio comprehendatur. Idipsum crediderunt Graeci et Romani de suis tum divinationibus, tum et praecipue oraculis, quae quasi totidem responsa Deorum et divinas instructiones tenuerunt. — Libros autem Gentilium in genere et in specie Sinensium, Indorum, Persarum, et Muhammedanorum divina auctoritate nullatenus pollere ex defectu characterum tum internorum, tum externorum patet (1). — Aliter disserendum est de libris tum Iudaeorum, tum Christianorum, in quibus vere divinae revelationis et historiam et doctrinam contineri ex characteribus internis et externis probatum est (2). Hosce ergo libros, qui ut fontes revelationis considerandi sunt, propius cognoscere, eorumque auctoritatem divinam, seu inspirationem, canonem et usum accuratius determinare oportet.

(1) S. I. C. V.
(2) Sect. I. C. II et C. IV.
(3) Ex. 32, 16. (4) Rom. 1, 2.
(5) II Tim. 3, 15. (6) Io. 5, 39.

ARTICULUS I.

S. Scripturae notio et divisio.

§. 170.

1. S. Scripturae nomine intelligitur collectio librorum quibus doctrina salutaris ad religionem pertinens per auctores, a Deo inspiratos, adiutos et directos nobis tradita est.

Nota. Variis nominibus collectio horum librorum in ipsis hagiographis scriptis insignitur: sic nominatur *Scriptura Dei* (3), *Scripturae sanctae* (4), *sacrae litterae* (5), absolute *Scripturae* (6). — In veteri praecipue testamento libri sacri saepe appellantur *eloquia*, *oracula Dei*, *verbum*, *lex*, *doctrina*, *testimonium*, *foedus*, *testamentum Dei* etc.—Communi autem ac ecclesiastico usu sacrorum librorum collectio nuncupatur *Biblia sacra*, vel simpliciter per antonomasiam *Biblia*.

2. Ex dictis colligere pronum est in duas potissimum partes S. Scripturam distribui. Prior complectitur doctrinam Religionis a Deo revelatam Israëlitis, praecipue Moysis et Prophetarum ministerio; — posterior pleniorem Religionis christianae institutionem exhibet, traditam a Christo, et ab Apostolis et Evangelistis litteris mandatam. Illa vocatur *lex*, aut *vetus testamentum*, haec *evangelium* dicitur, seu *novum testamentum*.

3. Cum index librorum, quibus tota S. Scriptura constat, *canon* nominetur, ideo libri in illo contenti *canonici* dicuntur, et quidem *protocanonici*, de quorum auctoritate divina nunquam in Ecclesia dubitatum fuit, et *deuterocanonici*, qui a nonnullis coetibus ecclesiasticis ceu divini aliquandiu agniti non fuerunt: ad hos pertinent in V. T. libri: Tobias, Iudith, Esther quoad ultima septem capita; liber Sapientiae, Eccle-

siasticus, et Baruch; ex libro Danielis historia Susannae, historia Belis et draconis, et canticum trium puerorum ac demum libri Machabaeorum: in N. T. libri deuterocanonici sunt epistola ad Hebraeos, epistola Iacobi, secunda epistola Petri, secunda et tertia epistola Ioannis, epistola Iudae, et Apocalypsis.

Nota. A libris deuterocanonicis omnino distinguendi sunt libri *apocryphi*, qui in canone Ecclesiae non sunt recepti, quia de iis non certo constat, quod sint divini: huiusmodi sunt oratio Manasse, libri tertius et quartus Esdrae, appendix continens genealogiam Iob, Psalmus 151, prologus Ecclesiastici, praefatiuncula Threnorum, liber tertius et quartus Machabaeorum: his accensenda sunt in N. T. pseudoevangelia sub nomine Apostolorum venditata, sed ab Ecclesia nunquam in canone recepta.

ARTICULUS II.

De sacrorum librorum inspiratione.

§. 171.

S. Libros tum V. tum N. Testamenti genuinos, integros, atque ab auctoribus dexteritate et sinceritate pollentibus confectos esse (1) probatum est. Exinde fluit, ipsos ut certa monumenta historica omnem fidem mereri. — Ast — non solum humana, sed vere divina auctoritas S. Libris inest: neque id ideo solum asseritur, quia argumentum supernaturale, i. e. divinam revelationem proponunt, quod ex characteribus internis et externis iam (2) probatum est, sed multo magis ex alia ratione, quia nimirum Deum ipsum auctorem habent, quo inspirante confecti sunt. Huiusce iam inspirationis 1) *notio* evolvenda, 2) *possibilitas* vindicanda, ac demum 3) *realitas* probanda venit.

(1) Sect. I, partis II.
(2) Sect. praec. C. II et cap. IV.

§. 172.

I. Inspirationis notio.

Licet omnes Christiani, orthodoxe sentientes, sacros libros ceu divinitus inspiratos venerentur, nullatenus tamen consentiunt, cum de inspirationis natura, modo et extensione agitur. — Hanc enim nonnulli nimium dilatare, alii nimium restringere videntur, inter quas sibi adversantes sententias media via incedendum est.

1. Sunt nonnulli, qui dicunt, omnia, non solum res et sententias, sed et singula S. Scripturae verba, usque ad minimos apices, fuisse a Spiritu S. dictatas. Sententia haec, cui plures SS. Patrum loci suffragantur, teste Calmeto (3) etiam inter theologos communis fuit usque ad saeculum decimum sextum. — Ast plura sunt quae huic sententiae iure opponi possunt; ac 1) quidem *consueta divinae providentiae ratio*, quae, sicut non deest in necessariis, sic neque abundat in superfluis; superfluum autem videtur, ipsa verba ubique suggerere, ad quae seligenda naturalis scriptoris facultas sufficit; 2) *styli varietas*, quae in diversis scriptoribus hagiographis pro diverso uniuscuiusque cultu, ingenio atque indole elucet; incongruum quippe videtur affirmare, Deum accommodasse verba vario singulorum scriptorum ingenio; 3) diversa ratio, qua scriptores sacri rem eandem narrant; certum namque est e. g. Christum in ultima coena una eademque formula consecrationis verba protulisse, quae tamen, dum de calice agitur Matth. XXVI, 28, Marc. XIV, 24, Luc. XXII, 20, I Cor. XI, 25, diversis verbis exhibetur; 4) *maior minorve difficultas*, quam in opere suo concinnando expertos se esse hagiographi scriptores ipsi professi sunt, uti e. g. auctor secundi Ma-

(3) Diss. de inspir. ad II Pet., art. II.

chabaeorum libri c. II, v. 27 fatetur, se negotium plenum vigiliarum et sudoris assumsisse (1).

2. Alii ad inspirationem sufficere contendunt, si Spiritus S. talem scriptoribus assistentiam praebeat, qua in scribendo ab omni errore immunes fiant. Imo non defuere qui dicerent, ad Scripturam sanctam efficiendam satis esse, si testetur Spiritus S. nihil falsi in aliquo libro esse, quamvis liber ille humana plane industria sine ullo Spiritus S. afflatu exaratus fuerit. — Sic *Lessius* et *Hamelius* S. I. theologi anno 1586 sequentes theses proposuerunt: 1) Ut aliquid sit Scriptura sacra, non est necessarium singula eius verba inspirata esse a Spiritu S. 2) Non est necessarium, ut singulae veritates et sententiae sint immediate a Spiritu S. ipsi scriptori inspiratae. 3) Liber aliquis (qualis forte est liber secundus Machabaeorum) humana industria sine assistentia Spiritus S. scriptus, si Spiritus S. postea testetur nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura sancta. — Has propositiones Lovaniensis et Duacensis academia damnavit; sed censuram istam orbis catholicus *circa duas priores propositiones* non adoptavit; has iam enim ante Lessium et Hamelium iam alii celebres theologi, e. g. Cornelius a Lapide, Bonfrerius, Mariana, Bellarminus et alii propugnarunt, licet circa tertiam thesin nullatenus consentirent: ipsi quoque Lessius et Hamelius annexam huic thesi parenthesin postea delendam esse confessi sunt. — Ceterum, si Spiritus S. testetur, librum quemdam, humana industria elaboratum, ab erroribus immunem esse, tale testimonium nos equidem certiores reddit, librum omnem fidem mereri, sed ideo liber divinus, seu qui Deum auctorem habeat, dici non potest. Neque ad hoc assistentia illa sufficit, qua Spiritus S. ita solum scriptoribus assistit, ut in scribendo non aberrent. Tali enim assistentia etiam concilia oecumenica gaudent, et ideo effata Scripturae non distinguerentur a conciliorum generalium definitionibus, quae, licet ab omni errore immunes sint, inspiratae tamen non dicuntur. Verae ergo inspirationis notionem plura exigere, conspicuum est.

3. Ut Deus s. Scripturae auctor iure dicatur, omnino actio divina requiritur, quae ad s. librorum existentiam efficaciter concurrat. Id autem variis modis fieri potest. Libri enim alicuius scriptio est actio admodum composita, utpote quae cognitionem materiae scribendae, tum voluntatem scribendi, ac demum verba et ordinem, quo omnia proferuntur, importat. Plures idcirco gradus divini influxus distingui possunt. Deus enim efficaciter influere potest in scribentis a) *intellectum*, vel revelando ea, quae ignota sunt, vel suggerendo illa, quae, licet nota sint, memoriae tamen non obversantur, vel saltem ita assistendo, ut omnis error praecaveatur, b) in *voluntatem*, excitando ad scribendum vel iussu aperto, vel motione occulta, c) in *verba et ordinem*, vel dictando, vel adiuvando, ne quid falso modo proferatur. — — Imo ut quis liber vere divinus, seu a Deo inspiratus dici possit, omnino necesse est, ut in illo conficiendo aliquis huius triplicis divini influxus gradus obtingat. Ideo, qui inter duas priores sententias mediam tenent, ad veri nominis inspirationem requirunt 1) *excitationem divinam* ad scribendum; 2) *revelationem divinam* circa ea, quae scriptori naturaliter nota esse non possunt; 3) assistentiam divinam in reliquis talem, qua scriptor non solum ab erroribus praecavea-

(1) V. Perrone vol. IX, p. II, C. II, n. 100. Liebermann l. II, p. II, c. I, § II, prop. II.

tur, sed etiam ita dirigatur ut quae Deus vult, recto modo proponat. Iuxta haec requisita *inspiratio* dici potest - speciale adiutorium, quo Deus scriptores sacros ad scribendum excitat, eisdem veritates absconditas revelat, aut si aliunde cognitae sint, eis manifestat, quibus potissimum cum adiunctis rem efferri oporteat, assistitque ac dirigit, ne in scribendo errent (1).

Nota. Protestantes ab initio reformationis toti erant in asserenda Scripturae divina auctoritate, ideoque conceptum inspirationis ad singula verba extendebant. Nec mirum, id a viris factum esse, qui nullam praeter Scripturas fidei regulam agnoscebant, seque a Deo excitatos iactabant, ut suum libris sacris honorem, suam dignitatem vindicarent. — Sed iam *Hugo Grotius* ab hac sententia recessit, talem solummodo scriptoribus sacris Spiritus Sancti directionem et praesentiam adiudicans, qua ab erroribus praecaverentur. Multo magis a religiosa patrum suorum erga libros sacros veneratione recesserunt non pauci Protestantium doctores, qui, Arminianorum et Socinianorum principiis imbuti, docuerunt, Scripturam ea tantum ratione divinam esse, quod in genere divinum argumentum contineat, Religionem scilicet Dei nomine et auctoritate hominibus revelatam. — Nostris temporibus ex protestantibus nonnulli eousque pervenerunt, ut inspirationem vel cum *Tieftrunk* prorsus impossibilem, vel cum *Ekermann* fini religionis et genio hominis nullatenus accommodatam dicerent, vel saltem cum *Haenlein* assererent, inspirationem nullo unquam modo probari posse. Contra aberrantes istas sententias ipsam inspirationis possibilitatem vindicare oportet (2).

(1) Klüpfel l. 1. proleg. § 35, not. 2.

§. 173.

II. Inspirationis possibilitas.

Gravissime errant, et rectae philosophiae principiis adversantur, qui inspirationem impossibilem, ac rationi contrariam esse autumant. Inspiratio enim omnino possibilis est

a) *logice* in conceptu, qui nullam contradictionem involvit;

b) *physice* ex parte Dei et scriptoris. *Deus* enim pro sua omnipotentia et sapientia infinita absque dubio in voluntatem et intellectum hominis efficaciter influere, ac scribenti verba quoque et ordinem suggerere potest: si rex per ministrum litteras pro aliis exarare potest, anne Deo negabitur facultas homine ceu instrumento utendi quo litteras ad nos dirigat? — neque id impedit (quod absone dicit Wegscheider) perfectissima spiritualitas Dei: si enim Deus ceu simplicissimus Spiritus agit in materiam, multo magis in spiritus, quos creat et conservat, agere potest; imo ipsa inspiratio, ut actio personalis, naturam spiritualem expostulat. *Homo* autem, a Deo undequaque dependens, influxum divinum recipere potest: nam si homo ab homine instrui, ad scribendum excitari, et in scribendo dirigi potest, anne a Numine divino, in quo omnes vivimus, movemur et sumus, idem experiri non valebit? — Neque in eo difficultas adest, qua ratione scriptor de praesentia et assistentia divina certior fiat; si enim homo homini praesentiam et assistentiam suam ostendere potest, id multo magis Deus vel interno, vel externo modo prestare valet. Nos quidem, nil tale experti, modum sat clare concipere et explicare non possumus, quo Spiritus infinitus in spiritum finitum agit, sed nil magis a

(2) V. Calmet dissert. de Script. inspirat art. II. Dobmayr tom. IV, append. pag. 19 etc Liebermann adnot. 1, ad p. II, c. I, art. I.

recta ratione abhorret, quam ob ignorantiam modi certam veritatem, seu ipsam possibilitatem facti negare.

c) *moraliter* - quoad *scriptorem*, cuius facultates non destruuntur, nec minuuntur, sed extolluntur, dum ipsius libertas non restringitur, sed sicut per gratiae supernae operationes perficitur, intellectus autem vel novis, vel clarioribus cognitionibus donatur; — quoad *religionem revelatam*, cuius indoli finique, uti ipse Tieftrunk et Reinhold fatentur, libri, divinitus inspirati, omnino accommodati sunt; — quoad *genus humanum*, cui in re summi momenti monumenta authentica, i. e. auctoritate divina exarata, maximopere accepta esse debent; — quoad *Deum*, qui sacros libros per inspirationem suam conficiendo omnipotentiam, sapientiam atque bonitatem extraordinario modo manifestat.

Nota. Sicut qui inspirationem in se impossibilem dicunt, sic et illi aberrant, qui putant fieri nullatenus posse, ut homines de vera uni vel alteri facta inspiratione subiective certi reddantur. — Inspiratio enim est factum historicum, quod sicut alia facta historica per idoneos testes probari potest. Neque media desunt, quibus se quis ceu verum legatum divinum ostendat; sicut enim obtenta a Deo revelatio, sic etiam acquisita inspiratio per miracula et vaticinia satis certo probatur. Omnem ergo fidem meretur, qui librum vel a se, vel ab alio divina cum inspiratione conscriptum esse testatur, et qui testimonium suum per miracula vel vaticinia confirmat. — Medium denique maxime congruum, homines de facta inspiratione certos reddendi, tunc habetur, si certis argumentis probatur existere magisterium divinitus institutum, quod circa ea, quae fidem concernunt errare non potest. Si enim tale magisterium libros quosdam divinitus inspiratos esse declaret, tunc omnes illi credere tenentur, ac tuto acquiescere possunt (1).

§. 174.

III. Inspirationis realitas.

Libros V. et N. Testamenti omnes ab auctoribus a Deo inspiratis conscriptos esse fides Christianorum tenet. Ad id autem probandum argumenta rationalia, seu philosophica adduci nequeunt. Ratio enim factam inspirationem neque a priori, neque a posteriori probare potest. Nimis enim temerarium esset, Deo praescribere modum quo Revelationem, quam ex gratuita bonitate concedit, hominibus tradere, ac inter illos conservare debeat, praecipue cum ipsa ratio cognoscat, id etiam per solam traditionem et per perenne magisterium infallibile, vel etiam aliis mediis sibi absconditis et infinitae sapientiae notis fieri posse. Neque ratio sibi relicta ex sanctorum librorum indole ad divinam eorundem inspirationem concludere potest. Licet enim doctrinam in illis contentam ab omnibus erroribus immunem, Deo dignam et ad moralitatem ac felicitatem hominis promovendam maxime accommodatam esse cognoscat, ideo tamen probari nequit, Deum, extraordinario modo agentem illorum auctorem esse, cum talis doctrina, absolute loquendo, per vires quoque naturales proponi possit. — Ad inspirationis realitatem probandam aliis ergo argumentis opus est, quae peti non possunt, nisi vel ex ipsa S. Scriptura, vel ex consensu Ecclesiae publico et universali. Ideo pro S. Librorum inspiratione duplicis generis argumentum - nimirum *biblicum* et *ecclesiasti-*

(1) Cf. Linzer Monatschrift J. Jahrg. II. Bd n. 16. Dobmayr l. c. §. 18.

cum afferri solet. Prius autem licet pro divina S. Librorum auctoritate non spernenda momenta contineat, ad rem tamen omni ex parte evincendam non sufficit, sed posterius requiritur, ex quo unico S. Librorum inspiratio divina solide probari potest.

§. 175.

A. Argumentum biblicum.

Ad S. Librorum tum *veteris*, tum *novi testamenti* divinam inspirationes probandam, Theologi ad ipsam S. Scripturam recurrere, variasque ex illa probationes deducere tentarunt.

1. Pro divinitate S. Librorum V. T. sequentia momenta afferri solent. — *Moyses* per miracula et vaticinia se ceu verum legatum divinum ostendit. Quodsi verba, quae ad Hebraeos locutus est, divinam habuere auctoritatem, quanto magis scripta, quae ad populi instructionem reliquit? passim in istis occurrit: *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens* etc. seu *: Locutus est Dominus ad me* etc. De Moyse praeterea legitur : *Ore enim ad os loquor ei : et palam, et non per aenigmata Deum videt* (1). Ipseque memorat, se mandatum accepisse, ut victoriam adversus Amalec (2) et canticum: *Audite coeli* etc. (3) scriberet. *David*, vir secundum cor Dei, Spiritum Domini per os suum locutum esse dicit (4). *Salomon, amabilis Domino* nuncupatus *eoquod diligeret eum Dominus* (5), miram sapientiam, quam in scriptis suis manifestavit, a Deo petiit et obtinuit (6). *Prophetae*, miraculis et vaticiniis clari, passim dicunt: *Haec dicit Dominus* etc. *Factus est sermo Domini ad me* etc. ut Is. V, Ier. XIII et XIV, Ezech. VI, Amos II, Ose. III, Abdias 1. Imo prophetae Isaias VIII, 1, Ieremias XXX, 2, Ezechiel XXIV, 2, Habacuc II, 2 *partes*, et Daniel XII, 4 *totum librum* se iussu divino scripsisse innuerunt. Ex his aliisque rationibus orta est maxima Iudaeorum aestimatio erga libros sacros, quos etiam quoad verba et apices a Deo dictatos fuisse censuerunt, uti testantur *Aristaeus* (7), *Philo* (8), *Ios. Flavius* (9). — — Christus, novae Revelationis et auctor et praeco, Iudaeorum de S. Scripturae divinitate persuasionem non solum non reprehendit, sed et confirmavit: ait enim (10): *Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat coelum et terra iota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum.* Simili modo (11) testatus est, *Scripturam solvi non posse*, quibus verbis haud obscure innuit, S. Scripturam ut divinam habendam esse, utpote quae mutari non possit. Christus praeterea ad divinam suam missionem probandam saepe ad S. Scripturam V. T. uti firmissimum argumentum provocat. Sic (12) ad Iudaeos ait: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis, in illis vitam aeternam habere: et illae sunt quae testimonium perhibent de me.* Christus etiam coram discipulis suis ad effata S. Scripturae, uti ad eloquia Dei, quae fallere non possunt, provocavit; ait enim: *Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos,*

(1) Num. 12, 8. (2) Ex. 17, 14.
(3) Deut. 31, 19. (4) II Reg. 23, 2.
(5) II Reg. 12, 25.
(6) III Reg. 5, 9-13. I Paral 22.
(7) Ap. Ios. Flav. l. 12, antiq.
(8) L. 2 de vita Moysis.
(9) C. 1 contra Appionem.
(10) Matth. 5, 17 etc.
(11) Io. 10, 35. (12) Io. 5, 39.

cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas; et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die (1). — Apostoli et discipuli ad exemplum magistri non tantum ad V. T. frequenter provocant, sed divinam s. librorum V. T. inspirationem haud obscure adstruunt. Sic Lucas Zachariam, Ioannis Baptistae patrem, inducit laudantem Deum, qui *locutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum eius* (2). Idem, referens ex libris Moysis legem purgationis post partum, inquit: *Sicut scriptum est in lege Domini* (3); nominat ergo Pentateuchum legem Domini, seu legem, quam ipse Dominus, et non Moyses spiritu suo tulit. - Paulus, enumerans Iudaeorum praerogativas, hanc primam ponit, *quia credita sunt illis eloquia Dei* (4); libros ergo sacros, quos Iudaei summa solertia custodiebant, et de quibus maxime gloriabantur, vocat eloquia Dei, i. e. scripta divina, Dei assistentia exarata. Timotheo, commendans sacras litteras ab infantia ipsi notas, ait: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum* etc. (5). Ac ad Hebraeos scribit: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis* (6). Petrus demum dicit: *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (7). Exinde apparet, in sacris N. T. libris pro divina S. Scripturae V. T. inspiratione satis clara testimonia contineri, quae firmissimum argumentum praebent.

2. Scriptores s. librorum N. T. inspiratos fuisse, per promissionem a Christo Apostolis suis factas probari solet. Christus enim suam et Spiritus S. assistentiam Apostolis docentibus promisit. Dato enim gravissimo Evangelii praedicandi praecepto, magnificam statim adiecit promissionem: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (8). Eodem modo Spiritus S. assistentiam illis pollicitus est dicens: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum; Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit* (9); et iterum: *Paraclitus Spiritus S., quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis* (10); ac demum: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; — — Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* (11). Magnificae istae Christi promissiones solemni modo verificatae sunt in die Pentecostes quo Spiritus S. se ita Apostolis communicavit, ut de his legatur: *Repleti sunt omnes Spiritu S., et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis* (12). Repletos autem fuisse Apostolos non transeunter, sed permanenter, manifeste apparet, si Spiritus S. missio conferatur cum promissionibus Christi (13), iuxta quas mittitur Spiritus S., *ut maneat* cum Apostolis *in ae-*

(1) Luc. 24, 44 etc. (2) Luc. 1, 70.
(3) Luc. 2, 23. (4) Rom. 3, 2.
(5) II Tim. 3, 16. (6) Hebr. 1, 1.
(7) II Petr. 1, 20 etc. (8) Matth. 28, 20.
(9) Io. 14, 16 etc. (10) Io. 14, 26.
(11) Io. 16, 12 etc. (12) Act. 2, 4.
(13) Io. 14.

ternum. Apostoli ergo in docendo perenni Spiritus S. assistentia gavisi sunt: cum autem vel verbis, vel scriptis doctrina proferri possit, et institutio scripta, quae semper manet, maioris sit momenti quam institutio ore solum prolata, dubitari omnino nequit, Apostolos etiam in scribendo assistentiam Spiritus Sancti habuisse. — Hanc vero assistentiam talem esse, ut Apostolorum scripta a Spiritu S. veluti dictata censeri queant, haud obscure colligitur ex dicto Christi: *Cum tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* (1). Si Apostolis, ad iudices praeteritura verba facturis, adflatu divino prospectum est, ne inepta loquerentur, quanto magis mansura ad omnem posteritatem scripta edituris, ne humano generi gravissimorum errorum auctores existerent? nempe quantum in illo genere momentum habebat periculi praesentia, tantum in hoc habuisse gravitas censenda est. – Ideo scriptores sacri, promisso hoc Spiritus S. auxilio freti, institutiones suas uti effata divina proponere non dubitarunt. Sic Paulus (2): *Nobis*, ait, *revelavit Deus per Spiritum suum;* et (3): *Nos non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis, quae et loquimur non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes*. Idem scribit (4): *Notum vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Iesu Christi*. Ac tandem (5): *Cum accepissetis*, inquit, *a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis*. Paulus ergo testatur, se nomine Dei seu per inspirationem divinam docere.

Nota. Argumenta haec rite ponderanti conspicuum erit facilius firmiusque s. librorum veteris, quam novi testamenti inspirationem ex S. Scriptura probari posse. Licet enim, quae ex V. T. citata fuere nullatenus sufficiant ad omnium V. T. librorum inspirationem probandam, cum id potius solummodo quoad nonnullorum partes praestent, nihilominus auctoritas Christi et Apostolorum, qui circa doctrinam revelatam errare, aut falsam fidei regulam statuere non possunt, solidum pro S. Scripturae V. T. divinitate argumentum praebet. — Quoad N. T. equidem promissiones Christi citatae invicte probant, Apostolos, doctrinam revelatam sive oretenus, sive scriptotenus proponentes, divinam assistentiam habuisse, ita ut quoad dogmata fidei, et morum ab omni erroris periculo immunes fuerint. Sed ad id sufficit directio divina, quae loquentibus, vel scribentibus invigilat, et non requiritur inspiratio in sensu stricto, quae ad omnia in libro scripta extenditur. — Imo cum Christus, suam et Spiritus S. assistentiam promittens, omnes Apostolos simul congregatos, seu totum collegium apostolicum allocutus sit; ideo ex sola S. Scriptura certo determinari non potest, an assistentia promissa sit generalis, ita ut totum collegium aberrare non possit, vel an sit singularis, ita ut quilibet singillatim dono infallibilitatis praeditus sit. — Magna quoque difficul-

(1) Matth. 10, 19 etc. Cf. Luc. 12, 11 etc. Io. 15, 27.

(2) I Cor. 2, v. 10. (3) V. 12 etc.
(4) Gal. 1, 11 etc. (5) I Thess. 2, 13

tas oritur circa Marcum, Lucam et Paulum, qui coetui Apostolorum non leguntur interfuisse, dum magnificae ipsis promissiones factae sunt, vel dum in die Pentecostes Spiritum S. acceperunt. Adductum ergo argumentum biblicum nullatenus valet ad istorum inspirationem probandam. Quod si dicatur, Marcum et Lucam aequalia cum Apostolis dona et privilegia accepisse, vel ipsorum Evangelia dictantibus, aut assistentibus, vel saltem approbantibus Apostolis conscripta esse, neutrum ex Scriptura probari potest. — Quae ex Paulo citantur, tenore verborum de praedicatione et non de scriptis ipsius dicta sunt, et doctrinam revelatam non reliqua, e. g. epistolam ad Philemonem, afficiunt. Clare exinde patet, s. librorum N. T. inspirationem omni ex parte per solam S. Scripturam probari haud posse: sed ad id argumentum ecclesiasticum requiritur et sufficit (1).

§. 176.

B. Argumentum Ecclesiasticum.

Apostoli, Spiritu S. repleti, certe cognoverunt, quinam libri vere divinitus inspirati sint. Cum autem talem cognitionem certam in omni tempore bonum religionis exposcat, ne fideles vel scripta divina repudient, vel scriptis spuriis seducantur, absque dubio Apostoli, ne officio suo deessent, fidelibus in genere, ac praecipue illis, quos Ecclesiarum praesules constituebant, clare manifestarunt, quosnam libros ceu divinitus inspiratos venerari oporteat. — Quoniam autem in scriptis apostolicis id determinatum nullatenus legitur, omnino dicendum est, Apostolos hoc oretenus praestitisse, quod et ipsa historia confirmat. Nam consensus Ecclesiarum publicus et universalis circa s. librorum inspirationem non aliunde repeti potest, nisi ex unanimi institutione ab Apostolis accepta. — Consensus autem Ecclesiae publicus et universalis circa s. librorum inspirationem probari potest tum *ex Ecclesiae praxi*, tum *ex testimoniis SS. Patrum*, tum *ex definitionibus conciliorum*.

1. S. libros ut divinitus inspiratos habitos fuisse, probat ipsa summa veneratio, quam Ecclesia illis omni tempore exhibuit. Ipsis enim iam in primis saeculis usa est ad fidelium institutionem; quare in publicis christianorum coetibus magna cum pietate et praelegebantur et explicabantur. Ad haereticorum quoque confutationem Ecclesia semper ad s. libros provocavit, et per istorum effata illorum errores confudit. Ecclesia demum semper cum maxima solertia invigilavit, ne Scriptura sacra ullo modo corrumpatur, omnemque eiusdem vel interpolationem vel mutilationem ut gravissimam iniuriam in Spiritum S. damnavit, uti solide probatur ab iis, qui fusius de s. Bibliorum authentia et integritate tractant.

2. *SS. Patres* unanimi et perpetuo consensu affirmant, totam Scripturam, sine discrimine inter substantialia et accidentalia, non tantum religionem revelatam continere, sed sub inspiratione divina scriptam esse. Sic *Clemens Rom.* (2) ait: « Scripturas diligenter inspicite, quae sunt Spiritus S. oracula: scitote quia nil iniusti, nil falsi aut simulati in illis scriptum est. » — *S. Iustinus M.* (3) dicit, scriptores sacros ad conscribenda sua volumina nihil aliud necesse habuisse, nisi... « puros seipsos divini Spiritus operationi prae-

(1) V. Dobmayr t. IV, append. §. 21 — §. 24. Perrone t. 9, p. II, cap. II, prop. II.

(2) Epist. I ad Corinth. c. 45.
(3) Admonit. ad Gent. n. 8.

here;» et (1) aperte profitetur, contradictionem in S. Scriptura inveniri nullatenus posse, et sacros libros non intelligere eum, qui putat sibi repugnantia in illis contineri. — *Clemens Alex.* docet, « tum veteris, tum novi testamenti scriptores, tum quae a Deo didicerant, tum quae vel ex se ipsis noverant, vel omnibus comperta erant, divino afflante Spiritu scripsisse (2). — *Tertullianus* sive Catholicus, sive Montanista constanter credidit et docuit, libros tum V., tum N. Testamenti esse verbum Dei, et omnem Scripturam aedificationem habilem, divinitus inspirari (3). » *S. Irenaeus* scripsit: « Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictatae (4). » *Origenes* (5) haec habet: « Ipsae divinae Scripturae sunt Dei Spiritu inspiratae..... iique sermones non prolati humanitus, sed Dei sunt sermones. » — *Theophilus Antiochenus* (6) sacri scriptores nominat « Dei homines, et a Deo inspiratos... ut essent organa Dei », etc. — *S. Cyprianus* pluribus in locis S. Scripturam Spiritus s. dictatum appellat, atque ideo eandem « divinam » dicit (7). — *S. Athanasius* (8) ait: « Omnis nostra Scriptura cum vetus, tum nova divinitus inspirata, utilisque est ad doctrinam. » — *S. Hilarius* (9) de s. Scripturis asserit, « quidquid in eis continetur, excelsum, divinum, rationabile et perfectum est. » — *S. Basilius* aperte confitetur « Scripturam divinitus inspiratam dici, eo quod afflatu Spiritus S. scripta sit (10) ». — *S. Gregorius Nyssenus* (11) inquit: « Quaecunque S. Scriptura dicit, Spiritus S. sunt voces, sive effata. » — *S. Ambrosius* de s. scriptoribus ait: « Non secundum artem scripserunt, sed secundum gratiam, quae supra omnem artem est. Scripserunt enim, quae Spiritus S. iis loqui dabat (12). » — *S. Chrysostomus* de S. Scriptura loquens, ait: « Nihil hic scriptum est, quod non multas habeat sensuum divitias, quandoquidem divino Spiritu afflati Prophetae locuti sunt; neque vel syllaba vel apiculus est in s. litteris, in cuius profundo non sit magnus thesaurus (13) ». — *S. Hieronymus* « omnes Scripturae sanctae libros a Spiritu S. conscriptos et editos esse » dicit (14). — *S. Augustinus* (15) profitetur, « se nullius hominis libris tantum deferre, quantum divinis litteris, non ob veritatem, quae par est in utrisque, sed ob verba phrasinque dictantis, qui est Spiritus S. » — *S. Gregorius M.* (16) dicit: « Quid est Scriptura sacra nisi quaedam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? » — et (17) cum dixisset, Spiritum S. huius libri auctorem esse, memoratu digna verba adiungit; « Ipse haec scripsit, qui scribenda dictavit. » — Sic ergo SS. Patres in agnoscenda s. librorum divina inspiratione consentiunt, licet circa inspirationis gradum seu modum dissentire videantur.

3. In concilio Carthaginensi III cap. 47 dicitur: *Placuit, ut praeter scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum:* nominatis dein libris canonicis, ratio additur, cur scripta

(1) Dial. c. Triph. n. 65.
(2) Cohort. ad Gent. n. 9.
(3) De hab. Mul. cap. 3.
(4) L. 2 adv. haer. c. 28, n. 2. Cf. l. 4, c. 20, et l. 3, c. 20.
(5) Lib. 4 de princ. c. 1, n. 1.
(6) L. 2 ad Autolycum.
(7) L. de op. et elem.
(8) In Epist. ad Marcellinum.
(9) Tract. in Ps. 135.
(10) L. de Spir. S. cap. 21.
(11) Orat. 6 cont. Eunom.
(12) Epist. 8, n. 1.
(13) Hom. 21 in Gen. Cf. Hom. 22.
(14) L. 2, c. 7 Mich.
(15) Epist. 14.
(16) Lib. 4 epist. 31.
(17) In Praefat. ad lib. Iob.

ista in maximo honore sint habenda, *quia a Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda*. Decreta vero huius concilii confirmata fuerunt in pluribus conciliis particularibus, et in synodo VI gen. in Trullo celebrata. Eadem Ecclesiae circa libros divinitus inspiratos consensio colligitur ex concilio Romano I anno 494 sub Gelasio I habito. In decreto *Eugenii IV* pro Armenis dicitur: *Unum atque eundem Deum veteris et novi testamenti, hoc est, legis, prophetarum, atque Evangelii profitemur auctorem; quoniam eodem Spiritu inspirante utriusque testamenti Sancti locuti sunt: quorum libros suscipit et veneratur Ecclesia*. Eodem modo concilium *Tridentinum* declaravit, *se scripturas et traditiones . . . pari reverentia suscipere, et iuxta exemplum orthodoxorum Patrum sub anathemate definire, libros sacros integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis habendos esse* (1).

Nota 1. Consensus Ecclesiarum publicus et universalis circa divinam s. librorum inspirationem maximam venerationem meretur ob eius *antiquitatem*, qua Apostolis coaevus est, ob *consensionem*, qua sibi ubique concors est, ob *durationem*, quae ab origine Ecclesiae ad nostram usque aetatem pervenit. Primorum enim saeculorum praesules ecclesiastici et Patres, doctrina ac sanctitate conspicui, absque dubio recte cognoverunt, quos libros Apostoli ut divinitus inspiratos declararunt, et certe in re tanti momenti mendacia ad posteros transmittere noluerunt, imo nec potuerunt, quin dissensiones et luctae inter Ecclesias christianas excitarentur. Quamvis igitur hic ad promissam Ecclesiae infallibilitatem, quae nondum probata est, sed inferius demonstrabitur, appellari non possit; consensus tamen Ecclesiarum et SS. Patrum et Conciliorum parit certitudinem moralem summam, et omnem fidem meretur.

Nota 2. Divina s. librorum inspiratio tum antiquioribus, tum recentioribus temporibus vario modo impugnata fuit. Sed haud difficile est, motas contra illam difficultates solvere.

Obi. 1. Idea inspirationis supernaturalis orta est apud populos incultos, qui omnia, quorum rationem sufficientem pro sua ruditate sibi explicare non poterant, immediatae causalitati divini Numinis adscripserunt. Ideo vix ulla religio fuit, quae libros sacros, seu divinitus inspiratos non iactaverit. Hanc eandem opinionem primum Hebraei, dein Christiani habuerunt, de quorum libris idcirco non aliud iudicium ferri potest, quam de reliquorum populorum hagiographis scriptis, quae, fatentibus omnibus, spuria sunt.

Resp. Antiquissima et universalis de libris divinitus inspiratis persuasio clare commonstrat, rationem inspirationis possibilitatem agnoscere. Cum autem vix intelligi possit, quomodo homines, praecipue rudes, ad ideam inspirationis actu existentis per solam rationem pervenerint, populorum hac in re consensio ex facto, cunctis aliquo modo noto, desumenda est. Et sane - historia testatur, sicut revelationem, ita etiam inspirationem, vere divinitus factam, antiquissimam esse. Omnes enim libros sacros, de quibus gentes gloriantur, Pentatheucus antiquitate praestat. Iure ergo asseritur, multos populos, quibus ex commercio cum Hebraeis divina librorum Moysis auctoritas innotuit, pro sua quoque religione libros sacros aemulanter affectasse. Si autem libri spurii

(1) Sess. IV.

dantur, de quibus iam falsa doctrina, quam continent, ostendit, ipsos divinos haud esse, non ideo idem iudicium de libris ferre licet, quorum divina auctoritas criteriis internis et externis probatur.

Obi. 2. Ipsi s. scriptores testantur, se facta, quae narrant, non a Spiritu S. sed aliunde vel per se, ut I Io. I, 1, vel per alios, ut Luc. I, 2 agnovisse. Fatentur quoque, se laborasse, et in conscribendis libris sacris desudasse, ut II Machab. II, 27, quod, posita inspiratione, factum non esset.

Resp. Admittendum omnino est, revelationem, quae est manifestatio rerum incognitarum, sacris scriptoribus necessariam non fuisse quantum ad facta, aut dicta, quae aliunde comperta habuerant; negandum tamen non est, edoctos ipsos fuisse revelatione coelesti, quibus potissimum cum adiunctis oporteret ea exprimere, quae noverant: confitendum est praeterea, excitatos eos fuisse ad scribendum, et munitos directione, vel assistentia divina peculiari, qua fieret, ne in errores prolaberentur, aut scriptura humana pro oraculis divinis obtruderetur hominibus. — Haec autem praesentia, seu directio divina scriptoris conatum, industriam, meditationem (idem dicendum de stilo) non tollit, aut excludit, sed solum impedit, ne falsa sint quae scribuntur, efficitque, ut sint auctoritatis divinae et infallibilis.

Obi. 3. In sacris litteris nonnulla haesitanter proponuntur; sic e. g. dicitur: *Si forte audiant et quiescant* (1): *Circa horam nonam exclamavit* (2); *Erat quasi annorum triginta* (3). Talis autem ambiguus loquendi modus Deo, qui omnia certissime cognoscit, adscribi nequit. Imo s. scriptores eadem facta enarrantes, hinc inde inter se non conveniunt, sed sibi invicem contradicunt: Deus autem sibi contradicere nequit.

Resp. Phrases, quae ambiguitatem praeferre videntur, loquendi modi sunt hominum idiomati familiares, et si hincinde in Scripturis sacris occurrunt, Dei, ut nos erudiat, nostri idiomatis infirmitati suas sententias accommodantis erga homines benevolentiam ostendunt. Ceterum, — quae dubitanter proposita sunt, tales res concernunt, quarum accuratior cognitio nobis neque necessaria, neque utilis est, atque ideo Deus reprehendi nullo modo potest, si tales res tam stricte determinare noluit, prout illas determinare potuisset. — — Contradictiones autem inter scriptores sacros non sunt nisi apparentes, quod solidissime iam ostenderunt, qui exponendis sacris libris ex professo operam navarunt. Plurimos equidem conatus religionis christianae adversarii iam adhibuerunt et adhuc adhibent, ut in libris sacris loca sibi repugnantia invenirent, sed nunquam apertam contradictionem evincere potuerunt: incautos quidem et indoctos deceperunt, ast homines vere eruditos, ac a praeiudiciis et passionibus liberos a recta fide avertere haud valuerunt. Iure igitur cuilibet, repugnantias in s. libris suspicanti cum S. Augustino dicimus: « Ibi (i. e. in s. scripturis) si quid velut absurdum moverit, non licet dicere: auctor huius libri non tenuit veritatem; sed aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis (4). »

Obi. 4. In s. libris hincinde talia minuta adiuncta referuntur, quae inspiratione divina indigna censentur, velut de catello Tobiae (5), de penula Pauli (6). Huc referri pos-

(1) Ezech. 3, 11. (2) Matth. 27, 46. (3) Luc. 3, 23. (4) L. II c. Faust., c. V. (5) Tob. 11, 9. (6) II Tim. 4, 13.

sunt salutationes epistolis paulinis appositae, totaque epistola ad Philemonem. — Multo magis inspirationi divinae repugnant alia, quae frequenter in scripturis occurrunt, e. g. sermones hominum impiorum, mendacia, blasphemiae, calumniae, quae verbum Dei esse non possunt.

Resp. Minima quaeque in Scriptura, ait *S. Hieronymus* (1) sunt Deo tribuenda: eiusdem Dei parva sunt, cuius et magna, neque alius est vermium, alios Angelorum conditor. Quae nobis videntur vilia, utilitate non carent: vel enim rem pingunt vividius, et nativam quandam sermoni aspergunt simplicitatem; vel iuvant ad morum institutionem, cum mutuam fidelium caritatem nobis exhibeant, et Apostoli exemplo paupertatem et s. litterarum studium commendent in eodem ministerio laborantibus. — Ubi sermones impii et similia proponuntur, s. scriptores non ex propria sententia loquuntur, sed historicorum more ea, quae contigerunt, referunt, in quibus veritas relationis a veritate et bonitate dicti vel facti secerni debet. — Imprecationes et maledicta proprie sumta, quae hincinde praecipue in Psalmis et Profetis leguntur, sunt vel admonitiones et increpationes vehementiores ex zelo et caritate ad malorum emendationem prolatae, quales etiam in Evangeliis reperiuntur, vel sunt impendentium malorum praedictiones; Hebraeis enim familiare erat, ut imperativo vel optativo modo uterentur pro futuro tempore et vicissim. — Idem ad propositam difficultatem reposuerunt SS. Patres, ut *S. Hieronymus* (2), *S. Augustinus* (3), *S. Basilius* (4), *S. Gregorius M.* (5). Difficultates, quae contra argumentum ecclesiasticum seu contra Ecclesiae auctoritatem, moventur, inferius solvuntur, dum de Ecclesiae iudicio agitur.

(1) In proëm. ad Philem.
(2) In Ps. 1. (3) In Ps. 48.

ARTICULUS III.

De S. Scripturae canone et versionibus.

§. 177.

I. De S. Scripturae canone.

Canon idem est ac regula. Quando de Scripturis agitur, per canonem intelligitur collectio et catalogus librorum, qui tanquam sacri et divinitus inspirati habentur. — Dicitur canon, tum quia sacri codices fidei morumque regula sunt, tum quia eiusmodi codex auctoritate legitima confectus fidelibus tanquam regula dabatur, qua libros sacros ab aliis secernere poterant. Idcirco libri, in catalogum divinorum scriptorum relati, *canonici* appellantur, et in *proto-canonicos* ac *deutero-canonicos* dividuntur (6), a quibus secernendi sunt libri *ecclesiastici*, qui auctoritate ecclesiae, etsi divini non essent, praelegi tamen in publicis fidelium coetibus poterant, et *apocryphi*, quales primum erant libri occultam sapientiam continentes, postea autem tales, qui vel ob dubiam authentiam, vel ob argumentum ab usibus publicis arcebantur. Operae iam pretium est ut aliqua de canone tum *Iudaeorum*, tum *Catholicorum*, tum *Acatholicorum* dicantur.

1. Non constat, qualis ante captivitatem babylonicam canon Iudaeorum fuerit. Certum est, libros quinque Moysis, ad latus arcae reconditos, ceu sacros et divinos habitos fuisse, quod tum ex Deut., Iosue et I Reg., tum ex consensu Samaritanorum colligitur. Pentatheuco alios libros historicos, propheticos et morales accessisse, ex Ecclesiaste XII, 9, aliisque monumentis patet. Inter istos quoque libros multi vel ob au-

(4) In Ps. 27. (5) Lib. 14 Moral
(6) § 170 n. 4.

ctores-prophetas, aliosve praeclaros viros, vel ob argumentum pium, grave, theocraticum in maxima auctoritate apud Iudaeos fuerunt. Neque dubitari potest, Iudaeos ex constanti Synagogae traditione edoctos fuisse, quinam inter illos libros, qui post Pentatheucum conscripti fuerunt, ut divini habendi essent. — Statim post captivitatem babylonicam sacros libros collectos et in indice aliquo conscriptos fuisse, constans fert Iudaeorum et Christianorum consensio. Communis quoque sententia est, Esdram huius collectionis auctorem fuisse, quod testimonio Ios. Flavii (1) confirmatur. Ita tamen in hoc magno et difficili opere Esdram versatum fuisse credimus, ut omnia iussu et auctoritate magnae synagogae facta fuerint, quae conquirendorum et instaurandorum librorum sacrorum provinciam Esdrae demandaverat, et peracto labore expensum opus comprobavit, et publico usui consecravit (2). Teste Iosepho Esdras Scripturam in viginti duo volumina distinxit. Quinam autem hi viginti duo libri fuerint, accurate definiri non potest. Iosephus summatim tantum libros enumerat, scilicet 5 libros Moysis, 13 Prophetas, et 4 libros morale. Communior sententia huic canoni eosdem libros tribuit, quos protocanonicos antiqui foederis vocamus, in nostris hodiedum bibliis hebraicis contentos: pro hac sententia stant praeter versiones LXX interpr. Aquilae, Theodotionis ac Symmachi, etiam Origenes, Hieronymus et Melito Sardensis saeculi II scriptor (qui tamen librum Esther omisit). — Praeter hosce libros alios, nimirum deuterocanonicos, extitisse, indubium est; sed istos Iudaei, in Palaestina degentes et canoni ab Esdra confecto stricte adhaerentes, in canonem non retulerunt; Iudaeos autem Hellenistas atque Alexandrinos, qui per totum late Orientem diffusi erant, omnes illos V. T. libros, quos Catholici admittunt, sine discrimine pro canonicis habuisse, iam plures eruditi asseruerunt, et solidis argumentis probavit doctissimus Turneminius (3).

2. Canon Catholicorum clare proponitur a Concilio *Tridentino*, quod septuaginta tres libros enumerat, hosque omnes ut canonicos habendos esse decernit Sess. IV, quin inter protocanonicos et deuterocanonicos discrimen instituatur. Concilium autem tridentinum in canone texendo nonnisi perpetuam et communem Ecclesiarum consensionem secutum esse, facile probari potest. Nam a) Concilium *Carthaginense* III, anno 397 a 44 Episcopis congregatum, in canonem suum eosdem libros retulit, quos canon tridentinus habet, addita ratione: *A Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.* b) Cum ex votis concilii Carthaginensis index ad occidentales Episcopos delatus esset, ut ab illis, praecipue a romano Pontifice confirmaretur, Innocentius I eum suo et sedis apostolicae, imo et totius occidentalis Ecclesiae nomine approbavit, uti constat ex eiusdem epistola ad Exuperium episcopum Tolosanum anno 405 data, ipseque similiter doctrinam hanc ex traditione se hausisse ait. c) Eundem librorum canonem recenset concilium *Romanum*, anno 494 sub Gelasio celebratum. d) S. Augustinus(4) positis ante regulis ad discernendas scripturas sacras, canonem subnectit, qui eosdem nec plures nec pauciores libros complectitur, quam in Concilio Tridentino numerati sunt. e) Quam generalis fuerit a primis

(1) L. I. c. Appion.
(2) V. Dan. Huet. Prop. IV, de can. lib. sacr.
(3) Cf. Waibl Dogmatik 7. Abhandl. I. Beil. n. II.
(4) L. 2 de doctr. christ. cap. 8.

saeculis Ecclesiarum consensus circa libros non solum protocanonicos, sed etiam deuterocanonicos, probatus ex antiqua versione itala, quae Apostolorum fere temporibus confecta creditur et a latinis Ecclesiis universaliter fuit usurpata: in illa versione omnes libri deuterocanonici inter divinas scripturas numerantur. f) Magnum his argumentis pondus accedit ex consensu Ecclesiarum orientalium, quae omnes eundem, ac Concilium tridentinum Scripturarum canonem admittunt, quamvis inter eas reperiantur, quae a quinto iam saeculo ab Ecclesia catholica scissae sunt, quales sunt Nestorianorum, Iacobitarum, vel Eutychianorum sectae. In Concilio quod anno 692 Constantinopoli in Trullo habitum est, et cui quatuor Patriarchae cum plusquam 200 Episcopis adfuerunt, in numerum canonum orientalis Ecclesiae recepti quoque sunt canones Conciliorum Carthaginensium, inter quos et ille continetur, quem superius citavimus. Quod autem Ecclesia orientalis in hac doctrina constanter perseverarit, patet ex illa responsione, quam Synodus Hierosolymitana, anno 1672 sub Dositheo Patriarcha celebrata, Protestantibus dedit, qui Graecos ad partes suas trahere tentarunt: numeratis libris iisdem, quos in Tridentini decreto legimus, addit Synodus: *Hos omnes iudicamus esse canonicos, et sacram Scripturam confitemur, quoniam eos tradidit antiqua consuetudo, seu magis Ecclesia catholica.* Concilium ergo Tridentinum nihil innovavit, sed solum quoad libros divinitus inspiratos solemniter declaravit, quod perpetuo tenuit Ecclesiarum fides: haec autem constans Ecclesiarum consensio nonnisi ex institutione Apostolorum repeti potest.

(1) De praescr. c. 17.
(2) L. 1 adv. haer. c. 20.

3. Qui ab Ecclesia recesserunt, ipsiusque iudicio acquiescere detrectarunt, plerumque etiam plures vel pauciores s. Scripturae libros reiecerunt, praecipue quos falsae doctrinae suae minus favere senserunt. De tali haereticorum temeritate iam lamentati sunt antiqui Ecclesiae Patres, ut Tertullianus (1), Irenaeus (2), Cyprianus (3), Basilius (4), Augustinus (5). Eodem fere modo processerunt Protestantes. — Lutherani enim ab initio reiecerunt ex sacrorum Bibliorum censu libros omnes tum V. tum N. T., quos deuterocanonicos vocamus. Calviniani repulerunt pariter libros omnes deuterocanonicos V. T., cum tamen libros deuterocanonicos N. T. retinerent. Successu temporis inter ipsos Lutheranos multi eruditi viri libros deuterocanonicos - saltem N. T. (sola Apocalypsi a nonnullis reiecta) in canonem divinorum librorum retulerunt. Recentioribus autem temporibus nonnulli cum Odero et Semlero, libros etiam protocanonicos aut reiiciunt, aut in dubium vocant, potissimum historicos, quos ad ordinem salutis haud pertinere censent (6).

Nota 1. Libri deuterocanonici ideo tantum per aliquod tempus in Ecclesia christiana non universaliter ut divini habiti sunt, quia non omnibus satis constabat de Apostolorum traditione, qua post pacem Ecclesiae redditam melius cognita, ubique ut divini habiti sunt. Errant autem Protestantes, et graviter errant, dum clamitant libris deuterocanonicis in primaeva Ecclesia universaliter divinam auctoritatem abiudicatam fuisse. Constat potius, iam prioribus Ecclesiae saeculis libros deuterocanonicos a multis ut divinos habitos et citatos fuisse. Nam in E-

(3) L. de unit. Eccl.
(4) In Hexaem. hom. 5, n. 5.
(5) L. contr. Adimant. c. 13.
(6) Cmayr l. c. §. 54.

pistola I. *S. Clementis Rom.* ad Corinthios, ut observant Cotelerius et uterque Blanchinius, proferuntur testimonia ex omnibus pene V. et N. T. libris, non solum protocanonicis, verum etiam ex iis, quos deuterocanonicos nuncupamus, nempe ex libris Iudith, Sapientiae, Ecclesiastici, II Machabaeorum; item ex Epistola ad Hebraeos, ex II Petri, et ex Epistola Iacobi. *S. Barnabas* in sua Epistola cap. VI, affert textum ex Sap. II, 12; et ibid. ac cap. XIX citat Ecclesiasticum. *Clemens Alex.* allegat ter librum Tobiae, bis librum Iudith, vicies et semel Sapientiam Salomonis, Ecclesiasticum plusquam quinquagies, quater librum Baruch. *S. Irenaeus* l. 4, c. 36 profert testimonium ex Sap. VI, 19 etc., l. 5. c. 35 citat sub nomine Ieremiae Baruch IV, 36, et lib. 4, c. 36 Danieli auctori tribuit, quae leguntur Dan. XIII de historia Susannae, eidemque Prophetae refert historiam Beli et draconis, quae habetur Dan. c. XIV. Utramque historiam Danieli vindicat *Origenes* in celebri ad Africanum Epist. n. 4, et n. 13 testatur Ecclesias libro Tobiae uti: profert demum auctoritates ad veritates fidei constabiliendas ex libris Machabaeorum (1), ex libro Sapientiae (2) et ex Ecclesiastico (3): libros deuterocanonicos N. Testamenti *Origenes* omnes in suo catalogo adducit (4). — Concilium quidem *Laodicenum* anno 372 habitum solos recensuit libros canonicos, qui continebantur in canone Hebraeorum omnium consensu recepto, adiecto tamen libro Baruch, quia de reliquis maluit silere, donec ab Ecclesia universali aliquid decerneretur; sed quoad libros N. T. omnes recenset praeter Apocalypsin. S. Athanasius (5) omnes nostros N. T. libros ut divinos agnoscit, et ex libris deuterocanonicis V. T. non solum adducit testimonia ad ea, quae fidei sunt, adserenda, sed ea praeterea utitur formula apud veteres usitata ad Scripturas divinas significandas, scilicet: *sicut scriptum est:* hac enim phrasi utitur in Ep. 3 ad Serap. n. 4, allegans verba Sap. I, 7, et in Apolog. ad Imp. Constant. n. 17 adducens verba Tobiae IV, 19; insuper afferens ex epistola S. Alexandri ad se scripta in Apol. contra Arianos n. 66 verba Eccli. XXXI, 4, scribit: « Ait quodam in loco sacra Scriptura: Mortuus est enim pater eius, quasi non esset mortuus. » *S. Cyrillus Hier.* passim ex libro Sapientiae, quem etiam Salomonis vocat (6), tum ex Ecclesiastico (7), ex Baruch, quem prophetam dicit (8), atque ex postremis Danielis capitibus testimonia tanquam ex Scriptura divina depromit (9). Libros deuterocanonicos N. T. excepta Apocalypsi omnes approbat, « utpote qui sunt ab omnibus agniti et confessi, qui etiam in Ecclesia cum fiducia leguntur (10). » Subsequenti tempore, cum terminatis persecutionibus Ecclesiae liberius inter se communicarent, mox omnes libri tanquam divini habiti sunt, quos Ecclesia romana semper ut inspiratos coluit, et Conc. *Carthaginense III* in citato canone recensuit. Non ergo defuit traditio apostolica circa libros, quos deuterocanonicos vocamus, sed solum prioribus saeculis a nonnullis ignorata fuit. Ceterum istorum librorum vindicias passim susceperunt Theologi catholici, ex gr. *Melchior Canus* (11), *Bellarminus* (12), *Perrone* (13).

(1) Exhort. ad martyr. n. 22.
(2) C. Cels. l. 3, n. 60. (3) Ib. l. 4, n. 28.
(4) Hom. 7 in Ios. n. 1, et Hom. in Gen. n. 2.
(5) In Epist. fest.
(6) In Catech. 9, n. 2.
(7) Cat. 6, n. 4. (8) Cat. 14, 15.
(9) Cat. 16, n. 34. (10) Cat. 4, n. 33 etc.
(11) De loc. theol. lib. 2, cap. 9 etc.
(12) T. I Contr. lib. 1, c. 8 etc.
(13) De loc. theol. p. 2, c. 1, prop. 1.

Nota 2. Ex dictis patet, quale sit discrimen inter inspirationem et canonem. Inspiratio enim est actio divina quae scriptores afficit, eosque hagiographos, seu divina auctoritate pollentes reddit. Canon vero oritur ex actione, seu iudicio Ecclesiae quae declarat, quinam scriptores, et quinam eorum libri ut sacri et divini habendi sint, et istorum catalogum exhibet. Certum enim est talem catalogum in S. Bibliis frustra quaeri, et inspirationem quoad omnes scriptores et omnes libros ex sola s. Scriptura probari non posse. Quamobrem ut infallibiliter cognoscamus quot et quinam praecise scriptores ac libri a Deo inspirati fuerint, necesse est, ut id ab infallibili Ecclesiae magisterio determinetur. Ideo recentiores Theologi censent, primum Ecclesiae infallibilitatem probandam esse, ut deinde certo determinetur, quinam libri vere divinitus inspirati sint. Et certe negari nullatenus potest, infallibilitatem Ecclesiae solide probari posse, quin de sacrorum librorum inspiratione actum sit; nam libri sacri, ut P. II, sect. I probatum fuit, sunt genuini, integri et fide digni, ac ideo dubitari non potest de promissionibus assistentiae Christi et Spiritus Sancti, quae factae sunt Ecclesiae usque ad consummationem saeculi. — Sed his non obstantibus, naturalis ordo poscere videtur, ut primum Religionis christianae fontes assignentur, et postea modus declaretur, quo ex fontibus dogmata petenda sint. Praeterea probe attendendum est, praecipuam nobis luctam esse cum Protestantibus, qui secundum libros suos symbolicos inspirationem librorum sacrorum (saltem praecipuorum) ut certam admittunt: infallibilitatem autem Ecclesiae praefracte negant; imo et traditionem ut fontem christianae Religionis agnoscere recusant. Idcirco iuxta logicas regulas incipiendum est a veritatibus certis in quibus adversarii consentiunt, et dein procedendum est ad veritates, in quibus dissentiunt, probandas. Quamvis autem infallibilitas Ecclesiae solide ex sacris libris probetur, licet isti tantum ut opera fide digna considerentur; nemo negabit, argumentum biblicum in clarissima luce reponi, si iam probata sit sacrorum librorum inspiratio. Demum iuxta omnes firmum pro infallibilitate Ecclesiae argumentum petitur ex traditione: sed etiam hoc argumentum validius erit, si iam demonstratum fuerit, ex ipsa ordinatione Christi traditionem constituere fontem revelationis christianae. Sic clare patebit, Christum non per solam scripturam, sed etiam per traditionem ad nos loqui, et non solam Scripturam, sed praecipue magisterium ecclesiasticum esse os Christi nos erudientis, cui magnificae promissiones factae sunt. Sic via optime sternitur ad tractatum de Ecclesiae infallibilitate.

§. 178.

II. De S. Scripturae versionibus.

Cum Revelatio, quam Christus mundo attulit, non ut lex mosaica, pro uno tantum populo sed pro omnibus terrae gentibus, quae variis linguis utuntur, destinata fuerit; — s. Scriptura, ut ceu fons Revelationis omnibus pateret, in varias linguas vertenda erat. Plures idcirco s. Bibliorum versiones confectae sunt, de quibus fusius in studio biblico agitur. Pro usu autem Theologiae dogmaticae aliqua *de auctoritate versionis graecae 70 interpretum;* et *de auctoritate Vulgatae latinae* dicenda veniunt.

1. De tempore et modo, quo inclita versio 70 confecta fuerat, non satis convenit inter eruditos. Narra-

tus, Ptolomaeum Philadelphum, regem Aegypti ab Eleazaro impetrasse 72 viros, legis doctores, qui spatio 72 dierum mirabili consensione versionem absolverunt: id asserunt Aristaeus et Iosephus Flav. (1). Sed an singuli separatim in diversis cellulis, an bini et bini, an inter se conferentes interpretati sint, est incertum, aliis Patribus affirmantibus, aliis negantibus. Probabilius tamen est, omnes inter se contulisse, tum quia nec Iosephus nec Philo, historiam versionis describentes harum cellularum mentionem fecerunt, tum quia Aristaeus aperte asserit, 70 interpretes simul usque ad horam nonam conferendo versionem inter 72 dies absolvisse; unde *S. Hieronymus* (2) ait: « Nescio, quis primus auctor 70 cellulas Alexandriae mendacio suo exstruxerit, quibus divisi eadem scripserint. » — Quocunque vero tempore et modo haec versio confecta fuit, magna est ipsius in Ecclesia auctoritas, a) quia Christus et Apostoli ea usi fuerunt; b) quia utriusque Ecclesiae graecae et latinae iudicio et usu consecrata est; c) quia non sine Spiritus S. assistentia facta videtur; nam *S. Irenaeus* de hac versione dicit: « Per aspirationem Dei expositae sunt scripturae (3)»; et *S. Augustinus*: « Spiritus, ait, qui in prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipse erat in 70 viris, quando illa interpretati sunt (4); » d) demum quia Sixtus V illam authenticam declaravit: in suo enim diplomate praefixo versioni 70, quam publicam fecit iuxta exemplar, temporibus S. Hieronymi prius ac ideo a multis mendis liberum, ita loquitur: « Volumus et sancimus ad Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem, ut vetus Testamentum iuxta 70 recognitum et expositum ab omnibus recipiatur, non autem quomodocunque sed ut authentica versio . . . prohibentes, ne quis de hac nova graeca editione audeat in posterum vel addendo, vel minuendo, aliquid immutare. » — Magna quoque providentia divina ex hac versione elucet. Cum enim per Alexandrum M. imperium Graecorum maxime dilatatum fuerit, etiam linguae graecae notitia apud multos populos incrementa cepit. Ideo Apostoli, hisce populis Evangelium praedicantes, ad versionem V. T. graecam, quam legere et intelligere valuerunt, provocare potuerunt. Et haec versio tercentis, vel saltem ducentis annis ante Christum confecta, et Iudaeis Ethnicisque nota fuit, ne sacri V. T. libri a Christianis conficti aut interpolati dici possint (5).

2. Primis iam Ecclesiae saeculis, testibus *S. Augustino* (6) et *S. Hieronymo* (7), multae s. Bibliorum versiones latinae circumferebantur, inter quas eminuit una, a S. Augustino *itala*, a S. Hieronymo *communis*, seu vulgata, a S. Gregorio M. *vetus* appellata: haec ab incerto auctore iuxta exemplar 70 adornata fuit. Cum autem Christiani ex eo carperentur, quod nonnisi ex graeco compilatam V. T. versionem haberent, *S. Hieronymus* iussu Damasi Papae fere totum V. T. transtulit in latinum, exceptis nimirum libris *Baruch*, *Sapientiae*, *Ecclesiastici*, et *Machabaeorum;* libros *Iudith*, et *Tobiae* transtulit ex originali chaldaico, et duo posteriora capita Danielis, quae in textu hebraico non inveniebantur, desumsit ex versione Theodotionis. *Psalterium*, licet a S. Hieronymo versum, attamen retentum est iuxta antiquam

(1) l. 12 Ant. c. 2. (2) Praef. in Pentat.
(3) L. 3 adv. haer. c. 15.
(4) Lib. 18 de Civ. Dei, c. 43.
(5) V. Stolberg Gesch. d. Rel. I. 4. B. §. 47.
(6) Lib. II de doctr. christ. c. 11.
f. in Iosue.

versionem italam, quia iam a longo tempore illius usus invaluerat in Ecclesia. *Novum Testamentum* non vertit S. Hieronymus, sed antiquam italam versionem a mendis, quae vel per imprudentiam, vel per librariorum incuriam irrepserant, emendavit. — Sic enata est Vulgata nostra, quam Concilium Tridentinum ut authenticam declaravit; ait enim (1): *Sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat, vel praesumat.* Ex huius decreti verbis apparet, Concilium tridentinum nullatenus versionem latinam textui hebraeo vel graeco praeferre aut aequiparare, neque ut ad hunc recurrant Catholicis prohibere, sed solum ex latinis versionibus hanc, quae vulgata nuncupatur, ut authenticam declarasse. Neque Concilium tridentinum Vulgatam eo sensu authenticam declaravit, quod nulla omnino errata, seu menda in ea reperiantur, sed eo tantum sensu, quod in iis, quae sunt alicuius momenti, non discrepet a primario et vero divinae scripturae sensu, et quod corrupta non sit in capitibus, quae ad fidem, aut mores pertinent. Hunc esse decreti tridentini sensum docuit cel. Melchior Canus, qui ipse Concilio tridentino adfuit (2). Ceterum inter ipsos Protestantes nonnulli, ut Lutherus, Calvinus, Beza, Hugo Grotius, Michaëlis et alii vulgatam magni fecerunt et illam alii versionibus latinis praeferendam esse iudicarunt (3).

(1) Sess. IV, decr. 2.
(2) L. 13 in Conc. trid. c. 9.

(3) V. Dobmayr l. c. § 40. Waibl. Dogm. VII. Abh. I. Beil. n. XVIII.

ARTICULUS IV.

De S. Scripturae usu.

§. 179.

Non sufficit solam Scripturae theoriam tenere, sed oportet ea rite uti ad fines, ad quos singulari Dei beneficio data, et inde a sua origine semper apta fuit. Ut autem huiusce usus tum motivum, tum modus patescat, *de sacrae Scripturae praestantia et utilitate, de eiusdem multiplici sensu,* ac *de lectione illius* omnibus vel commendanda, vel limitanda disserendum est.

§. 180.

I. De S. Scripturae praestantia et utilitate.

S. Scripturam in se praestantissimam, nobisque utilissimam esse, facile cognoscemus, sive *eiusdem indolem* consideremus, sive *Patrum testimonia* audiamus.

1. Cum sacra Scriptura non solum doctrinam divinitus revelatam contineat, sed etiam inspirante Spiritu S. exarata sit, dubitari haud potest, ipsam tum ratione argumenti tum ratione originis praestantissimam esse. Et sane - S. Biblia doctrinas saluberrimas continent, quibus tum fides illustratur ac firmatur, tum mores corriguntur, et ad perfectionem diriguntur. Dei infinitae perfectiones, innumeraque beneficia egregie nobis ante oculos ponuntur, et sic ad Deum colendum, timendum et amandum excitamur. Optimus quoque Deum laudandi modus nobis in S. Bibliis, praecipue in Psalmis, exhibetur. Historiae quoque, quae tum de religione in genere, tum de integris populis, tum

de singulis hominibus in s. libris leguntur varia emolumenta praestant. Ostendunt enim nobis divinam providentiam, quae religioni revelatae invigilat, pios probat quidem, sed et adiuvat, protegit ac liberat, impios vero, licet eos aliquandiu patienter sustineat, iustis tandem suppliciis afficit. Iure igitur de tota s. Scriptura dicitur, quod legitur Ps. XVIII, 8 etc.: *Lex Domini immaculata convertens animas, — testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis; praeceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Paulus autem s. Bibliorum praestantiam et utilitatem commendat, dicens: *Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus* (1). Et iterum: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* (2).

2. Mirum proinde non est, SS. Patres emolumenta, quae ex lectione et meditatione s. Bibliorum redundant, maxime extulisse. Sic *S. Cyprianus* s. Scripturam vocat « vocem coelestem qua servi Dei corroborantur (3) » et « thesaurum indefectibilem, quo divina sapientia multiplex per multos distribuitur (4).» *Origenes* ait: « Nutrimentum spiritus est divina lectio, his alitur cibis, his convalescit, his victor efficitur (5). » *S. Hilarius* de scriptis hagiographis dicit: « Quidquid in eis est, excelsum divinum, rationabile, et perfectum est: ista nunc innocentis vitae institutionem afferunt, nunc scientiam Dei intimant, nunc originis naturaeque nostrae cognitionem tribuunt, nunc futurorum intelligentiam non spe tantum, sed ratione praestant (6). » *S. Basilius* inquit: « Omnis Scriptura divinitus inspirata hac una ratione a Spiritu S. conscripta adstruitur, ut ex ea, haud secus atque ex communi quapiam curandarum animarum officina, medelam suo quisque morbo salutarem et accommodam queat seligere: medicina enim scriptura sedabit magna delicta (7).» *S. Chrysostomus* exponens verba Apostoli: *Verbum Christi habitet in vobis abunde,* - assiduam s. Scripturarum lectionem commendans ait: « Parate vobis libros medicamenta animae. Si non alios vultis, novum quidem certe Testamentum vobis parate, Apostolorum actus, Evangelia magistros perpetuos; si dolor acciderit, tanquam in medicamentorum apothecam aspice etc. (8).» *S. Ambrosius* scribit: « Omnes aedificat scriptura divina; in ea invenit unusquisque, quo aut vulnera sua curet, aut merita confirmet (9). » *S. Hieronymus:* « Hoc solum, ait, habemus in praesenti saeculo bonum, si vescamur carne Christi, et cruore potemur non solum in mysterio, sed etiam in Scripturarum lectione. Verus enim cibus et potus, qui ex verbo Dei sumitur, scientia Scripturarum est (10). » *S. Augustinus* dicit: « De illa civitate, unde peregrinamur, litterae nobis venerunt; ipsae sunt Scripturae, quae nos hortantur, ut bene vivamus (11).» *S. Gregorius M.* inquit: « Studete, fratres carissimi, Dei verba meditari, nolite despicere verba nostri Conditoris, quae ad nos missa sunt. Multum valde est, quod per ea animus refricatur ad calorem, ne iniquitatis suae frigore torpescat (12). » *S. Io. Damascenus*

(1) Rom. 15, 4. (2) II Tim. 3, 16 etc.
(3) De lapsis. (4) Ep. 75.
(5) Hom. 9 in Lev. (6) In Ps. 135, n. 1 et 2.
(7) Praef. in Psalm.
(8) Hom. 6 in Ep. ad Col.
(9) In Ps. 48. (10) Comment. in Eccles.
(11) In Ps. 90, S. 2.
(12) Hom. 15 in Ezech.

scribit. Hoc afferunt Scripturae sanctae, ut ad bonas actiones et ad puram contemplationem nos componant: in eis namque cohortationem ad omnem virtutem et ab omni vitio dissuasionem invenire est (1). Similiter alii Patres et doctores magnificentissime de ss. Bibliis loquuntur, eorundemque usum commendant (2).

§. 181.

II. De S. Scripturae sensu.

1. Duplex s. Scripturae sensus, *litteralis* et *mysticus* a theologis secernitur. *Litteralis* est ille, quem verba sive proprie, sive metaphorice accepta immediate significant; *mysticus* est ille qui non verbis ipsis, sed rebus per verba significatis indicatur; et hic triplex distinguitur, nimirum *tropologicus*, seu moralis, qui est rei ad morum instructionem significatio per aliam rem Scripturae verbis immediate significatam; *allegoricus*, qui res, facta et dicta veteris testamenti ad Christum et ecclesiam refert; et *anagogicus*, qui ea, quae in hac vita geruntur aut dicuntur, refert ad futuram et aeternam vitam. Omnes isti sensus una cum litterali sequenti versiculo exprimi solent:

Littera gesta docet, quid credas *allegoria*, *moralis* quid agas, quo tendas *anagogia*.

2. Neque aliquid absurdi occurrit, dum varius in s. Scriptura sensus adstruitur. Duplex enim distinguendus est scripturarum auctor, homo scribens, et Deus inspirans; sensus igitur scripturae compositus est; Dei enim sensum continet et auctoris. Sensus scribentis non potest sensui divino contradicere; potest tamen sensus Dei inspirantis illi, quem auctor habuit, longe esse foecundior, sicque in s. litteris contineri sensus, quem scriptor sacer non cognovit, nec exprimere intendit. — Imo negare nullo modo licet in s. scriptura sensum mysticum contineri. Christus enim ipse et Apostoli interpretatione mystica usi sunt, huncque sensum adhibuere tanquam sensum a Spiritu S. intentum. Sic Christus cum Nicodemo de sua in cruce exaltatione loquens, eam per serpentem a Moyse erectum praefiguratam fuisse affirmat (3). Alibi resurrectionem suam in Iona propheta figuratam esse asserit (4). — Ioannes c. XIX in Christo impleta fuisse ait, quae (5) de agno paschali dicuntur: *Os non comminuetis ex eo*. In Apostolorum scriptis nil frequentius occurrit, quam eiusmodi mysticae explicationes. Sic e. gr. I Cor. IX, 9 in sensu tropologico seu morali explicantur verba Deut. XXV: *Non alligabis os bovi trituranti*. Imo Paulus quasi rationem huius mysticae explicationis reddit, cum de veteri Testamento loquens ait: *Omnia in figuris contingebant illis* (6). Neque dici potest, Christum et Apostolos accommodatitio solum modo alium scripturae sensum applicasse; nam verba scripturae in sensu mystico ad rem suam contra Iudaeos probandam citarunt, et Evangelistae passim dicunt: *Ut adimpleretur quod dictum est per prophetam* (7), vel *facta sunt haec, ut scriptura adimpleretur* (8). Ideo mysticum sensum, tanquam a Spiritu S. intentum, semper agnovit Ecclesia, illoque sat frequenter SS. Patres usi sunt. Egregie *S. Gregorius M.* dicit: « S. Scriptura est liber scriptus intus et foris (9). Est autem intus scriptus per allegoriam, foris per historiam; intus per

(1) De fid. orthod. c. 17.
(2) V. Schanza Mor. christ. t. I, §. 219.
(3) Io. 3. (4) Matth. 12.
(5) Ex. 12. (6) I Cor. 10, 11.
(7) Matth. 2, 15 (8) Io. 17, 19
(9) Apoc. 5. 1.

spiritualem intellectum, foris autem per sensum litterae simplicem (1).»

3. Uterque sensus tum litteralis, tum mysticus constituit locum vere theologicum, ita ut ex illo Theologia argumenta depromere queat, si de eo certo constat: uterque enim est a Spiritu S. intentus, quo inspirante s. libri conscripti sunt. Non solum autem de sensu litterali, sed etiam de sensu mystico certo constare potest vel ex alio Scripturae loco, vel ex traditione, vel ex Ecclesiae definitione. Si autem talis sensus sit solummodo humani ingenii partus, nil ex eo probari potest. Neque opinandum est in quovis Scripturae s. textu praeter sensum litteralem etiam mysticum contineri. Contrarium ipsi SS. Patres docent. Sic ex. gr. S. Augustinus (2) ait: « In quibusdam locis solus sensus litteralis quaerendus est. » Et S. Epiphanius (3) inquit: « Non omnia verba divina opus habent allegoria, sed prout se habent accipienda sunt.» — Et quis iam sensus mysticus ex verbis: *Non furtum facies* etc., *diliges Dominum Deum tuum* etc.?

4. A sensu mystico prorsus differt *accommodatitius*, quo ea, quae litterali aut mystico sensu alia occasione in scriptura dicuntur, per quandam extensionem et similitudinem ad aliquid aliud applicantur. Hic sensus nullo modo a Spiritu S. intentus est et nihil ex eo probari potest (4).

§. 182.

III. De S. Scripturae lectione.

S. Scripturae lectionem in se utilissimam ac omnibus commendandam esse, ex dictis patet. — Nullatenus tamen dici potest, eam necessariam esse ad salutem; nullum enim scripturas legendi praeceptum vel divinum, vel ecclesiasticum citari potest, et teste Apostolo *fides ex auditu* concipitur (5), atque ad Religionis doctrinam cognoscendam ac pietatem fovendam alia media suppetunt. Ideo S. *Augustinus* dicit: « Homo fide, spe et caritate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget scripturis, nisi ad alios instruendos. Itaque multi per haec tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt (6). » Imo cum s. Scriptura multis in locis obscura sit, et sine variis adminiculis recte intelligi non possit, ideo ex ignorantia vel malitia hominum fieri potest, ut ex illius lectione plus detrimenti, quam emolumenti capiatur. Princeps iam Apostolorum de tam pestifero s. Scripturae abusu lamentatus est: de Epistolis enim Paulinis dicit: *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant ad suam ipsorum perditionem* (7). Negari ergo non potest lectionem s. Scripturae, licet in se utilissimam, tamen indoctis et instabilibus, i. e. in fide non sat firmis, perniciosam fieri posse. Cautela ergo opus est in illa commendanda, vel etiam permittenda. Sapientissime igitur in ecclesia catholica circa communem s. Scripturae lectionem limites constituti sunt. Regula enim quarta indicis, a Pio IV editi, ita sonat: *Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri; hac in parte iudicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi, vel Confessarii Bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint, exhuiusmodi*

(1) Hom. 9 in Ezech. Cf. S. Hieronymum ad II Ezech. Augustinum de doctr. chr.
(2) Quaest. 2 sup. Gen.
(3) L. 2 Haer. 61
(4) Cf. Liebermann l. c. art. III.
(5) Rom. 10, 17.
(6) De doctr. christ. l. 4, c. 45.
(7) II Petr. 3, 16.

lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant etc. — Protestantes hanc regulam acri stilo exagitarunt, clamitantes, catholicis essentiale ius sacram Scripturam legendi ademtum esse. Talem autem criminationem omnino iniustam esse, regulam rite consideranti patet. a) Lectio enim s. Scripturae in lingua hebraica, graeca et latina nemini prohibetur; sed sermo est solummodo de versionibus *in linguam vulgarem* factis, quarum illis temporibus multae corruptae, et erroribus refertae circumferebantur. b) In hac prohibitione illi tantum comprehenduntur, qui detrimentum potius, quam utilitatem inde haurire possent, utpote necessariis mediis ad s. Scripturam recte intelligendam destituti; non autem lectio interdicitur doctis et requisitis ad intelligenda Biblia subsidiis instructis. c) Imo neque laicis absolutae s. Scripturae lectio interdicitur, sed legitimae potestatis iudicio committitur, ut s. Scripturae lectio in lingua vulgari illis permittatur, quibus utilis esse possit. Regula ergo omnino iuste et sapienter constituta est.

Nota 1. De praefata regula indicis etiam inter catholicos theologos varii varia senserunt. *Engelb. Klüpfel* (1) clare pronuntiat, regulam hanc non constituere obligatoriam legem universalis Ecclesiae. Nam, ait, « compertum est, indicem librorum prohibitorum, atque regulas indici praefixas concilii tridentini partes non esse: absoluta enim synodo, indicem demum confectum probatumque esse, apparet ex bulla Pii IV praemissa indici anno 1564. Idem maiori iure statuendum est *de observatione* regulam quartam attinente, quae in antiquioribus concilii editionibus non invenitur. » — Haec Klüpfelii argumentatio solida haud est. Admitti equidem debet regulas indicis partes concilii tridentini non esse: concilium enim iam fini suo appropinquans causam de inhibitione librorum primo selecti viris discutiendam, et dein romano Pontifici definiendam reliquit: ideo Pius IV nomine et auctoritate totius Ecclesiae regulas indicis promulgavit. Quis ergo catholicorum negabit, obligatoriam vim istis regulis inesse, cum romanus Pontifex iam per se supremam potestatem legislativam in universam Ecclesiam habeat, et speciatim hoc in negotio a concilio oecumenico ipsi auctoritas tradita fuerit? — Legem hanc multis in provinciis (praecipue in Germania) receptam non esse, aut per contrariam consuetudinem abrogatam fuisse, varii theologi docent, e. g. Layman (2), Wiest (3). — Sed tamen notandum est, per consuetudinem abrogari non posse legem naturalem, quae prohibet lectionem, ex qua plus detrimenti quam utilitatis oritur. Neque negari potest, nostris praecipue temporibus, quibus societates biblicae plurimas s. Scripturae versiones, in lingua vulgari ab heterodoxis exaratas spargunt, circa lectionem s. Bibliorum in lingua vulgari magna cautione opus esse.

Nota 2. Klüpfel (4) etiam propugnare conatur, a S. Scripturae lectione neminem christianorum arcendum esse. Sed contra allata ipsius argumenta varia excipi possunt. Ait enim — 1. « Apud Hebraeos hebraice, apud Graecos graece apud latinos latine (quae quidem linguae gentibus illis, quibus datae sunt, vernaculae fere fuerunt) primum prodierunt divini libri; non alio cer-

(1) T. I Proleg. §. 41, n 2.
(2) Comp. theol. Mor. l. 2. tract. 1, c. 45.
(3) Tom. 5, §. 525 in Nota
(4) Cit. §. 41.

te consilio, nisi ut legerentur, atque intelligerentur ab omnibus. » *Resp.* Libri sacri lingua quadam, et quidem scriptoribus nota, exaranda fuerunt. Id vero eo consilio factum esse, ut indiscriminatim ab omnibus legerentur et intelligerentur, probandum esset, sed probari haud potest. Maiori iure dicitur, s. libros hebraice, graece etc. exaratos fuisse, ut ii, quibus munus docendi incumbit, eos intelligant, illosque fidelibus explicare queant. Et sane — cum ante inventam artem typographicam libri sat rari, et fere solum in manibus hominum doctorum fuerint, ac praeterea pauci artem legendi et scribendi callerent, inepte omnino dicitur, s. scriptores eo consilio libros suos lingua tunc temporis vulgari exarasse, ut ab omnibus legerentur et intelligerentur. Utique nostris quoque temporibus libri iuridici et medici lingua vulgari conscribuntur; anne autem id eo consilio fit, ut sine discrimine omnes iis utantur ad ius sibi dicendum, vel ad medicamenta sibi praescribenda? — — 2. « Sicut verbum Dei audierunt omnes praedicatum a prophetis et apostolis, excluso nemine, ita nemo repellendus est ab eodem Dei verbo legendo, postquam relatum est in scripturas. » — *Resp.* Aliud omnino est verbum Dei praedicatum audire, aliud est, verbum Dei scriptum legere. Dum verbum Dei praedicatur, ea, quae proponuntur, etiam declarantur, et auditorum captui accommodantur, quod non fit in scriptis divinis, quae saepe obscura sunt et difficilia intellectu, ac ideo sine magno eruditionis apparatu recte intelligi non possunt. Contingere ergo omnino debet, ut homo rudis et indoctus multa vel omnino non intelligat, vel male intelligat, et ut sic s. librorum lectio ipsi partim inutilis, partim noxia fiat. Porro sicut pastores non ad scribendum, sed ad docendum, sic oves non ad legendum sed ad audiendum in Evangelio obligantur (1). — 3. « S. Scriptura est norma fidei, agendique regula, quam omnes nosse oportet et sequi, quaeque viam monstrat ad felicitatem, quo omnibus est eluctandum. » — *Resp.* S. Scriptura, solummodo recte intellecta, dici potest norma fidei agendique regula. Talis autem non est pro homine rudi et indocto, qui, requisitis subsidiis destitutus, eam vel non intelligit vel male exponit. Sicut ergo pueri, ita etiam homines rudes et indocti aliena institutione indigent, quam etiam Christus ut ordinarium medium instituit hominibus monstrandi viam salutis. Primis praedicationis evangelicae annis, ubi N. T. libri non fuerunt exarati, et etiam posterioribus saeculis apud populos barbaros, arte legendi et scribendi, vel ipsis etiam libris expertibus, multi viam salutis invenerunt, quin ipsimet legerent scripturas, normam fidei vivendique regulam tutius ex sola institutione, quam a praeconibus Evangelii audierunt, haurientes. — 4. « Eam ob rem inscripserunt Apostoli epistolas suas non episcopis dumtaxat, aut clericis aliis; sed universis Ecclesiis, velut *Romanae*, *Corinthiorum*, *Galatarum*, etc. eaque re indicarunt, ius et officium legendi scripturas sacras competere universis. » — *Resp.* Inscriptio pro Ecclesiis integris iure dicitur facta, non ut omnes epistolam legerent, sed potius, ut omnes eam audirent, utpote saluberrima monita pro omnibus continentem. Nullum sane vestigium apparet, quod tot statim epistolarum exemplaria confecta fuerint, at in omnium manus venirent. Historia autem docet, Epistolas ad Ecclesiarum antistites missas

(1) Matth. 28 19. Io. 10 16

fuisse, qui illas fidelibus congregatis et praelegerunt et declararunt.— 5. « Hortatus praeterea est Christus auditores suos, nullo personarum delectu habito, ut legerent atque scrutarentur Scripturas, dicens: *Scrutamini Scripturas* (1).» — *Resp.* Christus haec dicens non idiotas allocutus est, sed principes synagogae, pharisaeos et legisperitos, quod apparet ex verbis praecedentibus: *Vos misistis ad Ioannem* (2) collatis cum Io. 1, 19. — 6. Apostoli pariter studium legendi sacras litteras non improbarunt in Berorensibus (3). » *Resp.* Iam ipse s. textus confutationem huius argumenti in se continet; nam legitur ibi: *Hi autem erant nobiliores eorum qui sunt Thessalonicae, qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si haec ita se haberent.* Ergo *nobiliores*, necessaria eruditione praediti, et iam per praedicationem apostolicam circa rectum Scripturae sensum instructi laudantur, quod et ipsi s. Scripturas scrutati fuerint. — 7. « Vix demum dici potest, quam gravibus verbis scripturarum divinarum studium legendique assiduitatem christianis omnibus, etiam foeminis inculcarint veteris Ecclesiae Patres, *Chrysostomus* praecipue et *Hieronymus*. » — *Resp.* SS. Patres scripturas legendas commendarunt vel in textu originali, vel in Vulgata latina ab Ecclesia approbata. Praeterea Patres loquuntur ad christianos, optime in fide - per quotidianas fere institutiones, homilias et exhortationes - instructos, ac ideo ad intelligendas scripturas idoneos: sic *S. Hieronymus* foeminis, scientia et pietate conspicuis, quotidianam sacrorum librorum lectionem commendat. Demum aevo Patrum ubique moris erat, ut s. Scripturae libri publice in homiliis exponerentur, et salutari fidelium usui accommodarentur. Eminuit hac in re *S. Chrysostomus*, qui ideo sat frequenter fideles adhortatur, ut domi, quae ex scriptura audierunt, relegant, et sic cum scripturae verbis eiusdem expositiones, et deductas exinde exhortationes firmius cordi imprimant. — Ex dictis apparet, quam male asserta Patrum nostris temporibus indiscriminatim accommodentur (4).

(1) Io. 5, 39. (2) V. 33. (3) Act. 17, 11.

§. 183.

Usus doctrinae traditae.

a) Coeleste s. Scripturarum donum cum magna reverentia et cum debito gratitudinis sensu recipiendum est *non ut verbum hominum, sed sicut est vere, verbum Dei.* b) Pastorem animarum, cui munus docendi incumbit, continuo decet sacram Scripturam legere, scrutari et meditari, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere* (5). c) Laicis quoque s. librorum lectio et meditatio non satis commendari potest, dummodo necessariis ad s. Scripturam intelligendam subsidiis instructi sint, vel expositionibus et commentariis orthodoxis utantur. d) Omnis autem sollicitudo habenda est, ut versiones in lingua vulgari ab heterodoxis confectae et sparsae a fidelibus penitus removeantur.

(4) Cf. Perrone de loc. theol. p. II, cap. V. — Tom. 9. (5) Tit. 1, 9.

CAPUT II.

DE TRADITIONE.

§. 184.

Magni momenti quaestio est, an s. Scriptura sit unicus Revelationis christianae fons, vel an alius quoque fons existat, et necessario admittendus sit, ut omnia doctrinae a Christo nobis revelatae capita habeantur. Hac in re Protestantes a

Catholicis dissentiunt. Illi enim, duce ipso Luthero, reiecta traditione, s. Scripturam ceu unicum fontem assignant, ex quo dogmata christiana haurienda sunt: et licet successu temporis nonnulli ac praecipue Episcopales in Anglia de traditionibus divinis melius senserint, in eo tamen plerique conveniunt, quod pro certo statuant quaecunque ad fidem ac salutem necessaria sunt, sacris fuisse litteris consignata; cetera vero, quae scripta haud sunt, veluti adiaphora esse spectanda. Catholici vero dicunt, praeter s. Scripturam ceu Revelationis christianae fontem agnoscendam etiam esse traditionem, quae tum dogmata a Christo revelata, sed in s. Scriptura non contenta proponit, tum de divinitate ac recto sensu s. Scripturae nos certos reddit. Huiusce iam traditionis *notio et divisio evolvenda*, *existentia* probanda, *conservatio et propagatio* ostendenda est, ac demum *characteres* assignandi sunt, ex quibus certo dignosci possit.

ARTICULUS I.

Traditionis notio et divisio.

§. 185.

Traditionis nomen amplissimam habet significationem; adhibetur enim ad denotandam quamlibet institutionem, sive haec scripto, sive viva voce fiat. Sic Paulus (1) ait: *Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* — Usu autem ecclesiastico et theologico factum est, ut per traditionem illa solum doctrina intelligatur, quae primum oretenus tantum aliis communicata, et non per sacram Scripturam, sed aliis mediis conservata et propagata fuit. Haec etiam traditionis *significatio latior* et *strictior* distingui potest.

(1) II Thess. 2, 14.

1. In sensu latiori traditio omnes complectitur veritates ad Religionem pertinentes, quas non per S. Scripturam, sed per aliis mediis addiscimus. — Ratione originis haec traditio dividitur in *divinam* et *humanam*. Divina est, quae ex revelatione Dei descendit, seu quae proponit veritates et leges a Deo revelatas. Humana dicitur, quae non a Deo revelante, sed ab hominum institutione originem sumsit: haec subdividi solet in *apostolicam*, quam primi tradidere Apostoli, a Christo vel Spiritu S. non acceptam, et in *ecclesiasticam*, quam ab Apostolis non acceptam alii ex prioribus ecclesiae rectoribus posteris communicarunt. Probe autem notandum est, Apostolos sub duplici respectu considerandos esse, nempe ut praecones revelationis, et ut praesules Ecclesiae; quae ut praecones revelationis docuerunt, ad divinam traditionem spectant; quae vero non ex Christi mandato, sed propria potestate ut praesules Ecclesiae ordinarunt, humanam traditionem constituunt: in hoc sensu traditio *divino-apostolica* et *humano-apostolica* distinguitur. Ratione materiae seu argumenti traditio dividitur in *historicam* quae circa facta, in *ritualem* quae circa ritus et disciplinam, et in *dogmaticam* quae circa veritates religionis, seu circa doctrinam fidei et morum versatur.

2. Quoniam traditio in isto tractatu ut fons revelationis consideratur, solum de traditione divina, et quidem de traditione dogmatica sermo instituitur. In hoc autem sensu strictiori traditio est doctrina divinitus revelata, quae vero a canonicis scriptoribus litteris non consignata, sed viva voce ab Apostolis praedicata et in Ecclesia semper conservata fuit. — Talis traditio divina duplex secernitur, nimi-

rum *constitutiva*, seu *stricte dogmatica*, quae proponit dogmata in s. Scriptura non contenta, et *hermeneutica*, seu *declarativa*, quae S. Scripturam, multis in locis obscuram declarat, illiusque sensum a Spiritu S. intentum determinat.

Nota. Traditio non est nisi alius modus, quo nobis sicut per Scripturam sacram veritates a Deo revelatae communicantur. Sicut ergo S. Scriptura auctoritatem non habet ex eo, quod scripta sit, sed quia vere est verbum Dei, sic etiam traditiones divinae, quae, ut ex definitione patet, nonnisi verbum Dei proponunt, eiusdem sunt auctoritatis, eandemque fidem merentur. — Ipsi Protestantes fatentur, traditiones divinas, si existant, eodem pietatis sensu, quo prosequimur Scripturas, excipiendas et venerandas esse. Egregie hanc in rem loquitur Hugo Grotius (1): « Deo, ait, gratias ago, quod ea, quae singulis Christianis sunt necessaria, apostolici viri non docuere tantum, sed et perscripsere, sed si eo tempore vixissem, tam dicentibus illis credidissem, quam scribentibus; et sicut de iis, quae scripserunt, sequor plurium et antiquissimorum codicum fidem, ita in iis, quae dixere, plurium et antiquissimorum testium consensum. » — Communiter tamen Protestantes traditionis divinae existentiam negant, atque ideo illam ceu revelationis fontem, a S. Scriptura distinctum admittere recusant. Summi idcirco momenti est ut contra ipsos Traditionis divinae existentia probetur.

ARTICULUS II.

Traditionis divinae existentia in V. T.

§. 186.

Traditionem divinam possibilem esse et Revelationis fontem constituere posse, iam ex ipsa rei natura patet, quia Deus omnipotens, ac sapientissimus certe Revelationem hominibus concedere, eandemque per continuatam hominum eruditorum et piorum seriem propagare, ac incorruptam conservare potest. Multo magis autem id ex ipso facto apparet. Traditio enim ut divinae Revelationis fons actu iam existit tum *in Religione patriarchali*, tum *in Religione mosaica.*

1. Graviter errant, qui putant, Patriarchas Religionem solummodo naturalem coluisse. Iustificati enim sunt per fidem in Messiam, cuius promissionem a Deo revelante acceperant, et in Abrahamo legem divinam positivam de puerorum circumcisione obtinuerunt. Circa alia quoque a Deo ipso edocti fuerunt, ita ut eorum Religio omni iure revelata dicatur (2). Constat autem, Patriarchas ab Adamo usque ad Moysen Scripturam canonicam nullam habuisse; dogmata ergo fidei et morum conservata et propagata fuerunt per oralem traditionem, quae unicum Revelationis Patriarchis concessae, fontem constituebat.

2. Moyses equidem primus fuit, qui libros sacros conscriberet, nimirum Pentateuchum. Cum ipso ergo lex scripta incepit. Sed etiam in lege scripta traditionem non penitus cessasse, sed cum libris divinis hunc quoque revelationis fontem perseverasse sat solidae rationes probant. Nam a) Plura dogmata tenuerunt Iudaei, quae in Pentateucho non proponebantur. Sic ex. gr. immortalitatem animae, resurrectionem carnis, futurum iudicium, praemiorum et poenarum aeternitatem crediderunt (§. 96), licet veritates istae in libris Moysis diserte expositae non legerentur. Necessario ergo admittitur alius fons, ex quo Iu-

(1) Contra Rivetum.

(2) Vide p. II, sect. I, cap. I.

daei ista dogmata hauserunt, nimirum traditio oralis, ex qua ea didicerunt, quae a Deo Patriarchis revelata, sed a Moyse conscripta non fuerunt. b) Per longius tempus unicum divini Pentateuchi exemplar extitit, in arca reconditum; quare ea quoque, quae in illo continebantur, per solam institutionem oralem conservari et propagari debebant. Nec unquam tot divinorum librorum exemplaria extiterunt, ut omnes Israëlitae illa legendo sibimetipsis doctrinam fidei et morum comparari potuissent; sed S. Scripturae a sacerdotibus praelegi et explicari consueverunt. c) Demum in S. Scriptura V. T. tales loquendi formulae occurrunt, quae traditionem ceu praecipuum notitiarum religiosarum fontem ostendunt. Crebro enim de rebus ad Religionem pertinentibus legitur: *Narrabis filio tuo, interroga generationem pristinam, investiga patrum memoriam, narraverunt patres nostri, patres nostri annuntiaverunt nobis* etc.

Nota. Moyses, cum dicit (1): *Non addetis ad verbum, quod ego loquor, nec auferetis ex eo;* et (2): *Nec addas quidpiam, nec minuas*, non excludit traditiones divinas, sicut non reiicit libros divinos, qui post Pentateuchum canoni S. Scripturarum adiecti fuere: Moyses ergo in citatis verbis solummodo interdicit interpolationem, vel mutilationem librorum suorum divinitus inspiratorum. — Inepte etiam contra divinas V. T. traditiones citatur locus Isaiae, in quo Israëlitae monentur, ut se teneant *ad legem magis, et ad testimonium: quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux* (3). Hisce enim verbis Israëlitis tantummodo inculcatur, ut abstineant *a pythonibus et a divinis, qui stridٍent in incantationibus suis* (4), et ut nonnisi ea credant, quae in lege scripta sunt et testimonio divino confirmantur: duplicem hic Isaias Revelationis fontem assignare videtur, quia per legem S. Scriptura, et per testimonium traditio aptissime intelligitur. — Dum Christus dicit: *Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram* (5)? Pharisaeos alloquitur, ipsorumque spurias, corruptas et falsas, non autem divinas traditiones reiicit. — Demum si alicubi lex Domini *perfecta* dicitur, id referendum potius est ad puritatem et praestantiam doctrinae, quam ad perfectionem illius, quasi omnes fidei articulos plene complecteretur. Omnia equidem opera Dei perfecta dicenda sunt, quatenus ad fines sibi a Deo praefixos aptissime constructa sunt, sed ideo non ad omnia sufficientia dici possunt. In hoc sensu etiam S. Scripturam perfectam dicimus, licet admittamus, Deum alio quoque modo nos ad veritatum fidei cognitionem perducere velle.

(1) Deut. 4, 2. (2) Ibid. 12, 32. (3) Is. 8. 20.

(4) V. praec. (5) Matth. 15, 3.

ARTICULUS III.

Traditionis divinae existentia in N. T.

§. 187.

Religionem christianam illi tantum recte colunt, qui solam et integram doctrinam Christi tenent. Si ergo omnia, quae Christus docuit, in S. Litteris continentur, ita ut nullo alio fonte divinae ipsius doctrinae opus sit, catholici aberrant traditionibus inhaerentes, et sic humana divinis miscentes. Sed si non omnia, quae Christus docuit, conscripta sunt in libris divinis, et si hi ipsi authentica declaratione indigent, quae ab Apostolis promanans usque ad nos pervenit, Protestantes aberrant, traditiones divinas respuentes, atque ideo non integram doctrinam Christi assumentes. Exinde apparet,

quanti momenti sit controversia, quae inter Protestantes et Catholicos circa existentiam divinarum traditionum in N. T. agitatur. Solidissime autem ostendi potest, etiam in Religione christiana traditionem ceu fontem divinae Revelationis assumendam esse. Id enim a) tum *argumenta biblica*, b) tum *argumenta historica* invicte probant.

§. 188.

A. Argumenta biblica.

Tantum abest, ut S. Scriptura traditiones divinas vel reiiciat, vel excludat, ut potius traditionibus repulsis ipsa quoque S. Scripturae auctoritas infringatur. Nam traditionis divinae in Religione christiana existentiam 1) *origo S. Scripturae manifestant;* 2) *verba S. Scripturae probant;* 3) *indoles S. Scripturae postulat.*

§. 189.

I. Ex origine S. Scripturae.

Si rite indagemus, *quo tempore*, et *qua occasione* libri divini N. T. conscripti sint, traditionis divinae in Religione christiana existentia clare nobis manifestatur.

1. Christus enim ipse nihil scripto reliquit, imo, quantum legimus, ne praecepit quidem, ut aliquid scriberetur. Non ait: Euntes scribite, sed *Praedicate Evangelium omni creaturae.* Si autem Christo propositum fuisset, verbum Dei coarctandi et restringendi ad Scripturam, imprimis rem tanti momenti Apostolis indicasset, eisque praecepisset, ut scriberent, ne unquam Ecclesia unico a se constituto Revelationis fonte destitueretur. Apostolos autem tale divinum praeceptum non habuisse, ex ipsorum agendi modo patet. Constat enim, Apostolos plerosque nihil scripsisse, ceteros autem post promulgatum Evangelium. Matthaeus inter N. T. scriptores primus octo annis post inceptam evangelicam praedicationem Evangelium suum exaravit; Paulus primam suam epistolam (1) sexdecim annis post Christi ascensionem in coelum conscripsit; reliqua N. T. scripta multo tardius prodierunt. Attamen multae variis in provinciis Ecclesiae fundatae sunt, et credentium numerus in dies augebatur (2). Tunc temporis ergo, Scriptura N. T. nondum confecta, haud alius religionis christianae fons assignari potest, quam oralis traditio. Per hanc doctrina christiana cognoscenda, et enatae circa rectam fidem controversiae dirimendae erant. Et cum - fatentibus ipsis Protestantibus - Apostoli ab ordinationibus Christi non recesserint, sed, utpote Spiritu S. repleti illis accuratissime inhaeserint, omnino dicendum est Christum ipsum traditionem ceu primum et ordinarium Religionis christianae fontem ordinasse.

2. Si traditio, uti a nemine negari potest, ab initio Ecclesiae christianae fons revelationis fuit, idem etiamnum manet, nisi ostendatur, priori fonti abrogato alium per S. Scripturam substitutum fuisse. Ut autem id ostenderetur, probandum foret, omnia ea, quae ab Apostolis oretenus praedicata fuerunt, postmodum in libris canonicis conscripta esse. Id autem probari nullatenus potest. Nam non *unus* integram doctrinam Christi complexus est, quod ipsi Protestantes non diffitentur, et s. libros legenti ac conferenti patet. Neque probari potest sacros N. T. scriptores *omnes simul sumtos* omnia a Christo et Apostolis oretenus tradita dogmata litteris consignasse. Id enim tantummodo vel per Apostolorum conventionem, vel per specialem Spiritus S. ordinationem et directionem fieri potuisset.

(1) I ad Thess. (2) §. 150, n. 5.

Ast nullibi legitur, Apostolos inter se convenisse dum scriberent, et statuisse, ut unus haec, alter alia doctrinae Christi capita litteris consignaret. Contrarium potius ex ipsa s. librorum origine apparet. Pro data enim occasione s. N. T. libri conscripti sunt: sic e. gr. Matthaeus a Iudaeae incolis rogatus Evangelium suum exaravit; Ioannes suum erroribus Cerinthi et aliorum haereticorum, de divinitate Christi male sentientium, opposuit; Epistolis Paulinis exorta variis in Ecclesiis dissidia, aut sparsae falsae doctrinae ansam praebuere. Ex quo patet, Apostolos non ex conventione quadam ad scribendum accessisse. Neque dici potest, Spiritum S. hagiographos N. T. scriptores ita inspirasse et direxisse, ut omnia doctrinae christianae capita simul sumti complecterentur; talis enim assertio neque ex S. Scriptura ipsa, neque aliunde probari potest. Imo cum nonnulla Christi dicta et facta fere ab omnibus enarrentur, et alia, licet gravissima, ab uno tantum brevissime indigitentur, e. g. de forma baptismi, de modo remissionem peccatorum obtinendi etc., manifeste apparet, neque conventionem, neque Spiritus S. directionem admitti posse, qua factum sit, ut omnia doctrinae christianae capita litteris consignentur. Quapropter traditio semper ut necessarius Religionis christianae fons est agnoscenda.

Nota. Adversarii, cum neque ex Scriptura, neque ex aliis monumentis probare possint, omnia doctrinae christianae capita in s. Scriptura contineri, ad rationes philosophicas confugiunt, et aiunt: Deus, qui imperfecta non operatur, si per libros a se inspiratos nos instruere decrevit, hos certe ita comparavit, ut ad instructionem nostram sufficiant. Nam et sapiens princeps, qui scriptum legum codicem promulgat, non ita eum efformat, ut unam tantum legum partem contineat, et aliam viva solum voce propositam hominum memoriae relinquat. Praeterea admitti non potest, Deum, qui non deest in necessariis, sed non abundat in superfluis, duplicem revelationis fontem constituisse. Nulla sane ratio assignari potest cur Deus voluerit, nos aliqua essentialia Religionis capita per Scripturam, alia vero per solam traditionem cognoscere. Demum non sine maximo absurdo dici potest, S. Scripturam, quae et accidentalia multa refert, in necessariis et essentialibus deficere (1). — Ad similes adversariorum argutias reponendum est, humanis ratiociniis, dum de factis divinis agitur, indulgendum non esse. Deus, qui liberrime Revelationem nobis concessit, liberrime etiam modum, quo ad illius cognitionem perveniamus, determinare potest. Neque infinitae sapientiae decreta per limitatam et caecutientem rationem humanam diiudicare licet. Optima et sapientissima sunt omnia quae Deus vult et non aliunde, nisi quia vult. — S. Scriptura, divinitus inspirata, opus in se imperfectum, et medium inadaequatum iure diceretur, si Deus reipsa sibi proposuisset omnia ad salutem necessaria immediate ad nos per illam transmittere, et nihilominus ea nonnisi ex parte contineret. Sed nullatenus probari potest hunc sibi finem Deum praestituisse, cum contrarium tum ex scriptura, tum ex aliis monumentis patescat. — Exemplum legislatoris humani non est ad rem, siquidem huic non suppetit legislationis suae depositarius, et custos indefectibilis et infallibilis, prout suppetit Deo in Ecclesia a se constituta (quod inferius probatur). Ceterum nil absurdi contingit, si hincinde

(1) Ita Palmer Tract. de Eccles. vol. II, c. 1.

princeps legato, a se mittendo, mandata sua partim scriptis, partim viva voce committat, quod non raro ex occultis, sed iustis causis ipsa prudentia exigere potest. Et quis mortalium Deo inconveniens iudicabit, ut duplicem fontem statuat, quo ad revelationis, ab ipso benignissime concessae, cognitionem perveniamus? — Male profecto lex parsimoniae Deo ibi praescribitur, ubi summa ipsius benignitas ac sapientia laudanda venit. In naturalibus quoque nonnulla supervacanea nobis videntur, quae tamen a Deo sapientissimo ordinata esse negare non possumus. — Ratio etiam assignari potest, cur non omnia essentialia Religionis capita ex Scriptura haurire queamus. Deus enim sic Religionem christianam instituit, ut qui illi per fidem inhaerent tum per mutuam caritatem inter se, tum per humilem obedientiam erga magisterium statutum, seu erga Ecclesiam docentem colligentur, a qua proinde tum dogmata in divinis libris non contenta, tum et rectum Scripturarum sensum repetere debent. Mirum proinde non est, si S. Scriptura, licet accidentalia contineat, necessaria tamen non cuncta proponat. Haec enim omnia cum sapientissimo Dei consilio optime cohaerent. Allatae ergo rationes philosophicae nos nullatenus retinere possunt ab assumenda traditione divina, dummodo illius existentia in N. T. rite probetur (1).

§. 190.

II. Ex verbis S. Scripturae.

Ex variis S. Scripturae effatis clare apparet, Apostolorum mentem non fuisse, omnia, quae a Christo audierant et oretenus praedicaverant, litteris consignare, sed ipsos oralem institutionem summopere commendasse, et ut praecipuam fidei normam statuisse. Ideo *saepe enarrant, Christum docuisse, quin doctrinae propositae capita recenseant*, et ad fidem stabiliendam erroresque propulsandos *ad oralem institutionem, seu ad traditionem provocant.*

1. In Evangeliis non raro legitur Christum docuisse, quin ea, quae docuit, nobis exponerentur. Sic Matth. IV, 23 dicitur: *Circuibat Iesus totam Galilaeam, docens in synagogis eorum et praedicans Evangelium regni*, sed doctrinae praedicatae capita non exhibentur. Idem fit Matth. IX, 35, Marc. VI, 2, Luc. XIX, 47. Imo Marc. VI, 30 dicitur de Iesu: *Coepit illos docere multa*, quin unicum copiosae huius doctrinae caput recenseretur. Post resurrectionem suam Christus 40 dierum spatio frequenter Apostolis apparuit, *loquens de regno Dei* (2), et tamen perpauca de ipsius sermonibus et instructionibus scripto relicta sunt. Discipulis euntibus in Emmaus Christus *incipiens a Moyse et omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant* (3); nihil autem de divina hac expositione in S. Litteris legimus. Demum Ioannes, qui ultimo Evangelium suum conscripsit, aperte testatur, multa superesse, quae de Christo conscripta non fuerunt. Ait enim: *Sunt et alia multa, quae fecit Iesus, quae, si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros* (4). Exinde apparet, Apostolos non omnia, quae de dictis et factis Christi cognoverunt, litteris consignasse.

2. Tantum praeterea abest, Apostolos solam Scripturam ut Revela-

(1) Cf. Perrone de loc. theol. tom. 9, p. II, sect. 2, c. 1.

(2) Act. 1, 3. (3) Luc. 24, 27.
(4) Io. 21, 25. Cf. Io. 20, 30.

tionis fontem assignasse, ut potius saepissime ad doctrinam oretenus traditam provocaverint, eamque pro criterio ad dignoscendam omnem aliam doctrinam declaraverint. Sic Paulus ad Thessalonicenses scribit: *Rogamus vos, fratres... ut non cito moveamini a vestro sensu - neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam... non retinetis, quod, cum adhuc essem apud vos, haec dicebam vobis* (1)? Et inferius, commemorans gratiam, qua ad Evangelium vocati sunt (2), verba notatu dignissima addit: *Itaque, fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram* (3). Eodem ergo modo tenenda esse dicit, quae *per sermonem* seu per oralem institutionem didicerunt, prout ea, quae per epistolam canonicam acceperunt, duplicem doctrinae revelatae fontem manifeste assignans. Ex hoc loco iam SS. Patres traditionis divinae existentiam probarunt: sic in eundem *S. Chrysostomus* dicit: « Hinc est perspicuum, quod Apostoli non omnia tradiderunt per litteras, sed multa sine scriptis, et ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiae quoque traditionem censeamus fide dignam. Est traditio, nihil quaere amplius.» Idem Apostolus (4) sic ad fideles scribit: *Laudo vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis praecepta mea tenetis.* Cum apud Galatas circa observantiam legalium falsae doctrinae sparsae fuerint, Paulus, ut ipsos ad rectam fidem reduceret, ad praedicationem suam provocat, quam ceu certam regulam semper sequi teneantur. Ait enim: *Miror, quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi in aliud Evangelium... Sed licet nos, aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (5). Ad Romanos scribens totam fidem ex auditu repetit, nimirum ex audita praedicatione Apostolorum, dicens: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico: Nunquid non audierunt? et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum* (6). Timotheo traditionem caute servandam commendans scribit: *Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti.... bonum depositum custodi per Spiritum S. qui habitat in nobis* (7). Quae verba *S. Chrysostomus* interpretans ait: «Non modo per litteras, sed etiam verbis discipulo, quae essent agenda, dictavit.» Imo Paulus etiam Timotheum instruit, quomodo traditionem conservare et propagare oporteat; ait enim: *Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* (8). Apostolo ergo maxime cordi fuit, ut doctrina oretenus tradita per idoneos ministros iterum aliis communicetur. — S. Ioannes, qui omnes s. N. T. scriptores supervixit, nullibi tamen ad eorum scripta provocat, sed traditionem ut normam fidei maxime inculcat. Ait enim: *Vos, quod audistis ab initio, in vobis permaneat. Si in vobis permanserit, quod audistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis* (9). Eundem Apostolum maxime oralem institutionem aestimasse, eamque scriptae praeposuisse, apparet ex sequentibus verbis: *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum: spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui* (10). —

(1) II Thess. 2, 1 etc. (2) V. 12 et 13.
(3) V. 14. (4) I Cor. 11, 2. (5) Gal. 1, 6.
(6) Rom. 10, 17 etc. (7) II Tim. 1, 13 etc.
(8) II Tim. 2, 2. (9) Io. 2, 24.
(10) II Io. 12. Cf. III Io. 13 et 14.

Ex citatis iam locis clarissime patet, quantum Apostoli distent ab eorum principio, qui S. Scripturam ceu unicum revelationis fontem, et solam fidei normam statuunt.

Nota 1. Inania sunt conamina quibus nonnulli ex Protestantibus argumentum desumtum ex verbis Pauli (1) impugnant. Nam dicere, particulas disiunctivas mutandas esse in coniunctivas, et Paulum ea tenenda commendare, quae et docuit et scripsit, non est interpretari sed corrumpere scripturam: certe non sine absurdo dici potest, Paulum Thessalonicenses nil aliud docuisse, nisi ea quae in prima sua epistola scripsit, in qua etiam nonnulla fundamentalia fidei dogmata non inveniuntur. Ideo absonum quoque est asserere, per ea, quae *per sermonem* tradita fuere, accidentalia solum intelligenda esse, cum Thessalonicenses circa essentialia oretenus instrui debuerint, ne imperfecta eorum fides maneret. Denique admitti non potest, praeceptum Apostoli de tenendis traditionibus oralibus eousque tantum obligasse, donec integra S. Scriptura confecta fuerit. Praecepta enim divina ab Apostolis promulgata, pro omni tempore obligant, et non omnia conscripta esse, quae oretenus a Christo et Apostolis tradita fuerunt, argumenta iam allata probant.

Nota 2. Sicut nos ex S. Scripturae verbis pro traditionis divinae existentia argumenta petimus, sic Protestantes nobis effata biblica opponunt, ut ostendant, nonnisi ex sacris Bibliis dogmata christiana probanda esse.

Obi. 1. Christus ipse iubet nos ad Scripturas accedere, et exinde fidei dogmata haurire: ait enim: *Scrutamini Scripturas, - illae sunt, quae testimonium perhibent de me* (2).

Resp. Christus Iudaeis persuadere voluit, quod ipse verus Messias sit; ideo ad S. Scripturas appellavit, in quibus sat luculenta de ipso vaticinia leguntur. Ad unum autem fontem appellare, non est excludere alium fontem. — Praeterea Christus ad Iudaeos loquens non potuit indigitare s. libros N. T. qui nondum existebant, sed solum intellexit s. libros V. T. *in quibus* Iudaei putabant, *se vitam aeternam habere* (3).

Obi. 2. Paulus solam Scripturam ut praestantissimum medium ad docendum assignat, scribens: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* (4).

Resp. Paulus utilem Scripturam dicit non sufficientem. Et si adversarii ex ultimis verbis probare tentant, sufficere Scripturam ad constituendum virum perfectum, et ad omne opus bonum instructum; iure reponimus, ideo Paulum hoc asseruisse, quia S. Scriptura praecipit, traditiones per sermonem acceptas tenendas, formam sanorum verborum habendam et oralem institutionem ut bonum depositum custodiendam esse. Praeterea ex loco Pauli, in sensu adversariorum intellecto, absurdum sequeretur. Apostolum enim nonnisi de scriptura V. T. loqui, patet ex verbis praecedentibus; ait enim (5): *Et quia ab infantia s. litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem per fidem quae est in Christo Iesu.* Iam vero, cum Timotheus adhuc infans erat, nullae extabant scripturae N. T. Ergo lectio librorum V. T. sufficeret ad constituendum virum christianum perfectum, et ad omne opus bonum instructum?

Obi. 3. Paulus omnino excludit traditiones, cum ad Corinthios scri-

(1) II Thess. 2, 14. (2) Io. 5, 39. (3) V. eod. (4) II Tim. 3, 16 etc. (5) Ib. v. 15.

bit: *Ne supra quam scriptum est, discatis* (1) et Colossenses monet: *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum* (2). Soli ergo Scripturae inhaerendum et a traditionibus cavendum est.

Resp. Si ita Paulus sensisset, sibi ipsi contradixisset, traditionem, ut vidimus, maximopere commendans. Aliter ergo textus citati exponendi sunt. Et sane - quae Paulus ad Corinthios scribit, traditionibus divinis non opponuntur. Scopus Apostoli est, ut superbiam nonnullorum retundat, qui ideo se extollebant, quia vel a Paulo, vel a Cepha, vel ab Apolline baptizati fuerant. Ideo dicit: *In nobis*, qui nos *ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* vocamus (3), *discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio:* per id vero, quod scriptum est, alludit ad sacros textus in priori capite citatos, ex quibus ipse concluserat: *Nemo itaque glorietur in hominibus* (4). Ergo de traditione hoc in loco non fit sermo, et si de illa verba Pauli intelligenda essent, iure diceremus, praeceptum Apostoli a nobis non violari, sed adimpleri, quia scriptum est tenendas esse traditiones. — Per ea autem, quae ad Colossenses scripta sunt, non traditiones divinae, sed *traditiones hominum*, ex falsa philosophia et inani fallacia haustae, interdicuntur: Paulus nimirum Colossenses praemunire studuit a doctoribus iudaizantibus, qui legum ritualium et consuetudinum pharisaicarum obligationem in Religionem christianam introducere conabantur (5).

Obi. 4. Omnia, quae de Christo cognoscenda sunt, conscripta esse Lucas testatur, qui statim ab initio Evangelii sui dicit: *Visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere* (6). Ergo non opus est traditione, sed, quae credenda sunt, ex Scriptura peti et possunt et debent; quod clare Ioannes innuit, in fine Evangelii sui dicens: *Haec scripta sunt, ut credatis* etc. (7).

Resp. Lucas dicit, se notitiam omnium, quae tradiderunt Apostoli (8), adsecutum esse, sed non dicit se omnia, sed se *ex ordine* scribere. Significat ergo, se omnem adhibuisse diligentiam ad accuratam sibi eorum notitiam comparandam quae erat scripturus; nec disiecta aliqua dicta aut facta, sed continenti serie se Christi vitam et doctrinam expositurum esse ad illorum discrimen, ad quos versiculo primo alludit, qui memorabilia Christi in commentaria redegerant, quique veris falsa intermiscebant. Sic Lucae verba iam *S. Ambrosius* intellexit, qui (9) haec praeclare inter caetera scribit: « Adsecutum se non pauca dicit, sed omnia, et adsecuto omnia visum est scribere non omnia, sed ex omnibus. Non enim scripsit omnia, sed adsecutus est omnia. » — Et sane ex Evangelii Lucae cum reliquis Evangeliis, ac praecipue cum Evangelio Ioannis collatione, apertissime colligitur, plura eum praetermisisse ex dictis factisque Christi Domini. — Ioannes, dum dicit: *Haec autem scripta sunt* etc., loquitur de signis, seu miraculis, ac profitetur, se plura alia signa, quae Christus fecerat, in sua narratione praetermisisse, cum ea, quae in Evangelio retulerat, sufficerent ad id quod sibi proposuerat obtinendum, nempe ad probandum, tum Iesum esse Messiam ac Filium Dei, tum

(1) I Cor. 4, 6. (2) Col. 2, 8.
(3) I Cor. 4, 1. (4) I Cor 3, 19-21.
(5) Cf. Rosenmüller in c. 1.
(6) Luc. 1, 3. (7) Io. 20, 31.
(8) Luc. 1, 2.
(9) In Expos. in Luc. l. 1, n. 11.

nonnisi per fidem in ipsum posse obtineri salutem. Imo - si etiam in sensu adversariorum verba Ioannis intelligerentur, attamen traditiones non excluderentur, quia scriptum quoque est, tenendas esse traditiones (1).

§. 191.

III. Ex indole S. Scripturae.

Indolem S. Scripturae si spectemus, hanc ita comparatam esse cognoscimus, ut *authentica interpretatione indigeat, quam ab Apostolis oretenus fidelibus communicatam fuisse*, dubitari non potest.

1. Documenta enim novi Testamenti tam disertis verbis neque consignata sunt, neque consignari poterant, ut satis clare quovis tempore quisque perfacile intelligat, quis sit verborum sensus sive quas ideas Iesus et Apostoli cum his verbis coniunxerint. Obscuram potius, ambiguam et variis interpretationibus obnoxiam S. Scripturam esse, luculentissima argumenta probant. S. Petrus de epistolis paulinis, quae magnam N. T. partem constituunt, dicit: *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant... ad suam ipsorum perditionem* (2). — Obscuritatem S. Scripturae etiam SS. Patres agnoverunt, et praecipue illi, qui maximo studio s. litterarum lectioni et expositioni insudarunt. Sic *Clemens Alex.* (3) dicit: « Neque enim prophetia, neque ipse Salvator adeo crasse et generaliter est elocutus divina mysteria, ut ea facile capi possent a quibuslibet. » — Deinde subiungit, Scripturam intelligere eos, « qui ab ipso (Christo) declaratam Scripturarum expositionem ex ecclesiastica regula retinentes conservant. » — *Origenes* (4) ait: « Multi cordati viri in scrutando Scripturam intellectum eius invenire potuerunt, licet multis in locis sit obscura » — *S. Hieronymus* lamentatur, « Scripturam sanctam difficultatibus contextam esse, et maxime Prophetas, qui aenigmatibus pleni sunt, ut difficultatem sensuum difficultas quoque sermonis involvat (5). Tota Epistola D. Pauli ad Romanos nimiis obscuritatibus involuta est, nonnisi Spiritus S. auxilio, qui eam Apostolo dictavit, intelligenda (6). Apostoli Petrus, Iacobus, Ioannes et Iudas septem Epistolas ediderunt tam mysticas, ut rarus sit, qui non in earum lectione caecutiat. Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta, quot verba (7). » *S. Augustinus* (8) ait: « Spiritum S. S. Scripturam ita modificasse, ut locis apertioribus fami occurreret; obscurioribus autem fastidia detergeret. » — Demum obscuritatem S. Scripturae agnoscit, et necessitatem traditionis exinde eruit *Vincentius Lirinensis*, qui (9) ait: « Quia Scripturam S. pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius, atque alius interpretatur, ut pene, quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur: aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus, aliter Iovinianus, Pelagius, Coelestius, aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et apostolici sensus normam dirigatur. » — Ipsi quoque Prote-

(1) Cf. Perrone l. c. n. 557 etc.
(2) II Petr. 3, 16. (3) L. 6 Strom.
(4) L. 4 c. Cels. n. 21.
(5) In cap. 3 Nahum.
(6) Ep. ad Algas.
(7) Ep. ad Paul. 5.
(8) L. 2 de doctr. christ. c. 6.
(9) In suo commonitorio, cap. 2.

stantes S. Scripturae obscuritatem practice fatentur, dum ad illam rite intelligendam varia subsidia requirunt, voluminosa commentaria conscribunt, et in expositionibus suis persaepe valde dissentiunt. Imo non desunt in variis Protestantium familiis, qui theoretice S. Scripturae obscuritatem profitentur (1).

2. Apostoli, Spiritu S. repleti, certe optime S. Scripturam intellexerunt, et absque erroris periculo exponere potuerunt. Et cum a Christo ad docendum missi fuerint, ne officio suo deessent, absque dubio fidelibus ac praecipue discipulis suis rectum Scripturae sensum communicarunt. Non enim aliunde nisi ab Apostolis universalis iam primorum saeculorum mos repeti potest, s. libros in publicis Christianorum coetibus praelegendi et exponendi. Haec vero authentica Apostolorum interpretatio, quae ab hagiographis auctoribus conscripta non fuit, per traditionem conservata et propagata est: ac ideo omni iure asseritur, traditionem quoque hermeneuticam in Ecclesia existere (2).

Nota. Protestantes systema suum variis rationibus probare conantur, quas refutare oportet.

Obi. 1. Sacros libros satis claros esse, ipse Spiritus S. testatur. Nam Ps. XVIII, 9 dicitur: *Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos;* et Ps. CXVIII, 105: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* II Petr. I, 19: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco.* Quodsi prophetiae clarae sunt, tota Scriptura obscura non est.

Resp. Citatis locis alia S. Scripturae verba opponimus, quae illius obscuritatem indigitant. Propheta regius a Deo legis suae intelligentiam efflagitat, dicens: *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam* (3), in quae verba concinne S. Hieronymus ait: « Si tantus Propheta tenebras ignorantiae fatetur, qua nos putas parvulos, et pene lactentes inscitiae nocte circumdari (4)? » — In Epistolis autem paulinis *multa difficilia intellectu* esse, S. Petrus testatur. Ne ergo contradictio sacrae Scripturae adscribatur, omnino dicendum est S. Scripturam in nonnullis claram esse, e. g. in historiis, praeceptis moralibus, vel etiam, ut Petrus (5) innuit, in prophetiis de Christo; in aliis autem esse obscuram. — Praeterea sacri libri lucerna, seu lumen etc. vocantur ex effectu, quia fideles a legitimo magisterio eruditi, ex illis, quae agenda et vitanda sunt, clare percipiunt. Non autem ideo S. Scriptura privato cuiuslibet spiritui exponenda committitur, sed contrarium potius in V. et N. T. praescribitur. Nam Deut. XVII praecipitur populo, ut Sacerdotes tanquam legis interpretes consulat, et Eccli. VIII inquit sapiens: *Non te praetereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt a patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum.* Et II Petr. I, 20 grave monitum legitur: *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit.*

Obi. 2. S. Scriptura in levioribus et accidentalibus obscura, sed in essentialibus seu necessario credendis, uti sunt articuli fundamentales, satis clara est, ita ut quilibet ex illa fidei dogmata haurire possit.

Resp. Tritae huic obiectioni multa sunt, quae opponi possunt. Nam a) distinctio inter essentialia et acci-

(1) Vid. Klüpfel t. I proleg., §. 62, Not. 5. Perrone l. c. n. 159.

(2) Cf. Jarry Abhandlung von der Ueberlieferung §. II. Stolbergs G. d. Rel. J. Chr. 8. Bd.

(3) Ps. 118, 34. (4) Ep. ad Paulin.

(5) L. c.

dentalia in sensu adversariorum, seu inter articulos fundamentales et non fundamentales toti antiquitati ignota fuit. Argumenta allata in genere probant, S. Scripturam obscuram esse, quin inter essentialia et accidentalia distinctio fiat. Imo S. Petrus apertissime essentialia indigitat, cum de talibus loquitur, quae indocti et instabiles depravant ad propriam ipsorum perditionem. b) Protestantes inter se nullatenus consentiunt, dum quaeritur quaenam sint necessario credenda et quaenam non, seu quinam sint articuli fundamentales: ex quo apparet, etiam illa, quae necessario credenda dicuntur, tam clara non esse, ut veluti in omnium oculos incurrant. c) Id vel maxime per ipsam experientiam confirmatur. Constat enim inter varias Christianorum familias, quae omnes S. Scripturam ut fidei regulam venerantur, etiam in necessariis, et gravissimis veritatibus maximam dissensionem existere, e. g. circa modum Deum placandi post commissam culpam, circa opera bona et ad salutem requisita, circa media salutis, praecipue circa Eucharistiae sacramentum etc. Ergo etiam in necessaris et essentialibus S. Scriptura satis clara dici non potest.

Obi. 3. Si quae in S. Litteris obscura sunt, satis clara fieri possunt, si ab illis exponantur, qui regularum hermeneuticarum cognitione, linguarum orientalium peritia, et archeologiae studio muniti sunt.

Resp. Subsidia ista biblica, nunquam sane spernenda, nullatenus tamen sufficiunt ad debitam S. Scripturae intelligentiam comparandam. Nam a) quocunque modo quis illis instructus sit, attamen, si S. Scripturam exponit, non habetur nisi interpretatio auctoris privati, cui se nemo subiicere tenetur, nec omnino tuto fidere potest. b) Experientia docet, in cunctis Christianorum familiis plures variis temporibus extitisse, qui maximo labore subsidia sibi biblica compararunt: ast nihilominus in sacris Litteris exponendis maxime discrepantes, clare ostendunt, subsidia biblica non sufficere ad rectum S. Scripturae sensum rite determinandum. c) Si ad priora christianismi saecula respiciamus, comperimus, SS. Patres, Concilia et Ecclesiam generatim, dum de recto locorum S. Scripturae sensu agebatur, non ad subsidia biblica, sed semper ad traditionem recurrisse.

§. 192.

B. Argumenta historica.

Dum controversia de existentia traditionis divinae in N. T. agitur, stricte loquendo de facto historico quaestio movetur. Quaeritur enim, an Apostoli omnia, quae oretenus praedicaverant, conscripserint, vel non. Facta autem historica ex monumentis authenticis et testibus fide dignis probanda sunt. Omni ergo iure ad traditionis divinae existentiam probandam argumenta historica adducuntur, quae 1) *ex sanctis Patribus*, 2) *ex sensu Ecclesiae*, et 3) *ex ipsis adversariis* peti possunt.

§. 193.

I. Ex sanctis Patribus.

An Apostoli et Evangelistae omnia, quae Christus docuit, conscripserint, vel non, optime nosse potuerunt celeberrimi illi viri, qui aevo apostolico proximiores, doctrina et pietate conspicui, scriptis suis ecclesiam illustrarunt, et qui ideo iam ut testes historici omnem fidem merentur. Isti autem uno quasi ore, non omnia, quae ad fidem spectant, conscripta esse, testantur, et hac de causa traditiones orales maxime com-

mendant. Sic iam *S. Ignatius M.* monuit, teste Eusebio (1), fideles « ut sibi a pravis haereticorum opinionibus praecaverent, hortatusque est, ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhaererent. » — *S. Dionysius Areop.* sive quisquis est auctor antiquissimi operis de eccles. Hierarchia c. 1, de Apostolis loquens dicit: « Primi illi nostri muneris sacerdotalis duces . . . summa illa, et supersubstantialia documenta partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis nobis reliquerunt. » — *S. Irenaeus* (2) lamentatur, « haereticos neque scripturae iam, neque traditionibus consentire: » quibus verbis aperte duplicem cognoscendorum dogmatum fontem assignat. Et (3) dicit: « Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre. » Imo (4) clare asserit, si Apostoli Scripturas non reliquissent, per solam traditionem fidem rectam instrui posse, quod et actu fieri testatur apud multos populos barbaros, « qui in Christum credunt sine charta et atramento, scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes. » — *Tertullianus* (5) ait: « Christus Apostolis non revelavit doctrinam, nisi quam a Patre accepit; quaenam autem sit haec doctrina non aliter probari debet, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsis eis praedicando tam viva (quod aiunt) voce, quam per epistolas postea. Quae si ita sunt constat proinde, omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis Apostolicis conspirat, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit: porro nostra doctrina de Apostolorum traditione censetur; communicamus enim cum Ecclesiis apostolicis, quod nulla diversa doctrina, hoc igitur est testimonium veritatis. » — *Origenes* (6) dicit: « Servetur ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita et usque ad praesens in Ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica discordat traditione. » — *S. Cyprianus* tanquam axioma certum constituit, « ut si in aliquo nutaverit et vacillaverit veritas, ad originem dominicam et evangelicam, et apostolicam traditionem revertamur (7). » — *Eusebius Caes.* (8) ait: « Ad imbecillitatem multorum se demittentes Apostoli, partim litteris, partim sine litteris, quasi iure quodam non scripto servanda commendarunt. » — *S. Basilius* (9) scribit: « Ex asservatis in Ecclesia dogmatibus alia quidem habemus e doctrina scripto prodita, alia vero recepimus ex traditione Apostolorum, quorum utraque vim eandem habent ad pietatem, nec iis quisquam contradicet. » — *S. Gregorius Nyss.* (10) inquit: « Sufficit ad nostri sermonis demonstrationem, quod habemus a Patribus venientem ad nos traditionem, velut haereditatem quandam per successionem ab Apostolis per sanctos sequentes transmissam. » — *S. Chrysostomi* testimonia iam (§ 190 n. 2) adducta fuerunt. — *S. Epiphanius* (11) inquit: « Sed et traditione quoque opus est; neque enim ex Scripturis peti possunt omnia; idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt. » — *S. Hieronymus* (12) dicit: « Etiamsi Scri-

(1) L. 3 hist. eccl. c. 36.
(2) L. 3 adv. haer. c. 2.
(3) Ibid. cap. 3. (4) Ibid. cap. 4.
(5) De praescript. c. 21.
(6) Lib. 1 Periarch. n. 2.
(7) Epist. 74 ad Pompei
(8) Lib. 1 dem. ev. c. 8
(9) L. de Spir. S. cap. 27, n. 66.
(10) Orat. III, c. Eunom. (11) Haer. 61.
(12) Dial. c. Luciferianos, c. 4.

pturae auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtineret; nam et multa alia, quae per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptae legis usurpaverunt.» — *S. Augustinus* (1) scribit: « Illa autem, quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis . . . commendata, atque statuta retineri. » Idem (2) ait: « Si Ecclesia fere tota consentiat, non inaniter eam credidisse censendum est, undecunque illud traditum sit, etiamsi canonicarum scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas. » — *Vincentius Lirin.* (3) haec habet: « Duplici modo fidem munire quisque debet, primo scilicet divinae legis auctoritate, tum deinde Ecclesiae catholicae traditione. » Sic passim Patres traditionis divinae existentiam agnoscunt.

Nota. Adversarii varias Patrum sententias nobis obiiciunt, quibus vel traditiones reiicere, vel solam Scripturam ut revelationis fontem assignare videntur. Ad tales autem difficultates solvendas sequentia monet Cl. Klüpfel (4): « Notandum est generatim 1) Patres, dum reiiciunt traditiones, loqui non de divinis, sed spuriis et commentitiis; 2) dum asserunt, esse ab Apostolis scripta, quae praedicarunt, sensum esse, non contraria scripsisse et praedicasse; 3) dum scribunt, nihil esse asserendum sine Scripturarum testimonio, referri id genus dictiones oportere ad peculiare argumentum, in quo versabantur, non ad omnia fidei dogmata. 4) Idem respondendum est, dum affirmant, Scripturam satis esse. 5) Largiendum est, quod Patres indigitant, inveniri in Scripturis sacris omnia dogmata fidei et morum, quae videlicet credenda sunt ab omnibus fide explicita; » vel (quod addendum est) ipsorum sensus est, omnia *mediate* in Scripturis contineri, quia ipsa S. Scriptura traditionem ut revelationis fontem assignat (5).

(1) Epist. 54 ad Ianuar.
(2) Epist. 164 ad Evod.
(3) In suo Commonit.
(4) L. c. § 51 not.
(5) Cf. Nat. Alex. diss. in Saec. II. Billuart Curs. theol. t. 7, diss. 2, art. 2. Perrone l. c. qui n. 337 etc. obiecta Patrum dicta singillatim explanat. Zimmer Sect. II, cap. III.
(6) In Epist. de Syn Nic. decretis.

§. 194.

II. Ex sensu Ecclesiae.

Sicut Patres singuli, sic Ecclesia generatim omni tempore consuevit, non ex sola Scriptura, sed potissimum ex traditione fidei dogmata stabilire. Id probat clarissime historia Conciliorum, quae ideo praecipue coacta fuerunt, ut cognoscatur quaenam traditio vel constitutiva, vel hermeneutica in Ecclesiis vigeat. Quanti momenti traditio in sacris synodis habita fuerit, antiquissima monumenta probant. Sic e. g. *S. Stephanus* R. P. controversiam cum Cypriano in synodo romana diremit dicens: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est.* — In Concilio *Nicaeno* ex traditione definitiones depromptas fuisse, testatur *S. Athanasius*, qui (6) sic Arianos alloquitur: « Ecce nos quidem a Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc regulam demonstravimus, vos autem novi Iudaei et filii Caiphae, quem auctorem doctrinae vestrae nominare potestis? » — Concilium *Ephesinum* declarat, *valde catholicum et fidei consonum, optimumque esse Patrum testimonia proferre, quorum nonnulli Martyres, alii Confessores, omnes catholici presbyteri fuerunt, et in vera fide permanserunt.* — Concilium *Chalcedonense* Eutychen non condemnavit, nisi prius plurima loca ex latinis et graecis Patribus

legisset, et declarasset consentiendum esse cum doctrina Patrum. — In Concilio *Constantinopolitano III* Macarius, monothelita, qui, ut errorem suum defenderet, SS. Patrum et Conciliorum codices corrumpere ausus est, hoc de crimine convictus et depositus est: S. Synodus vero (1) dogma catholicum *secundum SS. Patrum doctrinam* definivit. — Concilium *Nicaenum II* contra iconomachos dogmata de sanctorum et sacrarum imaginum cultu ex traditione potissimum hausit et definivit; cum hac de re sat perspicua Scripturarum testimonia non haberentur. — Concilium generale VIII *Constantinopolitanum IV* (2) expresse statuit: *Sanctiones apostolicas Ecclesiae catholicae per traditionem acceptas servandas esse et custodiendas, tenemus.* — Huic universali et constanti Ecclesiae consensui inhaerens Concilium *Tridentinum*, se eodem modo, ut S. Scripturas, etiam traditiones divinas suscipere et venerari profitetur. Ait enim (3): *Omnes libros tum V. quam N. T. cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu S. dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur sacra Synodus;* additque: *Si quis traditiones praedictas sciens et prudens contemserit, anathema sit.*

Nota. Male nonnulli Concilii tridentini verba intelligunt, dicentes, concilium non definivisse, traditiones divinas actu existere, sed solum declarasse, has, si existant, suscipiendas et venerandas esse. — Contrarium sane ex ipsis Concilii verbis apparet. Concilium enim cum S. Scripturis V. et N. T. actu existentibus coniungit traditiones, quas se pari pietatis affectu ac reverentia suscipere et venerari profitetur. Imo iam in praecedentibus verbis, loquens de divina revelatione, a Christo per Apostolos nobis communicata, expresse dicit: *Hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu S. dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt.* — Hic sane Concilium non hypothetice, sed absolute loquitur, et divinarum Traditionum existentiam contestatur. Ideo in citata Concilii verba animadvertit D. Pallavicini (4): « Duo per illam sanctionem intendit Synodus; — alterum palam facere, fidei catholicae fundamenta non modo esse divinas litteras, quod recentes haeretici pertinaciter contendebant, sed non minus etiam Traditiones, a quibus denique dependet, quidquid certi obtinemus de legitima ipsarum Scripturarum auctoritate. » Denique S. Synodus etiam practice Traditionum divinarum existentiam professa est dum varia dogmata, e. g. de invocatione sanctorum, de cultu reliquiarum et sacrarum imaginum etc. ex Traditione stabilivit. Ideo etiam canon, in Traditionum impugnatores vibratus, inane et vanum fulmen dici nullatenus potest (5).

(1) Act. 18. (2) Act. 10. can. 4. (3) Sess. IV. (4) Hist. Conc. trid. l. 6, c. 8. Cf Klüpfel t. I proleg. §. 55.

§. 195.

III. Ex adversariis.

Historia docet, priscis iam temporibus haereticos, e. g. Valentinianos, Novatianos, Pelagianos, Monothelitas, non solum ad Scripturas, sed etiam ad traditiones appellasse ut falsa sua dogmata tuerentur: quorum temeraria conamina ostendunt duplicem revelationis fontem tunc tem-

poris agnitum fuisse. Recentioribus temporibus Protestantes se acerrimos traditionum adversarios ostenderunt, solam Scripturam ut revelationis fontem agnoscentes; ast nihilominus ipsi quoque *practice*, et hincinde etiam *theoretice* divinarum traditionum existentiam admittunt, et confirmant.

1. Protestantes enim varia dogmata nobiscum tenent, quae tamen ex S. Scriptura peti nequeunt. Sic admittunt divinam s. librorum inspirationem, quae tamen ex sola Scriptura haud sufficienter probatur (1). Canonem quoque, qui ex ipsa Scriptura nullo modo determinari potest (2), nonnisi iuxta regulam traditionis statuunt; nam ideo ab initio libros deuterocanonicos reiecerunt, quia non constabat, hos semper ubique et ab omnibus ut divinos agnitos fuisse. Protestantes ergo primarium et unicum, quem agnoscunt, revelationis fontem traditioni debent. — Licet iuxta ea, quae in Evangeliis leguntur, in lotione pedum, a Christo peracta et apostolis commendata, omnia ad sacramentum constituendum requisita adesse videantur, tamen Protestantes aeque ac Catholici in illa sacramentum non agnoscunt, traditionem sequentes, quae sola nos edocet, gratiam cum isto ritu externo non pro omni tempore coniunctam fuisse. — Praeterea legem quoad abstinentiam a sanguine et suffocato non divinam, sed apostolico-humanam fuisse, atque ideo abrogari potuisse, et diei sabbati diem dominicam substitutam fuisse, tum Catholicis, tum Protestantibus ex sola traditione innotescit. Admittunt demum Protestantes, exceptis Anabaptistis, valorem paedobaptismi, et credunt cum Catholicis valere baptismum ab haereticis vel infidelibus collatum, quod tamen ex sacris Bibliis probari haud potest Ergo Protestantes in his aliisque dogmatibus practice traditionem amplectuntur, quam theoretice reiiciunt.

2. Imo non desunt inter Protestantes, qui etiam theoretice traditionis existentiam et necessitatem professi sunt. Ipse *Lutherus* suae quasi doctrinae oblitus (3) scribit: « Periculosum et horrendum est, quidquam audire, vel credere, quod adversatur unanimi testimonio fidei et doctrinae sanctae et catholicae Ecclesiae, quam illa inde ab initio per annos plus mille quingentos servavit. » — *Melanchton* ad Cratonem medicum Uratislaviensem ait: « Existimo, ad confirmandas mentes consensum vetustatis plurimum valere, et optimi magistri et duces esse possunt Irenaeus, Tertullianus, Augustinus, qui plurima huius generis posteritati reliquerunt: ex his monumentis quivis cognoscere poterit, ipsos imprimis adhibuisse fidei regulam. Huic adiungebant piorum atque eruditorum suffragia, consensumque Ecclesiarum apostolicarum, quas ab ipsis Apostolis vel apostolicis viris originem duxisse constabat. » — *Hugo Grotius* inquit: « Quae Protestantes tuentur, ea non sunt omnia ad verbum in sacris litteris. Dicunt, admittendas esse consequentias, et ipsi consequentias admittunt ex privato cuiusque ingenio; unde tot et tam gravia apud ipsos dissidia et quotidiana divortia. — Catholici vero eas admittunt consequentias, quas admisit vetus Ecclesia antiquo et universali consensu. Atque ita stat omne verbum in duobus testibus - in Scriptura et traditione, quae mutuo facem sibi adlucent (4). » — *Gerhardus Molanus* suam alio-

(1) § 175 Not.
(2) V. Moehler Symbolik § 41.
(3) In Epist. ad Marchionem Brandenb.
(4) In Annot. ad Consultat. Cassandri.

rumque sui coetus sententiam de traditione exponens ait: «Protestantes moderatiores admittunt, non solum Scripturam sacram ipsam nos traditioni debere, sed et in articulis fundamentalibus genuinum et orthodoxum Scripturae sensum, ut multa alia Calixto, Hornio, Chemnitio dudum memorata, ex traditione duntaxat cognoscibilia taceam.» — Plura eiusmodi acatholicorum testimonia referunt Wiest (1), Klüpfel (2), Perrone (3).

Nota. Contra traditionem, ut revelationis fontem consideratam maxima difficultas ex eiusdem natura et incommodis peti solet. Aiunt enim: cum memoria humana labilis et fallax sit, et cum ea, quae de ore ad os transeunt, facile mutentur, amplificentur, corrumpantur, vel etiam pedetentim in omnimodam oblivionem veniant, traditio oralis aptum medium non est ad revelationem divinam conservandam et propagandam, et si qua talis statuatur, ianua omnibus erroribus aperta erit. — — Ad hanc autem difficultatem solvendam, plura responderi possunt. — Nam 1) eadem fere difficultas contra S. Biblia moveri posset: scripta enim monumenta etiam saepissime corrumpuntur. Sola igitur, ut omnes fateri tenentur, divinae providentiae protectio efficere potuit, ut libri divini post tot conatus tum Ethnicorum ad illos delendos, tum haereticorum ad illos corrumpendos, nobis puri et integri servarentur. Eadem ergo omnipotentis et sapientissimi Dei providentia efficere potest, ut traditiones quoque purae et integrae ad nos perveniant. Neque de hac divinae providentiae actione dubitari potest, si iam ex certis argumentis constat, Deum voluisse, pro revelatione benignissime concessa, praeter Scripturam etiam Traditionem ut fontem constituere. 2) Admissa Traditione ut revelationis fonte erroribus ianua aperiretur, si media apta ad illam puram conservandam et propagandam non darentur, et si regulae certae non adessent, quibus traditiones vere divinae a spuriis et falsis secernerentur: talia autem media apta et tales regulas certas dari in sequentibus articulis ostendetur. 3) Mota ab adversariis difficultas falso supposito innititur, ac si traditio solum per privatorum hominum, seu plebis sermocinationes propaganda sit. Aliter omnino res concipienda est, cum traditio ab illis praecipue propaganda dicatur, qui utpote doctrina et pietate conspicui, ceu Rectores Ecclesiarum statuuntur, et qui publice doctrinam revelatam christianis coetibus proponere tenentur. Neque id asseritur, doctrinam revelatam, quam traditam vocamus, nullo modo conscriptam esse. Negatur tantum, illam in libris canonicis contineri, sed non negatur, illam conscriptam fuisse a doctis piisque viris, qui certe non minorem quam alii scriptores historici fidem merentur. 4) Omnis demum difficultas solvitur, omneque periculum, erroribus, propter traditiones ut divinas habitas, ianuam aperiendi penitus removetur, si certo constet, Ecclesiam talem esse doctrinae revelatae custodem et interpretem, qui falli et fallere non possit. Id autem inferius probabitur (4).

(1) T. 3, § 94. (2) L. c. § 54.

(3) L. c. n. 354.
(4) Cf Perrone l. c. n. 408-428.

ARTICULUS IV.

De Traditionis divinae conservatione et propagatione.

§. 196.

Doctrina pro omnium temporum et locorum hominibus revelata, sed in canonicis libris non contenta, a-

liis mediis sat aptis et securis in Ecclesia conservata et propagata fuit. — Huiusmodi media praecipua sunt: 1. *continua Episcoporum in Ecclesiis successio*, et 2. *scripta SS. Patrum*, quibus 3. *alia inferioris generis media addenda sunt.*

§. 197.

I. De continua Episcoporum successione.

Cum Apostoli felicissimo successu Evangelium praedicarent, multas variis in regionibus Ecclesias fundarunt, quibus sacros rectores praefecerunt, qui *Episcopi* nominati sunt. Sic Paulus Timotheum Ephesi, et Titum Cretae Episcopum constituit. Hinc factum est, ut quaelibet singularis Ecclesia praesulem suum seu Episcopum haberet, cui defuncto alius substituebatur. Exinde enata est in Ecclesiis nunquam interrupta series Episcoporum, ad quos munus docendi praecipuo modo spectabat. Haec autem ipsa continua Episcoporum successio aptissimum et maxime securum medium constituit ad Traditionem divinam puram conservandam et propagandam, quod *ipsa rei natura probat*, et *tota antiquitas agnovit.*

1. Apostoli certe non alios ceu Ecclesiarum antistites posuerunt, nisi illos, quos circa doctrinas revelatas probe eruditos, et pietate conspicuos cognoscebant; nam, ut testatur *S. Clemens Rom.*: « Primitias eorum, quos per spiritum comprobaverant, Episcopos instituebant(1). » Post mortem Apostolorum idem mos conservatus fuit, ita ut plerumque viri, doctrina et pietate illustriores societatibus Christianorum praeficerentur. Ideo saltem maxima ex parte, qui ad episcopatum promovebantur, docti piique viri erant, qui certe genuinam Christi doctrinam corrumpere *non voluerunt*, sed sicut continuo vigilarunt pro integritate S. Scripturae (quod ipsi Protestantes fateri coguntur), sic etiam omnem curam adhibuerunt, ne verbum traditum corrumperetur. Ipsis enim persuasum erat, quam pretiosum depositum sit incorrupta doctrina christiana, cuius amore et existimatione permoti non pauci diras persecutiones, vel ipsam mortem tolerarunt. Hanc ergo doctrinam illi corruperint, qui inter cetera bona hoc primum esse putabant, ut integritatem illius a tot corruptoribus fidei infestatam summa virtute tuerentur? — quale iam motivum ipsos ad corrumpendam fidei doctrinam adigere potuit, cum per tam nefarium scelus nonnisi orthodoxorum contemtum et odium, vel etiam suspensionem, excommunicationem, degradationem in hac, et horrendum iudicium in altera vita exspectare debebant? — Imo, etiam si voluissent, tamen *non potuissent* traditionem corrumpere. Nam in Ecclesia, in qua Episcopus docebat, semper adhuc tales aderant, qui antecessorem audierant, et probe in religionis veritatibus instructi erant, qui ideo non tacuissent, sed reclamassent, si nova dogmata prioribus adversa audivissent. Sic in Ecclesia Alexandrina ob doctrinam Arii, et in Ecclesia Constantinopolitana ob doctrinam Nestorii plebs vehementer commota et pene ad rebellionem concitata fuit; pluraque alia turbarum et tumultuum exempla in documentis historiae occurrunt. Ergo Episcopus ne in propria quidem Ecclesia sine tumultu traditionem corrumpere potuisset; et multo minus id in aliis Ecclesiis, quibus alii Episcopi praeerant, efficere valuit. Imo nec plures Episcopos, in unum errorem conspirantes, apostolicam traditionem infringere posse ostendunt concilia-

(1) Ep. I ad Cor. c. 42.

bula Arianorum et vana conamina Pelagianorum, Donatistarum, Monothelitarum etc. Ex qua consideratione patet, continuam Episcoporum in Ecclesiis successionem medium satis aptum et securum esse ad traditionem divinam puram conservandam et propagandam (1).

2. Legitima successio Episcoporum, ad quos munus docendi primo loco spectat, semper ut praecipua ac ordinaria via habita est, qua doctrina divinitus tradita pura conservetur, et propagetur. Ipse Paulus hanc viam assignat dum ab Episcopo requirit, *ut potens sit exhortari in doctrina sana et eos, qui contradicunt, arguere* (2), et dum Timotheo inculcat, ut traditam sibi doctrinam ut *bonum depositum* custodiat (3); et postea addit: *Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* (4). Ideo antiquissimi Patres ad hanc Episcoporum continuam successionem appellant, quam pro norma statuunt veram doctrinam dignoscendi. Sic *S. Irenaeus* (5) dicit: « Traditionem itaque Apostolorum, toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre. » — Cuius asserti redditurus rationem, subdit: « Habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his (haereticis) deliratur. » Quod confirmat inductione successionis in Ecclesia Romana, Smyrnensi, Ephesina, aliisque ab Apostolis, vel apostolicis viris fundatis; ac tandem praecipit (6): « Eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obedire oportet his, qui successionem habent ab Apostolis, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt: reliquos vero, qui absistunt a principali successione, et quocunque loco colligunt, suspectos habere, vel quasi haereticos et malae sententiae. » — Idem sentit *Tertullianus*, qui eodem argumento sui temporis haereticos impugnat, et (7) sic eos provocat: « Edant origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctoritatem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae apostolicae census suos deferunt. Sicut Smyrnaeorum Ecclesia habens Polycarpum a Ioanne collocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit. Proinde utique et ceterae exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatu constitutos apostolici seminis traduces habent. » — *Origenes* (8): « Nos illis (haereticis) credere non debemus, nec exire a prima et ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiae Dei tradiderunt nobis. » — Huc spectat etiam locus S. Gregorii Nyss. (§. 193) citatus.

Nota. Episcopi vel in concilio collecti, vel per orbem dispersi per consensum extraconciliarem dogmata catholica proponere, et controversias dirimere possunt. De hoc vero duplici modo consensum legitimorum Episcoporum cognoscendi agitur inferius in tractatu de subiecto ecclesiasticae infallibilitatis (9).

(1) Zimmer sect. II, cap. 4, §. 71 et §. 72.
(2) Tit. 1, 9.
(3) Ib. 2, 2.
(4) II Tim. 1, 14.
(5) Lib. III adv. haer. c. 3.
(6) Lib. IV, cap. 26.
(7) Lib. de Praescript. cap. 32.
(8) In Matth. serm. 46.
(9) Cf. Wiest t. III, §. 329.

§. 198.

II. De scriptis SS. Patrum.

Scriptorum ecclesiasticorum, qui SS. Patrum nomine veniunt, *notio* declaranda, *auctoritas* ostendenda, et rectus in Theologia dogmatica *usus* monstrandus est.

1. Nomine SS. Patrum intelliguntur celeberrimi illi viri, qui doctrina et sanctitate conspicui in prioribus christianis saeculis scriptis suis Ecclesiam illustrarunt. Ad sanctum Patrem ergo constituendum tria requiruntur, nimirum *antiquitas*, ut aevo apostolico proximior fuerit, — *doctrina*, seu *scientia*, qua dogmata ab Apostolis tradita rite perspexerit, et - *sanctitas vitae*, ut constet, eum nonnisi vera conscribere voluisse. In sensu strictiori solummodo sex primorum Ecclesiae saeculorum scriptores docti et sancti usque ad Gregorium M. inclusive Patres nominantur. In sensu vero latiori usque ad saeculum duodecimum scriptores religiosa scientia et pietate excellentes Patres nuncupantur, quorum praeclarum agmen S. Bernardus claudit. — Patres, quorum scripta quoad dogmata fidei et morum ab Ecclesia approbantur et commendantur, per antonomasiam Ecclesiae doctores appellantur. Tales sunt quatuor in Ecclesia orientali, nempe *S. Athanasius, S. Basilius, S. Gregorius Naz. S. Io. Chrysostomus:* olim etiam in Ecclesia occidentali quatuor numerabantur; nimirum *S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Hieronymus* et *S. Gregorius M.;* his autem tres solemniter appositi sunt, videlicet a Benedicto XIV *S. Leo M.*, a Pio VIII *S. Bernardus*, et a Pio IX *S. Hilarius.*

2. Auctoritatem SS. Patrum tum *rectae rationis iudicium*, tum *S. Scripturae effatum*, tum *universalis ecclesiae consensus* commendant. Nam ipsa sana ratio dictat illis testibus credendum esse, qui debita scientia et veracitate pollent. Tales autem sunt SS. Patres, uti ex eorundem notione apparet; pro sua enim scientia dicta et facta Christi ac Apostolorum, Religionem revelatam concernentia, probe cognoverunt, et pro sua sanctitate nonnisi vera posteris communicare voluerunt. Recte igitur *Melchior Canus* ait: « In SS. Patribus mendacium suspicari quod ad memoriam sempiternam transferre illi scribendo voluerint, piaculum est. Magnis quippe, praeclarisque virtutibus viri sanctissimi atque optimi id consequi meruerunt, ut in rebus eiusmodi, quas vel spectasse se, vel ab aliis fide dignis, qui spectarint, se audiisse testati sunt, fides omnino illis habeatur (1). » — Magnam esse in rebus fidei SS. Patrum auctoritatem ipsa S. Scriptura testatur: nam S. Paulus (2) dicit: *Ipse* (Deus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores - donec occurramus omnes in unitatem fidei, — ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae.* — Deus ergo non solum Apostolos, Evangelistas, Prophetas, Pastores, i. e. Episcopos, sed etiam Doctores, i. e. SS. Patres adesse voluit ad unitatem et firmitatem fidei obtinendam. — Ideo universalis Ecclesia in rebus fidei maximi semper fecit auctoritatem Patrum. Sic Concilium *Ephesinum* declaravit, posteris nihil aliud credendum esse, quam quod *sacra sibi consentiens SS. Patrum tenuisset antiquitas.* Concilium *Chalcedonense* (3) ait: *Sequimur SS. Patres et Doctores S. Ecclesiae, et omnia, quae ab his de fide recta, et ad condemnationem hae-*

(1) De loc. theol. (2) Eph. 4, 11. (3) P. III, c. 1.

reticorum conscripta sunt, suscipimus. Concilium *Constantinopolitanum III* (1) Patrum decreta ut regulas fidei proponit, eorumque dicta *secunda eloquia Dei* appellare non dubitat. Concilium *Toletanum* decimum quintum docuit: *Quidquid creditur contra SS. Patres, intelligitur aberrare a regula rectae fidei.* Concilium *Nicaenum II* ita conclamat: *His, qui reiiciunt SS. Patrum voces, quae ad confirmationem rectorum dogmatum Ecclesiae Dei pronuntiatae sunt... Anathema sit* (2).

3. Pro recto SS. Patrum in Theologia dogmatica usu sequentia potissimum notanda sunt: — a) Sicut Apostoli sub duplici respectu considerandi sunt, nimirum ut *praecones revelationis*, et ut *praesules ecclesiastici*, sic etiam, ut egregie monet Cl. *Perrone* (3), duo in Patribus apprime secerni debent, quae passim permisceri consueverunt, qualitas nempe, ut ita dicam, *testis*, et qualitas *doctoris*. Interdum enim Patres suis in scriptis se testes exhibent traditionis et doctrinae Ecclesiae, quae aetate, qua quisque floruit, obtinebant; interdum vero disputatoris ac theologi partes sustinent, qui fidei articulos enarrant, tuentur ac multiplici ratione vindicant, doctrinam etiam Ecclesiae illustrant, consecutiones deducunt, comparant, modum denique, quo eadem doctrina ab ipsis subiective concipiatur, tradunt, uti a doctoribus nostris theologiae explanatoribus fieri solet. — Si ut testes doctrinae revelatae, et ab Ecclesia ad credendum propositae loquuntur, consensus eorum certum ad dogma probandum argumentum praebet. Si autem tanquam doctores privatos se gerunt, venerationem quidem merentur tantam, quantam uniuscuiusque eorum antiquitas, doctrina ac sanctitas exposcit; talis nihilominus non est illorum auctoritas, ut, si graves praesertim rationes id postulent, piaculum sit, debita semper reverentia, ab eorum placitis discedere, ut e. gr. in nonnullis, quae in Patrum scriptis inveniuntur privatis opinionibus et exegeticis Scripturarum expositionibus, quae non omnibus probantur. — Indicia, ex quibus iudicari potest, Patres ut testes revelationis loqui, sunt potissimum sequentia: 1) si id expresse affirment, uti fit, dum adhibent verba professionem fidei exprimentia, e. g. credimus, confitemur, Christus dixit, vel iussit, Apostoli tradiderunt, credit, vel tenet Ecclesia: 2) si aliquot doctrinae caput tanquam certum et exploratum et in Ecclesia receptum exhibent: 3) si in catechesibus et sermonibus, praecipue ad cathecumenos vel neophitos habitis, haec adseruerint Patres, haecque illis inculcaverint ut credenda: 4) si vix nova exorta sententia in illam statim exsurgant tanquam in errorem, aut haeresin receptae in Ecclesia doctrinae adversantem: 5) si omnes, aut plerique saltem eiusdem aetatis conspirent in proponendo aliquo articulo uti Ecclesiae ac fidei doctrina, aut in dogmatica alicuius Scripturae textus expositione afferenda, quod et de moribus similiter, seu de doctrina morali debet intelligi (4). b) Ex dictis apparet, ad dogma ex SS. Patribus certo probandum, duo requiri: 1) ut eorum consensus sit uniformis et universalis, et 2) ut non tanquam doctores privati, sed tanquam fidei testes dogma proponant. Dum vero consensum Patrum unanimem requirimus, consensus iste non *mathematice*, sed *moraliter unanimis et universalis* intelligitur, i. e. talis, qui sufficienter docet, et

(1) Act. 10. (2) Apud Gennad. p. 547.

(3) L. c. n. 431 etc.
(4) Perrone l. c. Wiest t. III, §. 333.

probat in aestimatione hominum, qualis fuerit Ecclesiae fides; atque indubitatum est, quod sufficienter constet de Ecclesiae fide, si sequens obtinet *Cardinalis Perronii* (1) regula, quae etiam a Benedicto XIV approbata est, scilicet: « Tunc unanimis consensus Patrum cumulate probatus aestimari debet, cum singularum nationum eminentissimi in alicuius rei adsertione consentiunt, ita ut inter illos nemo qui semper orthodoxus, semper orthodoxis adhaesit, dissentiat. » Iuxta hanc regulam non sufficit, unum vel alterum Patrem citare, sed ad dogma probandum plurium consensus ostendendus est. Magni autem momenti est, ut consensus Doctorum Ecclesiae orientalis et occidentalis monstretur. Unius quoque Patris auctoritas maximi ponderis est, si constet ipsius doctrinam ab universa Ecclesia receptam et approbatam fuisse, uti ex. gr. constat de iis, quae *S. Athanasius* contra Arium, *S. Augustinus* contra Pelagium, *S. Cyrillus Alex.* contra Nestorium scripserunt. c) Si Patres dissentiunt circa doctrinam ad religionem spectantem, et si neutra pars ab Ecclesia damnata fuit, signum est, hac in re certam revelationem non dari, et doctrinam ad fidei dogmata non spectare. In tali autem sententiarum diversitate non tam ad Patrum numerum et auctoritatem, quam potius ad pondus argumentorum, quae pro sua sententia afferunt, attendendum est.

Nota. Dantur nonnulli, qui ob defectum sanctitatis stricte loquendo Patribus adnumerari non possunt, uti sunt e. g. *Tertullianus*, *Origenes*, *Eusebius Caesariensis*, et alii. Iuste tamen ipsorum testimonia in Theologia dogmatica adducuntur ratione habita tum antiquitatis, tum doctrinae, qua eminuerunt. Neque sanctitas Tertulliano defuit, antequam in haeresin Montani laberetur, atque ideo ipsius libri ante lapsum conscripti tuto citari possunt. Origenem quoque vitam sanctam egisse, historia tradit; imo fides quoque ipsius theoretica a multis defenditur, qui ab eiusdem discipulis scripta magistri corrupta et interpolata fuisse contendunt. Eusebius in historia aevi christiani, arianismo prioris, iuxta omnes eminet.

(1) In resp. ad Regem Angliae.

§. 199.

III. De reliquis mediis.

Praeter recensita alia quoque media dantur, fidem veteris Ecclesiae doctrinamque primis iam in saeculis vigentem cognoscendi. Ad hoc sequentia haud parum inserviunt.

1. *Acta martyrum*, quorum plurima collegit ac genuina probavit Cl. *Ruinart*, nobis exibent fidem, quam omnis generis, aetatis et conditionis Christiani publice coram iudicibus ethnicis professi sunt. Acta ista magnae sunt auctoritatis, quia plerumque publica auctoritate confecta, et in sacris Christianorum coetibus, praesulibus inspectantibus, praelecta fuerunt. Ex istis ergo dogmata cognosci possunt, quae illis temporibus firmissime crediderunt Christiani: sic e. g. ex confessionibus martyrum Christianorum in tribus primis saeculis fides de divinitate Christi invicte probatur (2).

2. *Symbola*, vel pro Ecclesia universali, vel pro Ecclesiis particularibus orthodoxis confecta, cum non contineant nisi brevem expositionem praecipuorum dogmatum, ad explicite credendum propositorum, plurimum conferunt ad Ecclesiae traditionem cognoscendam: sic e. gr. ex symbolis apertissime colligitur, Christianos orthodoxos semper cre-

(2) V. Klüpfel Lib. I Theol. dogm., §. 29.

didisse in Deum, qui est unus in essentia, et trinus in personis.

3. Ad dogmatum notitiam in animis fidelium conservandam magno etiam emolumento sunt *ritus* et *festa*, quibus certae quaedam doctrinae annectuntur, et quorum occasione populus christianus circa easdem veritates instrui consuevit. Tali modo plurimorum dogmatum fides in viva Christianorum memoria conservata fuit. Sic e. g. *Baptismus* in remissionem peccatorum etiam infantibus collatus doctrinam de transfusione peccati originalis in mentem revocat, *Eucharistiae* perceptio, tum fidem de reali Christi in hoc sacramento praesentia, tum memoriam passionis et mortis Christi excitat, *Festum Paschatis*, et diei *dominicae* pro sabbato celebratio resurrectionem Christi ante oculos ponit, *Festum Pentecostes* missionis Spiritus S. et gratiarum ab ipso effusarum solemnis recordatio est (1).

4. *Libri* publica Ecclesiarum auctoritate editi optime earundem fidem testantur. Tales sunt *libri symbolici*, qui summam doctrinae christianae exhibent, *libri rituales et liturgici*, qui publicas Ecclesiae orationes modumque sacrosanctum Eucharistiae sacramentum offerendi continent, et *libri sacramentales* seu *sacramentaria*, in quibus materia, forma et numerus sacramentorum, ritusque in eorum administratione observandi determinantur. Iam *S. Augustinus* ex publicis Ecclesiae orationibus dogma de efficacia et necessitate gratiae contra Pelagianos probavit. Sic pariter ex variis liturgiis ratio sacrificii in Eucharistia, dogma de transsubstantiatione, perpetuusque pro defunctis orandi usus ostendi potest. Legendi sunt hac de re *Muratorius* (2), *Mabillon* (3), *Renaudotius* (4), *Assemanus* (5). *Card. Bona* (6), *Binterim* (7).

5. *Haeretici* quoque traditionis et fidei in Ecclesia vigentis testes sunt tum in eo quod retinent, cum sese ab Ecclesia separant, tum in eo quod impugnant. Etenim haeretici ante proprias innovationes in Ecclesia catholica instituti sunt ac enutriti; cum vero nonnisi in quibusdam peculiaribus articulis, quos aut negant, aut invehunt, a veritatis semita aberrent, his demtis, reliqua profiteri pergunt cum Ecclesia catholica. Quapropter in articulis omnibus, quos communes cum Ecclesia habent, testes sunt avitae illius fidei, quae in Ecclesia obtinebat, quando ipsi ab ea digressi sunt, aut ab ea fuerunt expulsi. Hinc quo antiquiores haeretici sunt, eo illustrius testimonium perhibent veritatum, quas Ecclesia professa est. Verum non minus luculentum antiquae Ecclesiae catholicae fidei et avitae traditionis argumentum suppeditant haeretici in ea parte doctrinae, quam ipsi adhorti sunt. Quandoquidem nisi illa doctrina in Ecclesia uniuscuiusque sectae aetate invaluisset, eam nunquam impugnassent haeretici, neque ut novatores ab Ecclesia damnati fuissent et reiecti. Sic e. g. Ariani fidem Ecclesiae tum de unitate Dei, tum de divinitate Christi ostendunt; nam in priori dogmate, in quo cum Catholicis consenserunt, a nemine impugnati sunt, in posteriori vero, quod negarunt, acerrimos adversarios inter Catholicos nacti et ideo ceu haeretici damnati sunt. Hanc ob causam *historia ecclesiastica* et praecipue *historia dogmatum* ad Ecclesiae traditionem cognoscendam magna emolumenta affert.

(1) Cf. Frint. t. III, §. 272.
(2) De rebus liturg
(3) De liturg. gallic.
(4) Liturgiarum orientalium collectio.
(5) Codex liturgicus Ecclesiae universae.
(6) Rerum liturg. lib:
ten der christkath. Kirche.

6. Denique *antiquissima monumenta*, uti e. g. epigraphia, seu inscriptiones, picturae, statuae vetustae, numismata priorum temporum et alia hincinde inservire possunt ad veteris Ecclesiae fidem cognoscendam (1).

ARTICULUS V.

Traditionis divinae characteres.

§. 200.

Sicut magni momenti est, ut non Scripturas apocriphas pro canonicis veneremur, sic etiam plurimum interest, ut non traditiones humanas et spurias pro divinis suscipiamus. Quemadmodum autem characteres, seu regulae extant, Scripturam apocrypham a divina secernendi, sic etiam characteres, seu regulae dantur, quibus traditiones divinae ab humanis et spuriis dignoscantur. Ad id diiudicandum duae regulae statui solent, quarum prior *positiva*, altera *negativa* dici potest.

§. 201.

I. Regula positiva.

Regulam positivam, quae certa traditionis divinae criteria assignat, statuit *Vincentius Lirin.*, dum in suo Commonitorio dicit, id absque ulla dubitatione esse credendum, atque ceu dogma divinitus revelatum, ad divinam traditionem meritissime referri oportere, « quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Quod quidem fit, si sequamur universalitatem, antiquitatem et consensionem. » Cum hoc effato convenit etiam sententia S. *Augustini*, qui (2) dicit: « Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur. » — Ratio huius regulae est, quia constans et universalis Ecclesiae consensio circa aliquam doctrinam explicari non potest, nisi dicatur, ipsos Apostolos hanc praedicasse, et ad credendum ut fidei dogma proposuisse. — Imo statuta regula infallibilem traditionis characterem exhibet, si attendatur (quod inferius probatur) fieri non posse, ut Ecclesiae omnes omnium temporum et locorum in errorem fidei oppositum prolabantur, vel ut tanquam verbum Dei venditent opiniones humanas, institutave mere ecclesiastica: quod nunquam fore, certi sumus ex divinis promissionibus (3): *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Regula autem Vincentii Lirin., ut recte applicetur, declaratione indiget (4).

1. Ut doctrina divinitus tradita censeatur, ante omnia opus est ut a Christo et Apostolis originem ducat. Ideo in regula dicitur id pro traditione divina habendum esse « quod semper creditum est » et antiquitatem nos sequi debere. Non autem opus est, ut omnium saeculorum a Christo usque ad nos fides ostendatur, sed sufficit ut consensus Patrum aut Ecclesiarum trium, aut quinque priorum saeculorum evincatur, quibus traditio divino-apostolica optime innotuit. Quodsi probatum sit, eandem fidem, quae in istis saeculis viguit, nostris quoque temporibus vigere, iam exinde constat, doctrinam revelatam in saeculis intermediis corruptam non fuisse. Ceterum traditio omnium saeculorum usque ad saeculum decimumquartum circa pleraque dogmata exhibetur in *Thesauro Coccii*. Idem fere usque ad S. Bernardum praestat Bibliotheca manualis SS. Patrum a *Tricaletio* edita.

(1) Cf. Perrone de locis theol. p. II, sect. II, cap. 2 et 3.
(2) Lib. 4 de bapt. cap. 24, n. 31.
(3) Matth. 16, 18.
(4) V. Klüpfel Proleg. §. 53.

2. Ut constet, aliquid « semper et ubique creditum esse, » non requiritur, ut omnes ad unum Patres, et omnes omnino Ecclesiae consentiant. Non enim singulis concessum est non errandi privilegium, sed Ecclesiae universae. Quare ipse *Vincentius Lirin.* universalitatem et consensionem in doctrina explicans subdit: « Consensionem sequimur, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium sacerdotum et magistrorum definitiones, sententiasque sectemur. — Quodsi in ipsa vetustate duorum, vel trium hominum, vel certe civitatis unius, aut etiam provinciae alicuius error deprehendatur, tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati, vel inscitiae ecclesiae universalis decreta praeponantur. » — Neque opus est ad consensum evincendum, ut omnes Patres, et Ecclesiae in testimonium adducantur, sed sufficit, ut ex variis regionibus quidam citentur, de quibus constat, ipsorum doctrinam non solum non reprehensam, sed potius in honore habitam, laudatam et receptam fuisse: tunc enim fides Ecclesiae in illis temporibus iam satis secure colligi potest (1). — Ut autem ostendatur, aliquid ab omnibus et ubique creditum esse, validissimum argumentum praebet *Ecclesiae orientalis et occidentalis consensus*. Iam enim mature universalis Christi Ecclesia in duas veluti partes divisa fuit, nempe in Ecclesiam orientalem, seu graecam, et in Ecclesiam occidentalem, seu latinam. — Prior gaudebat praerogativa antiquitatis, quia de Sion exivit lex, et verbum Domini de Ierusalem, et Apostoli in Oriente iam Ecclesias fundaverant, quando in Occidentem pervenerunt. Posterior vero insignita erat praerogativa iurium et potestatis, quia totius orbis christiani primatem in se continebat. Ideo hae duae unius Ecclesiae partes, licet per plura saecula per fidem et caritatem coniunctae, nihilominus ad se invicem aemulae extiterunt, sibi invicem invigilarunt, ac se invicem, ut historia docet, propter quamlibet mutationem vel innovationem liberrime reprehenderunt, quapropter una Ecclesia ab altera nova dogmata certe non suscepisset. Si ergo pro quadam fidei doctrina Ecclesiae orientalis et occidentalis consensus probatur, invictum habetur pro traditione divino-apostolica argumentum. Idem praestat etiam *consensus Ecclesiae graeco-schismaticae cum latina*. Graeci enim schismatici post lugendam scissionem certe novum dogma a latinis confictum non suscepissent. Dogmata ergo, in quibus modo cum Ecclesia latina consentiunt, absque dubio iam tunc cognoverunt et crediderunt, cum ab Ecclesia catholica recesserunt, et sic eorundem consensus pro doctrinae antiquitate et universalitate egregium testimonium praebet (2). Sic e. g. antiquitas et universalitas fidei de necessitate confessionis auricularis ex consensu et praxi Ecclesiae graeco-schismaticae probatur.

3. Traditio divina cognosci et ab humano-apostolica, seu ecclesiastica distingui potest tum *ex modo*, quo ut divinitus revelata, et de fide credenda proponitur (3), tum persaepe etiam *ex ipsa materia*, quae constanti et universali veterum consensu divulgatur. Si enim tali modo dogma sit propositum, cuius institutio humanae potestatis limites excedit, et si in verbo Dei scripto diserte non habetur, omnino ex traditione divina istud repeti debet. Minime enim est opinandum, cum novae post Christum revelationes agnoscendae non

(1) Cf. § 198, n. 5, 1. b.

(2) Dobmayr l. c. § 108.
(3) Cf. § 198, n. 3.

sint, arrogasse sibi, aut usurpasse Ecclesiam ius statuendi ea, quae solius divinae sunt potestatis. Haec regula valet imprimis cum de sacramentis agitur, quorum institutio, materia et forma ecclesiasticam transgreditur potestatem.

Nota. Notatu digna sunt, quae circa regulam Vincentii Lirin. animadvertit Cl. Perrone. Ait enim: « Celeberrimum Vincentii Lirinensis effatum, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est, esse tenendum . . . non est intelligendum nisi in sensu, ut dicunt, *positivo*, quatenus nempe, quod semper, ubique et ab omnibus creditum est, non possit non esse verum, aut non ex traditione apostolica descendere, non autem in sensu *negativo*, ita ut verum, aut certum non sit censendum quidquid semper, ubique et ab omnibus creditum saltem explicite minime fuerit; alioquin actum esset de authenticitate et canonicitate omnium librorum, quos deuterocanonicos dicimus, quod prorsus absurdum est, atque a Vincentii Lirin. mente omnino alienum, qui profecto non ignorabat agitatas adhuc sua aetate, vel paulo ante controversias circa sacrorum librorum canonicitatem, et aliunde constat, sexcenta fuisse ab Ecclesia definita, quae prius, nondum ortis haeresibus, quae solemnes huiusmodi definitiones provocarunt, nonnisi implicite credebantur (1). » Fieri sane omnino potuit, ut doctrina quaedam, licet ab Apostolis tradita fuerit, tamen in nonnullis Ecclesiis particularibus non satis cognosceretur, vel e fidelium memoria elapsa fuerit: haec autem nihilominus saltem implicite credebatur, quoniam Ecclesiae orthodoxae ita affectae erant, ut implicite crederent omnia, quae tanquam divinitus revelata tenet Ecclesia universalis docens. — Hinc inde etiam contingit, ut nobis solummodo monumenta desint ad Ecclesiarum consensum, quamvis actu adfuerit, evincendum. Nulla enim causa urgente quandoque dogmata quae ut revelata cognoscebantur et credebantur scriptis non exarabantur, nec publicis monumentis inserebantur, quod tunc demum factum est, cum ab heterodoxis impugnari coeperunt.

(1) Tom. I, pars altera prop. III; Not. ad n. 58.

§. 202.

II. Regula negativa.

Ad traditiones divinas referri ea nullatenus possunt, quae vel sacrae Scripturae, vel rectae rationi, vel antiquiori traditioni aperte repugnant, vel quorum origo humana certo ostendi potest.

1. Cum enim Deus sibi contradicere non possit, nullo modo admittendum est, eum alia per sacram Scripturam proponere, alia per rationem dictare, alia per traditionem docere. Doctrinae ergo S. Scripturae et rectae rationi aperte repugnantes ut spuriae sunt reiiciendae.

2. Cum traditio divina a Christo et Apostolis repetenda sit, antiquiori semper traditioni insistendum est. Recentiorem ergo traditionem reiicere oportet, quae antiquiori repugnat. Hanc regulam non attendit, atque ideo in gravem errorem prolapsus est *Cyprianus*, qui circa valorem baptismi, ab haereticis collati, traditionem, ante 40 circiter annos sub Agrippino praedecessore suo incipientem, secutus, antiquiorem reiecit.

3. Demum si certo constat, doctrinam quandam vel institutionem longe post aevum apostolicum coepisse et non a Christo et Apostolis, sed ab aliis auctoritate tantum humana vel ecclesiastica introductam fuisse,

apertissimum signum est, eandem ad traditionem divinam non spectare.

Nota. Si consideramus iam tum modos satis securos traditiones divinas conservandi et propagandi, tum regulas satis certas, divinitus tradita ab humanis et spuriis secernendi, manifesto apparet perperam Protestantes clamitare, admissa traditione, ut divinae Revelationis fonte, cunctis erroribus ianuam aperiri. Sicut enim ad distinguendas scripturas canonicas ab apocryphis, sic etiam ad distinguendas traditiones veras a falsis, genuinas a spuriis, divinas ab humanis media et regulae dantur. Ast non negamus, rationi humanae exoptatissimum esse, ut magisterium publicum, Spiritus S. assistentia directum, existat, quod, sicut de sacrorum librorum canonicitate ac recto sensu, sic etiam de traditionibus divinis iudicium infallibile ferat.

§. 203.

Usus doctrinae.

Ex proposita iam doctrina sequentia nostra officia manant: a) Grato animo agnoscamus benignitatem Dei, providamque illius curam, quod non una, sed duplici via, nimirum sacra Scriptura et Traditione ad coelestium dogmatum notitiam adducere nos voluerit, ut de divinis veritatibus certiores effecti non haesitemus in fide, neque in evangelicis promissionibus diffidamus. — b) Summo, quo par est, studio parique pietatis affectu amplectamur, quaecunque Apostoli tradiderunt sive viva voce, sive calamo: his enim ex fontibus omnis sanctioris doctrinae cognitio accuratior ad nos dimanavit. c) Veteres christiani populi magistros, traditionis testes, de omni re christiana, nostrisque de commodis praeclare meritos, ut par est, revereamur, et quia Deus cum S. Scriptura Traditionem ut alterum Revelationis fontem coniunxit, nos quoque cum lectione S. Scripturae lectionem SS. Patrum coniungamus. Magna profecto emolumenta affert assidua SS. Patrum lectio, ex qua rectam S. Bibliorum expositionem, doctrinas tum dogmaticas, tum morales, tum asceticas ac demum genuinam sacrae eloquentiae indolem addiscere possumus. Ad hoc commendari praecipue merentur homiliae, quas S. Chrysostomus in varios S. Scripturae libros exaravit.

SECTIO II.

DE PRINCIPIO RELIGIONIS CHRISTIANAE REGULATIVO, SEU DE ECCLESIA ET DE RECTO RATIONIS USU IN NEGOTIO RELIGIONIS REVELATAE ET THEOLOGIAE.

§. 204.

Probata iam divinae Revelationis existentia, illiusque genuinis fontibus assignatis, summo studio inquirendus est modus, quem observare oportet ad coelestia dogmata tuto, et recte ex praedictis fontibus haurienda, seu, - cognito Religionis christianae *principio constitutivo*, in quo doctrinae a Christo revelatae continentur, indagandum est eiusdem *principium regulativum*, per quod doctrinae a Christo revelatae recte percipiuntur et pertractantur. Investigandum ergo venit, an, et qualem modum divinus Religionis christianae Auctor praescripserit, quo omnes ad genuinam doctrinarum coelitus patefactarum notitiam pertingere possint ac debeant. In hac vero inquisitione patebit, Christum Ecclesiam instituisse, et in illa magisterium sacrum ordinasse talibus conspicuis dotibus exornatum, ut, sicut omnes se illi subiicere tenentur, sic ipsi etiam tuto acquiescere possint. Nullatenus autem Chri-

stus omnem rationis usum in Religionis a se revelatae negotio interdixit, sed sapientissime humanae rationi hac in re tum varia iura concessit, tum debitos limites stabilivit. Sicut ergo Religionis christianae principium constitutivum est verbum Dei scriptum et traditum, sic eiusdem *principium regulativum primarium* est *Ecclesia, principium vero regulativum secundarium* dici potest *humana Ratio*. De utroque hoc principio regulativo in hac Theologiae generalis parte disserendum est (1).

Nota. Ex dictis colligitur, quomodo ad claram, completam, solidam et efficacem Religionis christianae cognitionem perveniatur: scilicet - auctoritas Dei theologiam constituit, Ecclesia dirigit, ratio adiuvat. Quam in rem egregie S. Augustinus (2) ait: « Contra rationem nemo sobrius, contra Scripturam nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus senserit (3) ».

DISSERTATIO I.

De Ecclesia.

§. 205.

Omnes homines ad Religionem colendam obligari, ad hanc iunctis viribus tendere, et hanc ob causam in societatem visibilem, in regnum divinum morale, seu in Ecclesiam coalescere debere, iam in theoria rationali de Religione (§ 49) probatum est. Ipsa ideo ratio convenientissimum esse iudicat, ut etiam in Religione revelata, quae Religionem naturalem non destruit, sed perficit, eundemque Deum auctorem habet, hoc idem contingat, et ut propterea in illa praeter Symbolum et Codicem - Hierarchicon quoque divina auctoritate statuatur. — Id autem Religionis christianae divinum auctorem actu perfecisse, argumenta luculentissima probant. Christus enim 1) *regnum divinum morale, seu Ecclesiam in terris vere fundavit;* 2) *in hac non solum magisterium authenticum et infallibile;* 3) *sed etiam imperium sacrum instituit;* 4) *eandem visibilem esse voluit*, ita, *ut membra dignoscerentur;* ac denique 5) *talibus notis eam insignivit, ut vera Ecclesia semper a qualibet falsa secerni possit.* — Haec iam omnia in sequentibus capitibus exponenda, probanda, et contra adversariorum conamina vindicanda sunt.

Nota. Ecclesia, nomen graecum, ethymologice non significat nisi *convocationem, concionem, coetum*. Ideo pro quacunque hominum congregatione sumi potest; sic e. g. sumitur pro turba: (4) *Erat Ecclesia confusa, et plures nesciebant, qua ex causa convenissent*, - et pro conventu improborum (5): *Odivi Ecclesiam malignantium*. Pervetusta autem consuetudine factum est, ut Ecclesiae nomen solummodo coetibus religiosis, seu collectionibus hominum, eandem Religionem profitentium, attribueretur. Ideo hoc nomine etiam coetus heterodoxe sentientium appellari consueverunt: e. g. *Ecclesia anglicana, Ecclesia graeca* etc. Imo in ipsa S. Scriptura, etiam dum de orthodoxe sentientibus sermo est, Ecclesiae nomen non in eodem sensu, seu potius non in eadem extensione adhibetur. Significat enim vel populum et pastores simul (6), vel populum solum (7), vel pastores solos (8), vel universam fidelium multitudinem (9), vel eiusdem partem (10), vel singulares familias (11).

(1) V. Fejer Inst. theol. dogm. t. I, §. 4.
(2) L. 4 de Trin. cap. 6.
(3) Cf. Dobmayr t. IV, Append. §. 5.
(4) Act. 19, 32. (5) Ps. 25, 5.
(6) I Cor. 1, 2, et II Cor. 1, 1.
(7) Act. 20, 28. (8) Matth. 18, 17.
(9) Matth. 16, 18. (10) I Petr. 5, 13.
(11) Rom. 15, 5. Col. 4, 15. Phil. 2.

— In praesenti autem tractatu de Ecclesia universali sermo est, quae a *Bossueto* dicitur: « Societas hominum veram Christi Religionem profitentium », a *Bellarmino* vero, et communiter a Theologis catholicis definitur: « Coetus hominum unius et eiusdem fidei christianae professione, et eorundem Sacramentorum participatione coniunctus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac praecipue Romani Pontificis, a Christo institutus ». Hanc definitionem rectam esse, et quoad omnes suas partes legitimam ex iis ipsis apparebit, quae in sequentibus capitibus de vera Christi Ecclesia dicuntur. Caeterum tractatio ista eo maioris momenti est, quo plures, et quo graviores circa theoriam de Ecclesia errores nostris temporibus circumferuntur.

CAPUT I.

DE ECCLESIAE INSTITUTIONE, ATQUE DIVISIONE.

§. 206.

I. Ecclesiae institutio.

Christus, dum sanctissimam Religionem suam hominibus annuntiaret, voluit quoque, ut in externam societatem coalescant, et quidem in societatem talem, quae pro maxima sua extensione *regnum*, et pro fine suo spirituali *societas religiosa*, seu *regnum divinum morale*, seu *Ecclesia* dici debet. Ecclesiam hoc in sensu a Christo institutam esse, tum *ex vaticiniis V. T.* tum *ex Christi verbis*, tum *ex Christi factis*, tum *ex ipsa historia* probari potest.

1. Messiam societatem magnam, imo regnum amplissimum instituturum esse, quod non tam ad temporalem quam ad spiritualem hominum felicitatem dirigatur, prophetae V. T. satis clare praedixerunt. Sic e. g. Messias (1) ait: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, praedicans praeceptum eius;* et Deus ad ipsum dicit: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae: reges eos in virga ferrea* (2). Et Isaias (3) loquens de temporibus Messiae dicit: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini* (i. e. Ecclesia Messiae) *in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem.* His verbis Ecclesiae a Messia instituendae maxima amplitudo, eiusdemque finis spiritualis clare indigitatur. Huius autem amplissimae societatis Rex supremus, et quidem spiritualis ipse Messias dicitur (4): *Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis: super solium David, et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in iudicio, et iustitia amodo, et usque in sempiternum.* Iuxta vaticinia V. T. ergo Messias Ecclesiam instituturus erat (5). Sed Christus est verus Messias in V. T. praenuntiatus (6), ergo Christus Ecclesiam instituit, seu regnum divinum morale fundavit.

2. Christus, cum in terris versaretur, saepius vel expressis verbis, vel sub parabolarum involucro de Ecclesia a se instituenda locutus est. Nam (7) ait: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Et (8) de correctione fraterna agens inquit: *Si te non audierit (frater tuus) adhibe tecum adhuc unum,*

(1) Ps. 2, 6. (2) Ps. 2, 8 etc.
(3) Cap. 2, v. 2 et 3. (4) Isa. 9, 7.
(5) Cf. §. 115, n. 8, et §. 118 Not.

(6) P. II, cap. IV, art. IV.
(7) Matth. 16, 18.
(8) Matth. 18, 16 etc.

vel duos -- quodsi non audierit eos, dic Ecclesiae, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus. Per Ecclesiam hic non quaevis congregatio, aut communitas intelligitur, sed coetus talis, qui reum iudicare et punire possit; intelligit nempe Christus per Ecclesiam illos societatis a se institutae rectores, quibus v. immediate sequenti dicit: *Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* — Christus praeterea se pastorem vocat, illos autem, qui vocem eius audiunt, oves in ovili congregatas (1), et dein addit (2): *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.* Christus autem ovibus suis, quarum summus pastor et rector existit, non temporalem, sed spiritualem felicitatem promittit; ait enim (3): *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me: et ego vitam aeternam do eis.* — In variis quoque parabolis Christus Ecclesiam nominat *regnum* propter multitudinem congregatorum, et *regnum coelorum* ob finem spiritualem. Sic. e. g. regnum coelorum, i. e. Ecclesiam militantem in terris assimilat *agro* (4), in quo zizania crescunt cum tritico, *patrifamilias* (5), qui conducit operarios in vineam suam, *regi* (6) ad nuptias filii congreganti multos in domum suam. Denique Christus interroganti Pilato, an Rex esset, *respondit Iesus: Tu dicis, quia Rex sum ego* (7); sed iam antea declaraverat: *Regnum meum non est de hoc mundo* (8).

3. Si magnus hominum numerus congregatur, ut ad finem spiritualem, i. e. ad Dei glorificationem, ad moralem perfectionem, aeternamque salutem coniunctis viribus tendant, si ideo ipsis non solum Symbolum et Codex, sed etiam Hierarchicon praescribitur, et si tandem omnes uni summo Rectori subsunt; omnia profecto requisita adsunt ad societatem religiosam, i. e. ad Ecclesiam, seu ad Regnum divinum morale constituendum. — Haec autem omnia a Christo vere peracta fuisse, ipsa S. Scriptura testatur. Christus enim statim ab initio praedicationis suae plures sibi discipulos adiunxit, quibus praecepit, ut coniunctis viribus ad Dei glorificationem, ad moralem perfectionem aeternamque salutem tendant. Ait enim ad illos: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est* (9), atque inferius (10) inquit: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est*, et (11): *Thesaurizate vobis thesauros in coelo*, et (12): *Intrate per angustam portam, quae ducit ad vitam.* Ad hunc nobilissimum finem tum Symbolum, tum Codex Christi dirigitur (§. 124 et §. 125). — Christus porro etiam Hierarchicon proposuit; nam *vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis (quos et Apostolos nominavit)* (13). His gravissimum munus docendi omnes gentes, et baptizandi (14) imposuit; his potestatem ligandi, et solvendi (15), peccata remittendi, et retinendi (16) concessit, reliquis vero fidelibus ipsos audiendi praeceptum dedit (17). Sicut autem Christus universae huius spiritualis societatis est auctor, sic eiusdem semper manet supremus

(1) Io. cap. 10, v. 14. (2) V. 16.
(3) Ibidem v. 27 etc. (4) Matth. 13, 24 etc.
(5) Ib. 20, 1 etc. (6) Ib. 22, 2 etc.
(7) Io. 18, 37. (8) Ib. v. 36.
(9) Matth. 5, 16. (10) V. 48.
(11) Matth. 6, 20. (12) Matth. 7, 13.
(13) Luc. 6, 13. (14) Matth. 28, 19.
(15) Matth. 18, 18. (16) Io. 20, 22 etc.
(17) Luc. 10, 16.

Dominus et Rector. Ideo Paulus, qui saepius Ecclesiam cum corpore comparat, huius caput Christum dicit. Ait enim (1): *Et ipse* (Christus) *est caput corporis Ecclesiae;* ac (2): *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius.* Si iam haec facta Christi rite perpendantur, dubitari haud potest, ipsum Ecclesiam instituisse, seu regnum divinum morale vere fundasse.

4. Ecclesiam christianam existere, et a temporibus Christi usque ad nos semper extitisse, historia testatur. Ex actibus enim Apostolorum (3) discimus, primos statim fideles in coetum peculiarem adunatos fuisse, cui Apostoli praeerant. Errant ergo, qui dicunt, primos Christianos a Synagoga distinctos non fuisse. Nam (4) dicitur, post mortem s. Stephani persecutionem magnam factam esse *in Ecclesia, quae erat Ierosolymis*, et (5) Saulum *Ecclesiam* devastasse. An forsan in Synagoga facta est haec persecutio, aut an Saulus Synagogam devastabat? — Christianos semper non solum per fidem internam, sed etiam per signa externa a Iudaeis et Gentilibus distinctos fuisse, et specialem Societatem constituisse, omnes historici sacri et profani testantur, atque ipsae persecutiones in Ecclesiam christianam motae, sectae ab ipsa recedentes, concilia in illa habita et multa alia antiquitatis monumenta confirmant. Ideo autem haec hominum eandem Religionem profitentium societas in omni tempore *Ecclesia christiana* nuncupata est, quia Christum ipsum ceu auctorem et rectorem suum semper venerabatur.

Nota. Ex propositione hactenus probata duo summi momenti corollaria sequuntur: a) Si enim Ecclesia a Christo est instituta, dici omnino debet societas *legalis*, atque ideo iuxta prima iuris principia Ecclesiae indoles, et constitutio ab ipsa Christi voluntate et ordinatione repeti debet: aperta enim esset contradictio, si Christi Ecclesia diceretur illa societas, quae naturam suam, et formam a Christo non haberet. b) Ex eodem principio sequitur, naturam et constitutionem, quam Ecclesia a Christo accepit, immutari non posse. Qui enim Ecclesiae formam essentialem, a Christo statutam, mutaret, aliam construeret Ecclesiam, et societas, hoc modo statuta, non esset ea Ecclesia, quam Christus instituit, sed alia a priore diversa (6).

§. 207.

II. Ecclesiae a Christo institutae praecipua divisio.

Societas dicitur *aequalis*, si vi institutionis omnibus sociis eadem iura et munera competunt, *inaequalis* vero, si iam in ipsa institutione uni, vel pluribus, iura et munera adiudicantur, caeteris non concessa. — Christus autem Ecclesiam instituit non ut societatem aequalem, sed ut societatem inaequalem, ita ut in illa alii sint, qui doceant, alii, qui discant, alii, qui imperent, alii, qui obediant. In Apostolis enim *magisterium authenticum*, et *imperium sacrum* fundavit, quod in sequentibus capitibus probatur. Praecipua ergo Ecclesiae divisio, ex ipsa divina ordinatione profluens, est in Ecclesiam *docentem* et *discentem*, seu in *imperantem* et *obedientem*. Caeterum Christum non aequalem, sed inaequalem societatem instituisse, tum *ex iis, quae fecit et dixit Christus*,

(1) Coloss. 1, 18. (2) Ephes. 1, 12.
(3) C. 2, v. 42-46, c. 4, v. 23 etc. c. 5, v. 12 etc.
(4) Act. 8, 1. (5) Ib. v. 3.
(6) Cf Liebermann t. II, p. I, cap. I, art I. Perrone de locis theol. p. I, s. I, c. I.

tum *ex iis, quae scripta leguntur de Apostolis,* tum *ex continua Ecclesiae persuasione et praxi* iam praevie probari potest.

1. Christus statim ab initio praedicationis suae, cum plures discipulos sibi aggregasset, ex his aliquos speciali auctoritate insignivit. Nam *vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit* (1). Apostolus autem iuxta vocis significationem *Missum* seu *Legatum* denotat. Hos specialiter alloquens dixit: *Vos estis sal terrae; quod si sal evanuerit, in quo salietur? -- vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita; neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt* (2), quibus verbis clare indicatur, Apostolos in eminentiori gradu in Ecclesia constitutos esse. Christus ideo his varia privilegia concessit. Nam *convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem* (3). *Hos duodecim misit Iesus praecipiens eis, dicens... euntes praedicate dicentes: quia appropinquavit regnum coelorum* (4). Quantae porro sint auctoritatis, declaravit dicens: *Qui vos recipit, me recipit, et qui me recipit, recipit eum, qui misit me* (5). His duodecim dedit potestatem ligandi et solvendi (6), peccata remittendi et retinendi (7), docendi et baptizandi (8). His quoque dixit: *Sicut me misit Pater, et ego mitto vos* (9); et alibi: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israël* (10). Imo Christus ipsos quoque Apostolos non omnes aequales, sed unum caeteris eminentiorem esse voluit, scilicet Petrum, quem fundamentum Ecclesiae constituit (11), cui claves regni coelorum tradidit (12), et cui soli dixit: *Pasce agnos meos, — pasce oves meas* (13). Dubitari ergo nullatenus potest, Christum Ecclesiam ut societatem inaequalem instituisse.

2. Hoc idem testantur Apostoli, qui ex divina ordinatione discrimen inter Ecclesiam docentem et discentem, imperantem et obedientem repetunt. Sic Paulus scribit (14): *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores* -- et dein quaerit: *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetae? numquid omnes Doctores?* — Idem alibi docet, in Ecclesia varios gradus distinguendos esse, prout in corpore humano varia membra secernuntur. Ait enim (15): *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Paulus praeterea, sicut Ecclesias fundavit, sic iisdem etiam Rectores seu Episcopos praefecit (16), quorum potestatem a divina ordinatione repetit, iisdem acclamans: *Vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (17). De se ipso autem dicit: se esse Apostolum *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem* (18). Petrus munus pascendi non omnibus, sed senioribus, i. e. Episcopis atque presbyteris adiudicat; ad hos

(1) Luc. 6, 13.
(2) Matth. 5, 13 etc.
(3) Matth. 10, 1 etc.
(4) Ib. v. 5.
(5) Ib. v. 40.
(6) Matth. 18, 18.
(7) Io. 20, 23.
(8) Matth. 28, 19.
(9) Io. 20, 21.
(10) Luc. 22, 28 etc.
(11) Matth. 16, 18.
(12) Ib. v. 19.
(13) Io. 21, 15, etc.
(14) I Cor. 12, 28 etc.
(15) Rom. 12, 4 etc.
(16) Act. 14, 22.
(17) Act. 20, 28.
(18) Gal. 1, 1.

enim scribit: *Pascite qui in vobis est gregem Dei* (1). Ergo et Apostoli Ecclesiam ut societatem inaequalem proponunt.

3. Historia docet, semper, ubique et ab omnibus creditum fuisse, Ecclesiam ex ipsa institutione Christi sic ordinatam fuisse, ut docentes a discentibus, imperantes ab obedientibus distinguerentur. Ideo ubique semper Pastores et Doctores constituti sunt, et magna cura habita fuit, ut Episcoporum in Ecclesiis sibi succedentium series nunquam interrumperetur. Qui legitimis Pastoribus se subiicere recusarunt, ceu schismatici habiti et damnati sunt. Imo Aerius saeculo quarto ut haereticus damnatus fuit, quia discrimen inter Episcopos aliosque presbyteros negare est ausus. Continua ergo inter fideles persuasio fuit, Ecclesiam ex ipsa Christi institutione societatem inaequalem esse.

Nota. Variae divisiones Ecclesiae in Theologis occurrere solent. Ecclesia, si ut universum regnum Christi morale consideretur, quod etiam illos complectitur, qui gratia divina ornati e vita iam excesserunt, dividitur in *triumphantem*, quae est coetus beatorum in coelo, in *militantem*, quae est coetus fidelium in terra, et in *purgantem*, quae est coetus animarum in purgatorio detentarum, ut a maculis suis laventur. — In praesenti autem tractatu nonnisi de Ecclesia militante sermo instituitur. Haec autem dividitur in *repraesentativam*, quae est coetus Pastorum, qui in concilio uniti universam Ecclesiam repraesentant; et in *syntheticam*, quae totam fidelium multitudinem designat. Quid Ecclesia *universalis*, quid *particularis* sit, ipsa nomina satis declarant. Dividi quoque solet Ecclesia in *externam* et *internam*. Ad externam Ecclesiam omnes pertinent, qui rectam fidem tenent et profitentur, de sacramentis participant, et legitimis pastoribus subsunt; internam autem Ecclesiam illi constituunt, qui praeter notas praedictas etiam gratia sanctificante ornati sunt. Ex quo apparet, neminem esse in Ecclesia interna, qui non spectet ad externam, licet multi sint in Ecclesia externa, quin pertineant ad internam. Haec ergo divisio longe differt ab illa Protestantium, qui Ecclesiam in *visibilem* et *invisibilem* ita dividunt, ut dicant, homines ad Ecclesiam invisibilem spectare posse, quin Ecclesiae visibili adscripti sint: quam divisionem in tali sensu admitti non posse, capite quarto ostendetur (2).

(1) 1 Petr. 5, 2.

CAPUT II.

DE ECCLESIAE INFALLIBILITATE.

§. 208.

Momentum doctrinae.

Cum Ecclesia societas legalis sit, in qua omnia ab auctoris ipsius institutione et ordinatione repetenda sunt, maximi profecto momenti est, ut cognoscatur, an et qualem Christus doctrinae suae e coelis allatae interpretem ac controversiarum fidei iudicem statuerit. Sicut enim ad lites componendas ante omnia opus est, ut legitimus iudex cognoscatur, cui utraque pars se subiicere teneatur, sic etiam, cum de doctrinis revelatis, seu de fidei dogmatibus disceptatur, nil magis necessarium est, nisi ut legitimum tribunal, seu magisterium inquiratur, cui omnes se submittere teneantur. Hoc statuto et ab omnibus admisso, controversiae finirentur, imo et erroribus aditus praecluderetur. Ast hac in re Protestantes et omnes heterodoxae sectae a Catholicis penitus dissentiunt, atque ideo controversiae, quae cum

(2) V. Klüpfel t. II, lib. II, §. 114.

ipsis circa fidem aguntur, vix dirimi possunt, nisi ante omnia systematis catholici veritas vindicetur. Solidissimis autem argumentis probari potest, veram esse sententiam Catholicorum, qui dicunt, Christum in Ecclesia *magisterium authenticum*, et quidem *magisterium infallibile* instituisse, cui omnes se subiicere tenentur, et tuto acquiescere possunt, quod ex dicendis clare apparebit.

§. 209.

Propositio prima.

In Ecclesia adest magisterium authenticum.

Tribunal authenticum illud dicitur, quod a legitima potestate, e. g. a Caesare, Rege, Principe ad exortas in societate lites dirimendas constitutum est, cui ideo omnia societatis membra se subiicere tenentur. Sicuti autem in qualibet bene ordinata societate civili pro causis temporalibus tribunalia authentica, ab omnibus audienda, constituuntur, sic etiam Christus in sua societate religiosa *tribunal*, seu *magisterium* constituit, quod Religionem ab ipso revelatam doceat, eiusdem fontes interpretetur, et exortas circa fidem controversias dirimat. Id autem *ex variis Christi effatis, ex doctrina et praxi Apostolorum*, et *ex omnium saeculorum, aevo apostolico succedentium, persuasione* probatur.

1. Christus, quamdiu in terra versatus est, ipsemet doctrinam suam coelestem hominibus annuntiavit. Cum autem in coelum ascensurus esset, munus docendi non omnibus tradidit, sed selectis a se viris, i. e. Apostolis, quos plurium annorum spatio erudierat. Ad hos enim dixit: *Euntes docete omnes gentes -- docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis.* Dubitari ergo non potest, ius et officium docendi ea, quae Christus docuit, traditum fuisse Apostolis, qui personam moralem, collegium, seu magisterium constituebant, usque ad consummationem saeculi, uti ipsa Ecclesia, perduraturum. In ipso autem munere docendi etiam ius et officium continetur Revelationis fontes interpretandi et fidei controversias dirimendi. Quid enim est, Revelationem interpretari et fidei controversias dirimere, nisi docere ea, quae Christus docuit? — Sicut ergo magisterium, in Apostolis fundatum et in successoribus continuandum, ius et officium docendi a Christo accepit, sic etiam authenticus Revelationis interpres et legitimus fidei controversiarum iudex constitutus fuit.

(1) Luc. 10, 16. Cf. Matth. 10, 40.

2. Id maxime confirmatur ex obligatione gravissima, quam Christus reliquis fidelibus imposuit, magisterium a se institutum audiendi, seque illi subiiciendi. Ad illos enim, quos ad docendum misit, dixit: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me* (1). Quis igitur hoc magisterium authenticum esse negabit, cum ipsius Christi personam exhibeat? — Ideo gravissimi criminis reus declaratur, qui se Ecclesiae iudicio non subiicit, dicente Christo: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus* (2).

3. Idem confirmatur ex munere pascendi, Apostolis commisso. Petro enim Christus dixit: *Pasce agnos meos, — pasce oves meas;* et ad Seniores Petrus scribit: *Pascite qui in vobis est gregem Dei* (3). Dantur ergo ex divina ordinatione in ovili Christi, seu in Ecclesia Pastores. Pastoris vero in societate religiosa est, fidelibus pabulum doctrinae praebere, et ab ipsis lupos arcere, i. e. fa-

(2) Matth. 18, 17.
(3) Io. 21, 15 etc. I Petr. 5, 2.

sas doctrinas spargentes dignoscere, iudicare et condemnare. Ad apostolos ergo eorumque successores ex Christi ordinatione spectat munus docendi, Revelationis fontes interpretandi, ac fidei controversias dirimendi.

4. Magisterium a Christo institutum esse, ut Sancti consummentur, i. e. ut Christiani ad perfectam Religionis notitiam perducantur, et sic corpus Christi, i. e. Ecclesia aedificetur, claris verbis docet Paulus, de Christo scribens (1): *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi,* etc.

5. Apostoli, voluntatis Christi optimi interpretes, factis ipsis ostenderunt, munus docendi ad se pertinere. Memores enim mandati a Christo accepti (2) *profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* (3). Praedicationem quoque suam ut unicam credendi normam proposuerunt (4), et contra doctores, quibus ipsi non mandaverant, protestati sunt (5). Et cum inter Christianos ex Iudaismo et Gentilismo conversos magni momenti controversia enata esset, an legalia Mosis adhuc obligent, nec ne, Apostoli, licet singuli infallibiles fuissent, tamen pro norma futurorum saeculorum Concilium Hierosolymis habuerunt, controversiam diremerunt (6), et ab omnibus subiectionem exegerunt: nam paulo post Paulus *perambulabat Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias, praecipiens custodire praecepta Apostolorum et Seniorum* (7). Sic ergo Apostoli per ipsam praxin ostenderunt, ad quosnam spectet dogmata christiana definire et controversias fidei dirimere.

6. Ut magisterium authenticum perenne in Ecclesia maneat, Apostoli munus docendi, quod a Christo acceperant, in alios transtulerunt; ideo constituerunt *per singulas civitates presbyteros* (8), quibus Paulus dixit: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (9). Ad rectum autem Ecclesiae, societatis religiosae, regimen, ius et officium genuinam doctrinam proponendi et fidei controversias dirimendi praecipue pertinere, dubitari nequit. Ipse sane Paulus iisdem Episcopis vigilantiam inculcat, ne doctrina Christi per fallaces doctores, quos lupos *rapaces, non parcentes gregi* vocat, corrumpatur (10). Idem Timotheo, cui Ecclesiam ephesinam regendam tradidit, munus docendi maxime commendat, dicens: *Praedica verbum, insta opportune, importune - - opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple* (11). Titum vero, quem Episcopum Cretae constituerat, monet, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere* (12). Imo ab Apostolis caute provisum est, ut illi, quos ipsi ad munus docendi destinaverant, iterum idoneos sibi successores eligerent. Ideo Paulus ad Timotheum scribit: *Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* (13). Ad Titum autem ait: *Ideo reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi* (14). Ex his omnibus clare apparet, ex Christi ordinatione magisterium authenticum in Apostolis

(1) Eph. 4, 11 etc. (2) Marc. 16, 15.
(3) Ib. v. 20.
(4) Gal. 1, 6 etc. I Io. 2, 24.
(5) Act. 15, 24. (6) Act. 15, 28.
(7) Ib. v. 41. (8) Act. 14, 22.
(9) Act. 20, 28. (10) Ib. v. 29 etc.
(11) II Tim. 4, 2 etc. (12) Tit. 1, 9.
(13) II Tim. 2, 2. (14) Tit. 1, 5.

fundatum perpetuo perdurare debere.

7. Idem confirmatur ex perpetua Ecclesiae persuasione et praxi. In omnibus enim saeculis christianis ius et officium docendi, Revelationis fontes interpretandi, ac fidei controversias dirimendi Episcopi cum suo Primate sibi vindicarunt. Quotiescunque enim agebatur de dogmatibus definiendis, de S. Scripturae locis legitime exponendis, ac de fidei controversiis dirimendis, nunquam quaestio solvenda omnibus fidelibus relinquebatur, sed, uti ex historia ecclesiastica satis notum est, Episcopi primitus, cum persecutionum procellae saevirent, per litteras formatas communicantes, et postea in conciliis oecumenicis collecti controversias diremerunt, et dogmata credenda proposuerunt. Prius circa Valentinianos, Montanistas, Sabellianos, et posterius vero in causa Arianorum, Macedonianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, et subsequentium haereticorum obtinuisse, antiqua monumenta ostendunt. Ecclesia autem pro suo iudicio in rebus fidei talem semper subiectionem exegit, ut omnes, qui eam recusarent, anathemate percelleret, et salutis exortes declararet, quod fieri haud potuisset, nisi communis persuasio viguisset, Ecclesiam esse magisterium authenticum, ab ipso Christo institutum.

Nota. Contrariam huic propositioni doctrinam propugnavit Lutherus, qui asseruit, quemlibet Christianum a Spiritu S. doceri, et tali interna unctione repleri, ut fidem rectam concipiat, et de illa certus fiat (1). Contrarium equidem Protestantes statuisse videntur in articulis anno 1541 editis (2), in quibus Ecclesiae triplicem potestatem attribuunt, nimirum potestatem testandi de scriptis apostolicis, divinam scripturam recte intelligendi et interpretandi, et iudicia de doctrina instituendi. — Idem etiam legitur in Confessione Theologorum Wittenbergentium (3). — Melius etiam, quam Lutherus, sensit et scripsit Calvinus, qui in suis institutionibus (4) dicit: « Eius (satanae) arte factum est, ut pura verbi praedicatio aliquot saeculis evanuerit, et nunc eadem improbitate incumbit ad labefactandum ministerium, quod tamen sic in Ecclesia Christus ordinavit, ut illo sublato, huius aedificatio pereat. » Mirum ideo non est, si etiam inter Protestantes Theologi inveniuntur, qui dicunt, controversiarum fidei iudicem ministerialem esse Ecclesiam, et praecipue pastores et doctores in Ecclesia, ut loquitur Gerardus, vel si etiam cum Turretino admittunt, in foro externo quemlibet privatum se subiicere debere synodicis decisionibus. — Cum autem Protestantes nihilominus permittant, ut quilibet per spiritum suum privatum Scripturam exponat, cum porro rectum conceptum de Ecclesia non sistant, quam ut congregationem Sanctorum recte sentientium, sed non externis et visibilibus notis distinctorum proponunt, et cum denique pro suis pastoribus ac doctoribus legitimam missionem ostendere non valeant, ideo semper verum manet, ab ipsis magisterium docendi authenticum, i. e. ab ipso Christo institutum negari. Haec ipsa negatio maxime promota fuit per invalescentem rationalismum, qui spreta omni auctoritate rationi omnia indulget, et in perfectum Socinianismum inclinat (5).

(1) De ministr. eccl. instit. t. II, fol. 584.
(2) Super Artic. a Caes. propos.
(3) Conc. trid. exhibita "
(4) L. 4, c. 1, §. 11.
(5) Cf. Moehler Symbolik 1. B. 3. H. §. 44 1. B. 2. Th. I. H. II. Abschn.

§. 210.

Propositio secunda.

In Ecclesia adest magisterium infallibile.

Ut revelatio, quam Deus ex summa bonitate pro hominum salute concessit, in omni tempore incorrupta permaneret, institutum est in Ecclesia magisterium non solum authenticum, quod omnes audire tenentur, sed etiam infallibile, cui omnes tuto acquiescere possunt. — Haec autem propositio ab omnibus impugnatur, qui, spreto Ecclesiae iudicio, vel sua vel sectariorum placita sequuntur. Imo nonnulli, quibus iuxta hodierni rationalismi principia cuncta supernaturalia exosa sunt, eousque devenerunt, ut ipsam possibilitatem infallibilitatis, magisterio humano concessae, negarent. Ast, qui ita sentiunt, facile refelluntur. Sicut enim Revelatio, ita etiam praefata infallibilitas undequaque possibilis est dicenda. Possibilis sane est *logice*, quia in eiusdem conceptu nulla contradictio reperitur. *Physice* quoque possibilis est, sive ex parte Dei, sive ex parte hominum consideretur. Si enim Deus scriptores hagiographos ita dirigere potuit, ut ab omni errore praeserventur, et nonnisi vera doceant, cur pro sua omnipotentia et sapientia infinita non hoc idem etiam in magisterio a se instituto perficere poterit? — Deus, qui non solum integrum mundum materialem modo pathologico, sed et mundum moralem modo libertati consentaneo sapientissime gubernat, et qui praecipue in variis israëlitarum fatis providentiae suae virtutem luculentissime ostendit, certe homines, qui magisterium constituunt, ita gubernare potest, ut salvis rationis et libertatis iuribus finem sibi praefixum consequantur, et veritatem infallibiliter proponant. Nimiam profecto temeritatem ostendunt, qui operationes divinas diiudicare, vel etiam negare praesumunt ideo tantum, quia illas per rationem suam limitatam non comprehendunt. Homines autem, qui omnimodo a Deo dependent, supernaturalis influxus divini recipiendi capaces sunt. *Moralis* denique infallibilitatis possibilitas luculentissime patet. Infallibile enim Religionis magisterium maxime convenit *hominibus*, ut in gravissimo salutis suae negotio debitam certitudinem acquirant, *Revelationi*, quae, sicut a Christo infallibili facta et ab Apostolis infallibilibus promulgata fuit, sic etiam a magisterio infallibili conservanda est, et *Deo*, qui tam benefico instituto omnipotentiam, sapientiam et bonitatem suam egregie manifestat. — Quae cum ita sint, sedulo iam investigandum est, an Christus actu infallibile magisterium in Ecclesia instituerit, quinam sint, qui hoc infallibile magisterium constituunt, et in quibus rebus docendis dono infallibilitatis praediti sint: agendum ergo est 1. *de infallibilitatis existentia*, 2. *de infallibilitatis subiecto*, et 3. *de infallibilitatis obiecto* (1).

ARTICULUS I.

De infallibilitatis existentia.

§. 211.

Christus Ecclesiae docenti, seu magisterio a se in Ecclesia instituto infallibilitatis praerogativam ita pro omni tempore concessit, ut nunquam in docendo aberrare possit, et semper nonnisi vera proponat. Veritas haec summi momenti tum *ex S. Scriptura*, tum *ex Traditione*, tum *ex ratione per fidem illustrata* solidissime probatur.

(1) Cf. Dobmayr tom. 4, §. 157. Ziegler Das kath. Glaubens-Prinzip §. 12.

A. Argumenta biblica.

§. 212.

I. Ex verbis Christi.

Magnifica sunt quae iam in V. T. de Ecclesia a Messia instituenda leguntur, quam de omnibus inimicis triumphaturam (1), specialiter a Deo diligendam et protegendam (2), ac ideo perpetuo duraturam (3), Prophetae praedixerunt. Ex his aliisque, quae de regno messiano gloriosissima praenuntiata fuerunt, recte concludi potest, Ecclesiam Christi tali divina protectione gaudere, ut aberrare et deficere non possit. Clarissime autem id ipse Christus asseruit, qui Ecclesiae docenti, seu magisterio a se instituto *suam et Spiritus S. assistentiam promisit*, ideo *pro illius iudicio summam reverentiam et plenam subiectionem exegit*, ac demum *ipsam Ecclesiam indefectibilem declaravit*. Ex his Christi verbis pro Ecclesiae infallibilitate certissima argumenta fluunt.

1. Ecclesia docens certe infallibilis est, si in docendo gaudet perpetuo assistentia Christi et Spiritus Sancti. Si enim ob eandem assistentiam scriptores hagiographi omni iure infallibiles dicuntur, idem, posita eadem conditione, de magisterio authentico, seu de Ecclesia docente statuendum est. — Atqui Christus suam et Spiritus S. assistentiam magisterio a se instituto, seu Ecclesiae in docendo vere promisit. Iam enim ascensurus in coelum ad Apostolos dixit: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S., docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (4). Christus ergo ut supremus regni divini moralis, seu Ecclesiae auctor et rector Apostolis gravissimum munus imposuit docendi omnes gentes, et docendi omnia, quaecunque ipse revelaverat (5). Ut autem tanto muneri perficiendo, a quo hominum salus dependeat (6), pares essent, invisibilem suam assistentiam promittit, licet corporali praesentia iam ab ipsis separetur. Imo hanc suam assistentiam in docendo promittit usque ad finem mundi; ait enim: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*. Ista vero promissio non potuit verificari in Apostolis, qui communi fato obeuntes omnibus diebus usque ad consummationem saeculi non docuerunt. Ne ergo dicatur, Christum id, quod promisit, non adimplevisse, necessario admittendum est, Christum in hac promissione Apostolos considerasse non ut homines individuos, sed ut personam moralem, quae semper in suis successoribus vivit, nempe ut magisterium a se pro omni tempore institutum, seu ut Ecclesiam docentem, usque ad finem mundi perduraturam. Huic ergo omni tempore in docendo assistentia Christi promissa est, sicut ius, a Principe concessum, collegio manet, licet, aliis substitutis, omnia illa membra individua moriantur, quibus primitus concessio facta fuerat. — Eodem modo Ecclesiae in docendo promissa est assistentia Spiritus S.; nam Christus in ultima coena, ubi cor suum maiori caritate effudit, Apostolis de suo abitu moestis, et de sua doctrina sollicitis promissionem de Spiritu S. fecit, eamque saepius repetiit; ait enim (7): *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vo-*

(1) Ps. 2 et Ps. 9.
(2) Is. 49, 15. 66, 1. 62, 1.
(3) Dan. 7, 14.
(4) Matth. 28, 18 etc.
(5) Cf. Marc. 16, 15.
(6) Cf. Marc. 16, 16.
(7) Io. 14, 16 etc.

biscum in aeternum, Spiritum veritatis, qui *apud vos manebit, et in vobis erit...* (1). *Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis* (2). Christus ergo Apostolis suis permanentem Spiritus S. assistentiam in docendo promisit, ut in praedicando Evangelio errare nullatenus potuerint. Haec autem promissio facta est *in aeternum*, et cum haec vox ubique saltem longissimum tempus indigitet, assistentia Spiritus S. non ad solos Apostolos restringi potest, sed et ad eorum successores extendi debet, quod confirmatur tum ex oratione Christi pro omnibus in eum credituris (3), tum ex sensu Apostolorum, qui directionem Spiritus S. etiam ad Episcopos extendebant (4), tum ex ipsa Ecclesiae constitutione, quae, uti ipsi Protestantes volunt, eandem semper manere debet, prouti in Apostolis fundata fuit. — Itaque magisterio a Christo instituto, seu Ecclesiae pro omni tempore in docendo promissa fuit Christi et Spiritus S. assistentia, ac ideo semper infallibilis est.

2. Magni momenti sunt verba, quibus Christus fidelibus obligationem imposuit, magisterium a se institutum, seu Ecclesiam docentem audiendi. Ad Apostolos enim inquit: *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit* (5). Aequiparatur in istis verbis iudicium Apostolorum iudicio ipsius Christi. Ipsa autem sana ratio docet, iudicium fallibile et infallibile eiusdem auctoritatis dici non posse. Cum autem infallibilitas Christi docentis, et iudicantis ab omnibus Christianis non negetur, qua ratione infallibilitas Ecclesiae docentis et iudicantis negari poterit? — Certe non ex alia ratione, nisi quia magisterium a Christo institutum ob assistentiam divinam infallibile est, ille, qui Ecclesiam non audit, gravissimi criminis reus declaratur, dicente Christo: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (6). Tanti criminis reus profecto dici non potest, qui iudicio erroribus obnoxio assensum non praestat, et subiectionem negat. Christus ergo in his quoque verbis Ecclesiae docentis infallibilitatem clare asseruit. Neque dici potest, dicta Christi ad solos Apostolos spectare. Cum enim doctrina Christi sit pro omnibus locis et temporibus, cum Ecclesia eadem semper perdurare debeat, quae in Apostolis fundata fuit, et cum iuxta ipsos Protestantes regulae practicae de correctione fraterna semper obligent; etiam illa, quae de magisterii ecclesiastici auctoritate dicta sunt, semper valere debent.

3. Christus demum Ecclesiae suae indefectibilitatem clare pronuntiavit. Nam (7) dicit: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Loquitur hic Christus de Ecclesia sua visibili, quam ideo aedificio comparat, firmae petrae insistenti. De hac dicit: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Nomine portarum potentia designatur iuxta morem Iudaeorum et aliorum orientalium, qui in portis civitatum iudicia exercere consueverunt. — Per portas inferi ergo potestas inferorum, i. e. malignorum spirituum seu regnum Satanae intelligitur, quod regno Dei e diametro opponitur, et pro veritate falsitatem obtrudere conatur. Cum autem Christus dicit, ipsam potentiam Satanae contra Ecclesiam nunquam praevalituram esse, eo i-

(1) Io. 14, 26.
(2) Cf. Io. 15, 26, et 16, 12 etc.
(3) Io. 17, 20.
(4) I Tim. 4, 14; et Act. 20, 28.
(5) Luc. 10, 16. (6) Matth. 18, 17.
(7) Matth. 16, 18.

pso significat, a nulla alia potestate Ecclesiam labefactari posse. Ideo ipse *Rosenmüller* per portas inferi intelligendas esse censet tartareas potestates, consultationes et molimina diabolorum, tyrannorum et hostium Ecclesiae (1). Promittit ergo Christus, Ecclesiam suam contra omnes hostiles assultus fore victricem, ac proin eam non solum perduraturam usque in finem, sed etiam a veritate Religionis a Christo traditae nunquam aberraturam esse (2).

Nota. Contra argumenta ex verbis Christi deducta ab infallibilitatis adversariis varia obiici solent.

Obi. 1. Christus assistentiam suam solis Apostolis, non autem eorum successoribus promisit, quia per *consummationem saeculi* non finem mundi, sed interitum synagogae, excidium urbis Hierosolymae, seu consummationem status iudaici intelligit.

Resp. Expositio haec falsa et absurda est, nam a) synagoga iam moriente Christo interiit, quia in eiusdem sanguine novum Testamentum firmatum est. Status Iudaeorum civilis iam vivente Christo finierat, quia Iudaea Romanis penitus subiecta erat. Urbis Hierosolymae excidium dicitur quidem *consummatio* (3), sed non *consummatio saeculi*. b) Christum vero per consummationem saeculi (4) finem mundi intelligere apparet ex parallelismo verbali (5), ubi Christus de paleis comburendis loquens ait: *Sic erit in consummatione saeculi*, quo in loco nonnisi finis mundi, seu dies iudicii intelligi potest, quo impii a iustis separantur. — Idem confirmatur ex parallelismo reali, quia regnum Christi dicitur perdurare usque ad finem mundi, dicente Angelo: *et regni eius non erit finis* (6). Adde, Christum non sine emphasi omnes dies usque ad consummationem saeculi complecti, et in Scriptura finem oeconomiae christianae cum fine mundi coniungi. c) Denique magnum ex praedicta interpretatione absurdum sequeretur. Nam plerique Apostolorum usque ad excidium urbis Hierosolymae non vixerunt, Ioannes autem illud supervixit: ergo in illis Christi promissio non fuisset impleta, hic autem post eversam Hierosolymam non amplius assistentiam Christi habuisset, licet etiam hoc tempore et doceret et scriberet.

Obi. 2. Tenore promissionum Christi de sua et Spiritus S. assistentia Apostoli singuli infallibiles constituti sunt, quod et catholici Theologi admittunt, qui ex iisdem promissionibus S. Librorum novi Testamenti inspirationem probant. Si ergo promissiones istae ad successores transiissent, etiam hi, nempe episcopi singuli infallibiles esse deberent. Id vero ipsi catholici non admittunt, quare et concedere debent, promissiones praedictas ad successores non transiisse.

Resp. Catholici infallibilitatem tum Apostolorum, tum successorum, licet sub varia ratione, omni tamen iure admittunt. Nam a) Christus suam et Spiritus Sancti assistentiam certe Apostolis promisit, ad quos verba promissionis primitus direxit: sed eadem certitudine constat, Christum etiam Apostolorum successoribus suam et Spiritus S. assistentiam promisisse, quia promissiones *usque ad consummationem saeculi*, et *in aeternum* extendit, quae impleri non poterant in Apostolis ceu personis individuis, sed tantum in Apostolis consideratis ceu persona morali, in suis successoribus semper seu usque ad consummationem

(1) Schol. in cit. l.
(2) Dobmayr t. IV, 2. 152
(3) Matth. 24, 14.
(4) Matth. 23, 20.
(5) Matth. 13, 4.
(6) Luc. 1, 33.

saeculi existenti. — Qualem autem assistentiam Christus promisit? an singulis membris? an toti magisterio unito? — verba Christi id non satis explicant, et omnes hermeneuticae regulae id apodictice decernere non possunt. Imo cum Christus, promissiones faciens omnes Apostolos simul, seu integrum magisterium alloqueretur, negari posset, tenore harum promissionum Apostolos singulos infallibiles constitutos esse (1): hoc autem negato obiectio soluta est. b) Sed ad hanc solvendam iuxta Catholicorum systema alia quoque responsio dari potest. Quia enim ex sacra Scriptura non satis liquet, qualem assistentiam Christus sive Apostolis, sive eorum successoribus promiserit, confugiendum ideo est ad aliam lineam, quam Vincentius Lirinensis assignat, nimirum ad Traditionem, quam esse authenticum sacrae Scripturae interpretem iam probatum est (§. 191 etc.). Considerata autem hac linea comperimus, semper, ubique, et ab omnibus creditum esse, promisisse Christum Apostolis assistentiam singularem, ita ut nullus aberrare potuisset, et singuli infallibiles essent, - successoribus vero generalem, ita ut omnes simul errare non possent, sed in docendo infallibiles essent. Talem Traditionem probant loca pro S. Librorum inspiratione citata (§. 176) et loca pro Ecclesiae infallibilitate inferius citanda; — idemque confirmat constans fides ab omnibus fidelibus praestita tum S. Scripturae, tum etiam oecumenicorum Conciliorum decretis. c) Facile quoque est, genuinae huius distinctionis rationem afferre. Apostolis enim per totum orbem dispergendis singulis assistentia necessaria fuit, quia non semper convenire, vel communicare poterant ad fidei controversias dirimendas, sed separatim Evangelium praedicare, et Ecclesias fundare debuere, quamobrem singuli dono inerrantiae indigebant: haec autem singularis assistentia necessaria non est eorum successoribus, qui convenire et communicare possunt ad fidei dogmata stabilienda, quare pro conservanda unitate et puritate fidei sufficit assistentia generalis, ita ut omnes simul sumti infallibiles sint. Sicut ergo iuxta ipsos Protestantes ad successores non transiit potestas Apostolis concessa miracula patrandi pro infidelibus tantum necessaria, transiit vero potestas baptizandi, et S. Coenam administrandi pro bono fidelium semper necessaria; sic iure dicimus, tenore promissionum Christi transiisse ad Apostolorum successores assistentiam Christi et Spiritus S. generalem, quae pro bono fidelium semper necessaria manet, licet non transierit assistentia singularis, quae iam modo necessaria amplius non est. Et sane si generalis assistentia Apostolorum successoribus denegaretur, promissiones Christi factae *usque ad consummationem saeculi* et *in aeternum*, nullo modo verificarentur, quod nullus Christianorum sine blasphemia dixerit. — Neque dici potest, promissiones Christi in iustis omni tempore existentibus, seu in Ecclesia invisibili adimpleri, cum apertissime magisterio visibili, ab omnibus audiendo factae sint, et Ecclesia mere invisibilis omnino non existat, quod inferius, nimirum capite quarto probabitur.

Obi. 3. Promissiones Christi hypotheticae sunt; Christus enim suam et Spiritus S. assistentiam promisit Apostolis eorumque successoribus, quamdiu verae et purae doctrinae inhaeserint, ex quo non sequitur, id semper futurum esse, illosque omni tempore infallibiles fore.

(1) Not. ad §. 175.

Ita Claudius contra Bossuetum argumentatus est.

Resp. Facile est, magno Bossueto duce, obiectionem istam solvere. a) Christus enim promissioni suae nullam conditionem apposuit, ergo et nobis illam apponere non licet. Promissio Christi de perpetua Ecclesiae duratione absoluta est, ergo et promissio de Ecclesiae infallibilitate absoluta sit, oportet; una enim cum altera intimo nexu cohaeret. b) Conditio apposita scopo Christi adversatur. Ideo enim Christus assistentiam divinam promisit, ut Apostolos de suo discessu solaretur, ipsosque ad gravissimum praedicationis munus idoneos efficeret. Nullum autem pro rudibus et timidis Apostolis solatium fuisset scire, Christum et Spiritum S. sibi adesse, si vera teneant et doceant, non autem ut vera teneant et doceant. Sibimetipsis relicti semper timere debuissent, ne aberrent et divinam assistentiam amittant. c) Christus praeterea promissiones praedictas fecit non solum pro bono Apostolorum, sed pro bono omnium fidelium, ut omni tempore certam fidei regulam habeant, imo et pro ipso bono Revelationis, ut ipsa semper incorrupta maneat. Uterque autem finis per promissiones hypotheticas non obtineretur; neque enim fideles docentibus tuto acquiescere possent, si prius investigandum foret, an recta doceant, nec ne.

Obi. 4. Per *portas inferi* (1) intelligenda est mors, uti constat ex locis parallelis (2). Cum ergo Christus dicit de Ecclesia: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam*, his verbis pollicetur, mortem contra Ecclesiam non praevaliturum esse, quia fideles resurgent gloriose.

Resp. In locis parallelis citatis per portas inferi intelligitur mors corporis et descensus in sepulcrum; si ergo parallelismus valeret, promissio Christi de morte corporali contra fideles non praevalitura intelligenda esset, quod nemo sanae mentis concedet. Neque verba Christi de praeservatione fidelium a morte aeterna, seu de gloriosa resurrectione intelligi possunt; Christus enim loquitur de Ecclesia visibili, quam ideo aedificio a se exstruendo comparat: ast non omnes, qui Christi divinitatem profitentur, et verae Ecclesiae adnumerati sunt, a morte aeterna praeservari et gloriose resurrecturos esse, in confesso est apud omnes. — Sicut nomine inferorum varia intelliguntur, sic etiam portae inferi non in uno semper sensu accipiendae sunt. Indigitant sane mortem, seu sepulcrum, quoniam, qui moritur vadit ad portas inferi, i. e. venit in ditionem, seu potestatem inferorum. Cum autem in verbis Christi *portae inferi* non in hoc sensu accipi possint, certe non indigitant, nisi potestates inferorum, i. e. daemonum, qui regno divino morali maxime adversantur.

Obi. 5. Daemones Ecclesiae membra non solum in errores pertrahere, sed etiam in peccata praecipitare conantur. Si ergo portae inferi adversus Ecclesiam nunquam praevalerent, fideles etiam ad peccata per daemones non inducerentur: id vero saepissime fieri, Catholici ipsi fatentur.

Resp. Christus in loco adducto sine dubio Ecclesiae indefectibilitatem promisit. Ecclesia autem deficeret, si in errores doctrinae Christi oppositos prolaberetur; non deficit autem si aliqua ipsius membra in peccata prolabuntur. Sane Ecclesiae membris libertas non adimitur, qua a bono deficere possint, et saepe deficiant. Christus ipse praedixit in Ecclesia sua peccatores quoque futuros esse, ideo eam agro compara-

(1) Matth. 16, 18. (2) Is. 38, 10. Ps. 9, 15.

vit, in quo cum tritico zizania crescunt (1). Verba ergo Christi praecipue intelligenda sunt de concesso Ecclesiae privilegio non errandi circa doctrinam fidei et morum, quod et confirmatur ex locis parallelis, antea adductis, in quibus Christus suam et Spiritus S. assistentiam in docendo promisit. Ceterum omni iure etiam asseritur, portas inferi etiam quoad peccata nunquam sic praevalituras esse, ut tota Ecclesia iis contaminetur, quae, ut infra probabitur, semper etiam Sanctos in se complectitur.

§. 213.

II. Ex dictis Apostolorum.

Apostolos de concessa Ecclesiae infallibilitate persuasos fuisse, clare apparet ex iis, quae Paulus ad Ephesios et ad Timotheum scribit, et quae Apostoli Hierosolymis collecti pronuntiarunt.

1. Paulus (2) magisterii a Christo instituti finem assignat, qui sine infallibilitate obtineri haud potest. Ait enim: *Et ipse* (Deus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei in virum perfectum - - ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Magisterium ergo in Ecclesia institutum est, ut homines perfectam doctrinam acquirant, qua consummati Sancti et digna mystici Christi corporis membra reddantur, ut porro omnes in unam eandemque fidem conspirent, et ut demum in rebus fidei certam regulam habeant, cui tam firma persuasione inhaerere possint, ita ut per astutiam iniquorum hominum in errores non pertrahantur. Hic triplex autem finis per magisterium, quod ipsummet aberrare potest, non obtinetur; si enim ignorantiae erroribusque subiacet, perfectam doctrinam fidelibus tradere nequit; cum porro fallibili magisterio non omnes interno assensu se subiicere teneantur, unitas in fide non prodibit, neque firma in fide persuasio et certum contra fallacias seductorum praesidium obtinetur, ubi ex parte docentium et iudicantium aberrationes timendae sunt. Cum autem Paulus expresse dicat, Deum ad praedictos fines magisterium instituisse, certe hoc etiam infallibilitate donavit. Et sicut magisterium in Ecclesia stabile esse debet, ita etiam inerrantiae privilegium non solis Apostolis, sed et *pastoribus* et *doctoribus*, qui Apostolis succedunt, permanere necesse est, ut idem semper finis, a Deo intentus, obtineatur.

2. Idem Paulus (3) post varia monita, dilecto discipulo suo tradita, ait: *Haec tibi scribo, - ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* — Paulus ergo Ecclesiam columnam et firmamentum vocat, cui veritas, seu vera Religio insistit; et sicut columnae et firmamenta efficiunt, ut domus non corruat; sic Ecclesia efficit, ut veritas, seu vera Religio non pereat: id autem Ecclesia efficere non posset, si in docendo infallibilis non esset. Absonum sane esset, Ecclesiam nuncupare columnam, qua attollitur, et firmamentum, quo sustentatur veritas, si a veritate deficere, et falsa docendo fideles in errorem inducere posset. Hac in hypothesi certe egregiam denomina-

(1) Matth. 13, 24. (2) Ephes. 4, 11 etc. (3) I Tim. 3, 15.

tionem nullatenus mereretur, quam tamen Spiritus S. ipsi attribuit, et quae ideo semper vera esse debet; scriptum est enim: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt* (1).

3. Cum Apostoli in concilio hierosolymitano controversiam de legalium observantia dirimerent, sententiam suam tanquam Spiritus S. oraculum proposuerunt, dicentes: *Visum est Spiritui Sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris etc.* (2). Nullatenus ergo dubitarunt, se in iudicando assistentiam Spiritus S. habere, atque ideo definitionem suam infallibilem esse, ita ut omnes se illi subiicere teneantur. Et si hoc concilium, uti iam declaravit Synodus oecumenica quinta, est norma futurorum saeculorum, Ecclesia ergo universalis docens, et de fidei controversiis iudicans semper definitiones suas ut oracula Spiritus S. proponere potest.

Nota 1. Argumentum, quod ex loco Pauli (3) attulimus, uno quasi ictu nonnulli ex Protestantibus concidere tentarunt. Dixerunt nempe, post verba: *quae est Ecclesia Dei vivi* figendum esse punctum, et nomina substantiva: *columna et firmamentum veritatis* ad comma sequens esse referenda, ita ut legendum sit: *columna et firmamentum veritatis, et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod apparuit in carne* etc. Mirum praecipue est, hanc novam lectionem etiam a nonnullis catholicis S. Scripturae expositoribus, e. g. a Carolo et Leandro Van Ess, a Bonif. Schnappinger adoptatam fuisse. — Ast multa sunt, quae hanc novam lectionem falsam, absurdam ac penitus reiiciendam ostendunt. Nam a) sine gravi et solida ratione interpunctiones mutare aut levis animi, aut desperatae cau-

(1) Matth. 24, 25. (2) Act. 15, 28.

sae indicium est. Pro adducta vero interpunctionis mutatione nulla solida ratio afferri potest. Si enim post punctum nova constructio incipit per *et: et manifeste* etc., nemo ideo offendi debet, cum id saepius in S Bibliis contingat: imo Propheta Ezechiel totum suum volumen incipit per *et: et factum est* etc. b) In vetustissimis autem codicibus S. Bibliorum N T. punctum sicuti in vulgata positum invenitur. Neque Lutherus in germana, neque Beza, Calvini et discipulus et amicus, in sua latina, neque Martinius in sua gallica, neque anglicanus interpres in sua anglicana versione de nova hac syntaxi aliquid sciunt, sed in puncto figendo Vulgatam sequuntur. — c) Hugo Grotius se illis, qui interpunctionem praedicto modo mutarunt, acerrime et solidissime opposuit. Ait enim: « Honorifica sunt haec Ecclesiae nomina *(columna et firmamentum veritatis)*. Mirum est, quomodo illi, qui Ecclesiae hoc privilegium invident, haec verba cum periodo sequenti coniungere tentent: » quibus dictis ostendit, talem interpunctionis mutationem contextui repugnare, quia Paulus apertissime continuat similitudinem *de domo Dei*, in qua veritas docetur, et quae columnis et basibus insistit, - atque his probatis concludit: « Veritatem attollit et sustentat Ecclesia, ne animis excidat, et ipsa est, quae facit, ut longe lateque videatur etc. (4).» d) Praeterea - admitti non posse hanc novam interpunctionis mutationem, apparet etiam ex genio linguae graecae, in qua epistola ad Timotheum scripta est. Nam post verba: Θεου Ζωντος (Dei vivi) mox στυλος (columna) sine articulo ponitur, unde apparet στυλος ad anterius substantivum referendum esse: econtra post verba: και

(3) I Tim. 3, 15.
(4) Cf. Stolberg Hist. Rel. I. C. t. 5 app. 3.

Ὁμολογοῦμενος μεγα εστιν articulus το της ευσεβιας ponitur, qui articulus το uti Grotius et Dathe advertunt, novum subiectum denotat: et quis admittet, tria substantiva ita coniungi, ut articulus ultimo tantum praeponatur? — e) Idem ex contextu eruitur, iuxta quem si columna et firmamentum cum manifeste magno pietatis sacramento, quod apparuit in carne, i. e. cum Christo incarnato, coniungerentur, veritas esset veritatis columna, quod non satis sanum sensum referre videtur. f) Tandem novam interpunctionem reiiciendam et antiquam retinendam esse, extra omne dubium ponitur ex consensu veterum, qui nomina substantiva, *columna et firmamentum veritatis*, semper cum Ecclesia coniunxerunt. Sic e. g. *Origenes* (1) respiciens praedicta verba Pauli ait: « Ecclesia, quae plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem, est columna et firmamentum veritatis. » — *S. Cyrillus Hier.* (2) docet, « illam solam servandam esse fidem, quae ab Ecclesia traditur, quae est Ecclesia Dei viventis, columna et firmamentum veritatis. » — *S. Hilarius* (3) vocat Ecclesiam « sponsam Christi, columnam et firmamentum veritatis. » *S. Augustinus* in eundem locum dicit: « Ecclesia non inclinabitur in saeculum saeculi: ipsa est praedestinata columna et firmamentum veritatis. » Eodem modo sentiunt *S. Chrysostomus, Theophylactus, Beda* et alii, ita ut Calmetus dicat, ante proximos haereticorum contra Ecclesiam tumultus neminem unquam locum istum aliter interpretatum esse (4).

Nota 2. Verba Pauli non possunt restringi ad Ecclesiam ephesinam, cuius Episcopus Timotheus erat. Nam de infallibilitatis praerogativa, huic ecclesiae particulari in specie concessa, tota antiquitas silet. Paulus loquitur de domo Dei, et de Ecclesia Dei vivi, quam non soli Ephesii constituerunt, sed sicut Apostolus in Timotheo omnes Episcopos docuisse iure censetur, sic etiam universalem Ecclesiam indigitasse censendus est. — Inepte etiam locus Pauli de Ecclesia discente intelligitur, ad quam non spectat attollere et sustentare, sed audire et assumere veritatem: quod si Ecclesia discens infallibilis sit, multo magis docens esse debet, a qua illa pendet. — Magis absonum est verba Pauli de Ecclesia materiali, seu de templo explicare. Paulus enim loquitur de Ecclesia, quacum Timotheus conversari debuit, et templum sane non ex alia ratione columna et firmamentum veritatis dici posset, nisi quia illi, qui in eo praedicant, solam veritatem docent. — Minime autem dictum Pauli ad Ecclesiam Christi mere invisibilem referri potest, quae, ut inferius probabitur, omnino non datur. — Errant denique, qui dicunt, Paulum Ecclesiam vocare columnam et firmamentum veritatis, quamdiu veritati inhaeret, et nonnisi vera docet, ex quo non sequitur, id semper futurum esse: nam Paulus absolute Ecclesiae encomium enuntiat, et de adiecta hypothesi nec vola, nec vestigium ullo loco apparet. In sensu adversariorum quilibet homo recte sentiens columna et firmamentum veritatis dici posset, quod absit; plus enim requiritur ad veritatem sustentandam et firmandam, quod de Ecclesia praedicatur. — Sicut ergo locus parallelus Matth. XVI, 18 Ecclesiae indefectibilitatem absolute enuntiat, sic et locus Pauli de Ecclesiae infallibilitate absolute est intelligendus.

Nota 3. Contra argumenta biblica, pro infallibilitate Ecclesiae allata,

(1) Tr. 30 in Matth. (2) Catech. 5, n. 12.
(3) In Ps. 64, n. 6.
(4) Cf. Dobmayr tom. IV, §. 159.

trita est Protestantium obiectio, qua dicunt, Catholicos in sua argumentatione circulum vitiosum committere, quia infallibilitatem Ecclesiae ex infallibilitate Scripturae, et infallibilitatem Scripturae ex infallibilitate Ecclesiae probare conantur: talis autem omnino falsa argumentatio nihil probat. — Male vero haec nobis obiiciunt Protestantes. Nam a) ut in argumentatione circulus vitiosus committatur, utrumque disputationis membrum aeque incertum sit oportet, aut saltem positum in controversia: hoc autem non cadit in praesentem nos inter et Protestantes controversiam, si quidem dum ex S. Scriptura infallibilitatem Ecclesiae probamus, nos inter et Protestantes circa infallibilitatem Scripturae prorsus convenitur; in disputatione ergo cum protestantibus ex uno membro certo, i. e. ex infallibilitate S. Scripturae, quam adversarii admittunt, argumenta certa petere licet. b) Sed et solidius ostendi potest, in Catholicorum systemate circulum vitiosum non committi; Catholici enim, priusquam ad Ecclesiae infallibilitatem provocent, ex regulis criticis ostendunt, S. Scripturam genuinam, integram et omni fide dignam esse: dein ex Scriptura, ceu ex monumento authentico probant, Christum per miracula et vaticinia se ut praeconem divinum manifestasse, ipsumque Ecclesiam docentem instituisse, eique talem in docendo assistentiam promisisse, ut in rebus fidei errare non possit. — Nullus ergo circulus vitiosus in argumentatione Catholicorum committitur, quia authentia Scripturae probatur, quin ad infallibile Ecclesiae iudicium praevie recurratur. — c) Circulus vitiosus in argumentatione Catholicorum etiam ideo non committitur, quia Ecclesiae infallibilitas, quin ad S. Scripturam recurratur, ex sola quoque traditione probari potest. Ecclesia enim a Christo instituta anterior est quavis N. T. Scriptura. Nam, ut verbis *Lessingii* (1) utar, « non solum Iesu Christi historia cognita erat, priusquam vulgaretur in Evangeliis, sed universa christiana religio iam tenebatur et exercebatur, cum nullum adhuc Evangelium scriptum erat. Recitabatur Pater noster (oratio dominica), quin legi posset in Evangelio Matthaei. Adhibebantur in collatione baptismi verba a Christo Iesu praescripta, antequam ea litteris Apostoli consignassent. » Eodem modo promissiones Christi de sua et Spiritus S. assistentia, Apostolis et eorum successoribus factae, fidelibus notae erant, priusquam Evangelistae illas conscriberent; atque ideo de fide credendum erat, Ecclesiam docentem infallibilem esse, antequam N. T. libri canonici extarent. Ergo infallibilitas Ecclesiae etiam sine S. Scripturae testimoniis a Catholicis probari potest. — Rem autem ita se habere, et semper, ubique ac ab omnibus creditum esse, Ecclesiam docentem infallibilitatis dono gaudere, argumenta mox afferenda ostendent (2).

B. Argumenta ecclesiastica.

§. 214.

I. Ex sanctis Patribus.

Universalem, ac perpetuam fidem de Ecclesiae docentis infallibilitate testantur *SS. Patres* tum *Ante-Nicaeni*, tum *Post-Nicaeni*, qui donum inerrantiae Ecclesiae sat perspicue adscripserunt.

1. Antiquissimi Patres infallibilitatis, Ecclesiae docenti a Christo concessae, testes existunt. Sic *S. Ignatius*

(1) In [illegible] posth. theolog.

(2) Cf. Frint tom. III, §. 500.

M. (1) ait: « Ob id Dominus accepit unguentum in capite suo, ut Ecclesiae suae spiret incorruptionem: » et (2) scribit: « Christum cum Ecclesia catholica semper futurum esse (3). » *Theophilus Antioch.* (4) ait: « Navigantibus Deus solatio concessit insulas maris, mundo autem sub peccato fluctuanti dedit ecclesias, in quibus doctrina veritatis asservatur, ad quas perfugiunt, qui salutem consequi cupiunt, veritatis facti amatores. » *Clemens Alex.* (5) affirmat, depositum fidei ab Ecclesia catholica integrum illibatumque servari, et ita salutem parari in Ecclesia hominibus, quemadmodum Dei voluntate opus eius, nempe mundus, solidissime consistit: et (6) exclamat: « O miraculum! una sola est mater virgo, mihi autem placet eam vocare Ecclesiam, - virgo, quia integra, et inviolata, mater, quia suorum amans. » *S. Irenaeus* (7) scribit: « Vera fides a Spiritu Dei tanquam praeclarum depositum et commissum Dei donum in Ecclesia ceu in bono vase custoditur, in quo nunquam deterioratur, neque vas deteriorari permittit. Idem Spiritus pignus est indefectibilitatis, et confirmatio fidei; ideo enim Deus in Ecclesia posuit Apostolos, Prophetas, et Doctores cum omni alia operatione eiusdem Spiritus, cuius illi participes non fiunt, qui Ecclesiae non adhaerent, et ideo se ipsos vita spirituali privant. » Et (8) dicit: « Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus Dei, et ubi Spiritus Dei illic Ecclesia, et omnis gratia; Spiritus autem veritas. » Et (9) inquit: « Ecclesiae lumen Dei commissum est; ipsa ubique veritatem loquitur, ipsa est lux Christi, quae lumen fert. » — *Tertullianus* (10) acerrime oppugnat haereticos, qui dicebant, Ecclesias Apostolorum doctrinam non rite intellexisse, et inter alia dicit: « Ponamus, omnes Ecclesias errasse, et Spiritum S. nullam suo auxilio dignam existimasse, qui tamen hac mente missus fuit, ut veritatis magister esset; ponamus, hunc procuratorem Dei, et Vicarium Christi munus suum neglexisse, et permisisse, ut Ecclesiae aliud quid opinarentur, quam quod ipse per Apostolos docuerat: tamen verisimile non est, ut tot, ac tantae Ecclesiae in unam fidem erraverint.... variasse debuerat error Ecclesiarum, si falsa docuissent; nam quod apud multos invenitur, non est erratum, sed traditum. » — *Origenes* (11) ait: « Sicut anima vivificat, et movet corpus, quod ex se ipso vivum motum non habet, ita verbum mira energia corpus suum incitans ad ea, quae debet facere, movet simul membra Ecclesiae singula. » Et (12) inquit: « Christus est lux mundi, et Ecclesia hoc suscepto lumine illuminat omnes, — et ipsa quoque lux mundi efficitur illuminans eos, qui in tenebris sedent. Nam et ad Apostolos dicit Christus: *vos estis lux mundi*, ipsi enim sunt non habentes maculam - vera Ecclesia (13). » *S. Cyprianus* (14) dicit: Adulterari non potest Sponsa Christi (Ecclesia); incorrupta est, et pudica; unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. » Idem ait: « nunquam recedendum est ab Ecclesia (15), quia nunquam Ecclesia a Christo recedit (16). » *Lactantius* (17) scribit:

(1) Ad Ephes. c. 17.
(2) Ad Smyrn. c. 1, n. 18.
(3) Cf. Ep. ad Magn. c. 1.
(4) Ad Autol. l. I. 2, 14.
(5) L. 1 Strom., c. 6.
(6) L. 1 Paedag., c. 6. (7) L. 3 adv. haer. c. 24.
(8) L. 3 c. 40 (9) L. 5 c. 20
(10) L. de praescript. c. 27 et 28.
(11) C. Cels. l. 6.
(12) Tract. de orat. ac in Periarch. l. 4, n. 2
(13) Cf. Hom. I in Gen. n. 5, 6, 7.
(14) L. de unit. Ecclesiae (ed. Maur. p. 195)
(15) Epist. 51. (16) Ep. 69.
(17) L. 4 de vera Sap. c. 30.

« Sola Ecclesia catholica est, quae verum cultum retinet; haec est fons veritatis, haec est domicilium fidei.» *S. Alexander* (1) scribit: Confitemur, « unam, ac solam, catholicam, et apostolicam Ecclesiam, quae semper quidem inexpugnabilis est, licet universus orbis eam impugnet, victrix autem est omnis impiae factionis haereticorum, qui adversus ipsam insurgunt. » *Momillus* (2) ait: « Ecclesia Dei inspiratione regitur, ac instruitur, » quod reliqui Episcopi confirmarunt.

2. Eiusdem sententiae sunt Patres Concilio Nicaeno coaevi, aut posteriores. *S. Athanasius* (3) Ecclesiam vocat, « civitatem munitam, quae Dei virtute circumvallata est. » Idem Ecclesiae iudicio ita rem confectam esse putavit, ut omnem ulteriorem inquisitionem interdiceret: hac de causa reprobat concilia post Nicaenum agitantibus Arianis habita dicens: « Frustra, et incassum iterum ad examen revocantnr ea dogmata, quae iam Patres, qui ex universo orbe Nicaeae convenerant, definiere (4). » *S. Hilarius* (5) ait: « Haeretici omnes contra Ecclesiam veniunt, at dum se invicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt, victoria eorum Ecclesiae triumphus ex omnibus est. » *S. Cyrillus Hier.* firmiter credidit, et docuit, « Ecclesiam universe et absque defectu docere omnia, quae in hominum notitiam venire debent dogmata, et ideo catholica dicitur. (6) » *Theophilus Alex.* (7) ait: « Dominus singulis temporibus eandem Ecclesiae suae gratiam largitur, ut integrum corpus conservetur, et in nullo haereticorum dogmatum venena praevaleant.» — *Eusebius Caes.* (8) inquit: « Christus penitus inconcussum Ecclesiae robur mansurum esse praenuntiavit, utpote, quae vi eius ac potestate sic tanquam immoto, ac nullis omnino machinis perrumpendo scopulo, altis devixa radicibus niteretur. » *Isidorus Pelusiota* (9) scribit: « Per inferi portas divinus sermo impiorum hominum coetus, atque haeresum blasphemias intelligit, quibus omnibus obsistens Dei Ecclesia, eas quidem frangit, et expugnat, ab iis autem vinci non potest. » Egregie in rem loquitur *Epiphanius* (10) dicens: « Est regia quaedam via, nimirum Ecclesia, Dei ac veritatis iter. Unaquaeque vero haeresum, regia derelicta via, ad dexteram sinistramve deflectens deinceps in immensum errorem sese committens abripitur..... Agite itaque, servi Dei, ac S. Dei Ecclesiae filii, qui certam fidei regulam cognoscitis, ac viam veritatis inceditis, ne vos contrariae voces abstrahant, aut cuiuslibet ementitae sectae sermones decipiant. » *S. Hieronymus* de infallibili Ecclesiae iudicio, quo omnes errores propelluntur, ita persuasus erat, ut (11) diceret: « Poteram omnes propositionum rivulos uno Ecclesiae sole siccare. » — *S. Augustinus* (12) ait: « Quamvis huius rei (num valeat baptismus ab haereticis collatus) certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universae iam placuit Ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum iam commendat auctoritas: ut quoniam Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quaestionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambi-

(1) Ep. Alexandrinus de haer. arian. ad Alex. Constantinopolit. n. 12.
(2) In Conc. Carthag. II, anno 252.
(3) Exp. in Psal. p. 1102.
(4) De Syn. Nic. n. 5 et 6.
(5) De Trin. l. 7, n. 4.
(6) Catech. 28, n. 25. (7) Ep. ad Epiphan.
(8) Praep. evang. l. 1, c. 5.
(9) l. 1 Epist. 258. (10) Haer. 59, n. 12 etc.
(11) Adv. Lucif. (12) L. 1 c. Crescon.

guitate sancta Scriptura demonstrat.» Praetereundum tandem non est vulgatum illud Augustini: « Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae catholicae commoveret auctoritas (1). »

Nota. Huc referri possunt omnia loca Patrum, pro auctoritate Conciliorum oecumenicorum, et pro Ecclesiae indefectibilitate inferius afferenda. Sed non opus est, ut plura veterum testimonia in medium adducamus, cum ipsi adversarii, quibuscum nobis res est, facile largiantur, magnificentius locutos fuisse Patres de auctoritate Ecclesiae, ut legere est apud Buddeum (2).

§. 215.

II. Ex Ecclesiae persuasione et praxi.

Semper, ubique, et ab omnibus Ecclesiae infallibilitatem creditam fuisse, patet tum *ex modo*, quo Ecclesia docens in fidei controversiis dirimendis processit, tum *ex symbolis*, quae ubique locorum recitata sunt, tum *ex praxi fidelium*, suam fidem stabiliendi, et profitendi.

1. Quotiescumque enim de dogmate definiendo, vel de fidei controversia dirimenda agebatur, Ecclesia docens semper sibi iudicium vindicavit, et vel in Concilio oecumenico collecta, vel, ut factum est praecipue tribus primis saeculis, per litteras formatas communicans sententiam dixit. Tali vero Ecclesiae definitioni omnes se submittere debebant, ita ut, quotquot contumaciter parere detrectarunt, anathemate perculsi, a communione resecti, ut haeretici pronuntiati, et a salute extorres declarati fuerint. Id in quovis saeculo factum esse, historia conciliorum abunde probat. Ecclesia vero cum tanto rigore procedere non potuisset nisi ex firma, et universali persuasione, iudicium suum infallibile esse, ita ut omnes illi non solum externum, sed et internum assensum praebere ex divina ordinatione teneantur.

2. Symbolum, vulgo apostolicum, antiquissimum, in maxima auctoritate habitum, et ut certissimam regulam fidei consideratum esse, sancti Patres testantur (3). In hoc symbolo etiam articulus fidei extat: *Credo - sanctam Ecclesiam catholicam.* Sicut ergo semper credendum est in Deum Patrem, Filium, et Spiritum S., sic omni tempore credendum est in sanctam Ecclesiam catholicam, quae ergo semper existit, alias in ipsam semper credendum non esset. Sancta vero dici Ecclesia non potest, quae ad minimum in se non continet omnis sanctitatis fundamentum, doctrinam nimirum sanam, erroris expertem, ad moralitatem et felicitatem ducentem. Talem ergo doctrinam Ecclesia semper proponere debet, ut semper sancta dici possit; id autem sine assistentia divina fieri nequit, quae ideo Ecclesiae semper adscribi debet. — Cum symbolo apostolico consonat symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum, quo credimus *unam, sanctam, catholicam, et apostolicam Ecclesiam*, ex qua professione idem argumentum prodit.

3. Sicut Catholici ubique et semper *sanctam Ecclesiam catholicam* in symbolo profitebantur, sic ipsis a primis christianae Ecclesiae incunabulis hoc commune, immotumque principium fuit: « id credendum agendumque omnibus fidelibus esse, quod credit, atque ceu divinam fidem proponit Ecclesia a Christo fundata, iugiterque ducta Spiritus S. illustratione. » Hanc fidei normam, sicut Apostoli, ita et Patres sat frequenter

(1) Cf. Engelberti Klüpfel instit. theol. dogm. recognitas a Gr. Th. Ziegler t. I, §. 68.

(2) Instit. theol. dogm. l. 1, c. 2, not. ad §. 39.

(3) V. Bingham in orig. eccl. I. 10, c. 3 et 4, Nat. Alex. ad I. Saec. Diss. 12.

inculcant. Hac ex ratione illi solum ut haeretici, damnationi obnoxii proclamati fuere, qui doctrinam negarunt a Deo revelatam, et ab Ecclesia ad credendum propositam. Aberrantes autem in fidei doctrina, circa quam de Ecclesiae sententia et definitione non constabat, a formali haeresi excusati sunt. Sic e. g. Augustinus Cyprianum, circa valorem baptismi ab haeretico collati aberrantem, excusavit, « quia nondum solemnis hac de re Ecclesiae definitio prodierat: » et Vincentius Lirinensis loquens de Chiliastis - huius erroris auctores catholicos, consectatores vero haereticos vocat (1) quia illi ante, hi vero post prolatam ab Ecclesia sententiam aberraverunt. — Firma ergo persuasio fuit, solam Ecclesiam infallibiliter dogmata definire, et de necessitate salutis esse, ut omnes se ipsius definitionibus subiiciant.

Nota. Perpetuam de infallibilitate Ecclesiae fidem confirmat etiam consensus Graecorum Schismaticorum. Hi enim in Concilio *Constantinopolitano* anno 1672 habito in causa Protestantium declararunt: *Catholicam, sive Orthodoxam Ecclesiam profitemur esse infallibilem, quoniam a Christo, qui veritas ipsa est, ceu proprio capite dirigitur, et a Spiritu veritatis coelitus eruditur* (2). Iidem in Concilio *Hierosolymitano* eodem anno, et in eadem causa habito dicunt: *Credimus, a Spiritu S. erudiri catholicam Ecclesiam, ac propterea aliquatenus errare, aut aliquando pro veritate mendacium eligere Catholicam Ecclesiam non posse, constanter profitemur* (3). Ipse Lutherus, licet Ecclesiae catholicae iudicium vilipenderit, nihilominus postmodum contra Anabaptistas Ecclesiae docentis auctoritatem defendit dicens: Ecclesia mentiri non potest, nec errorem docere, ne in uno quidem puncto. Si unicum mendacium doceret, tota falsa esset... Ipsi adversarii fateri debent, Ecclesiam esse petram, contra quam portae inferi non praevalent, vel, ut Paulus ait, ipsa est columna et firmamentum veritatis (4).

(1) In commonit.
(2) Can. 10. (3) Can. 12.
(4) Tom. 7, p. 564 etc. Walch t. II, p. 23 etc.

C. Argumentum philosophico theologicum.

§. 216.

Christus Revelationem excellentissimam pro omnibus hominibus attulit, ut Deum debito modo colentes aeternam salutem consequantur. Ait enim: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* (5). Ut autem homines ad nobilissimum et felicissimum istum finem pertingant, doctrinam a Christo revelatam credere, et iuxta illam vitam suam instituere debent. Christus enim dicit (6): *Qui credit in eum* (filium Dei) *non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est* (7). Fidem autem activam requiri, apparet ex eo, quia Apostoli iussi sunt, docere omnes gentes - et quidem *servare omnia*, quae Christus mandavit (8). Ideo etiam Paulus ad Galatas dicit: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides, quae per caritatem operatur* (9). — Christus autem unam, eandemque doctrinam omnibus et credendam et observandam proposuit, ita ut omnes in *unum ovile* congregentur (10), i. e. ut unam societatem constituant, seu, ut dicit Paulus, *unum corpus et unum spiritum* efficiant, *unum Dominum, et unam fidem* profitentes (11). Christus ergo

(5) Io. 3, 16. (6) Io. 3, 18.
(7) Cf. Marc. 16, 16. (8) Matth. 28, 20.
(9) Gal. 5. (10) Io. 10, 16
(11) Eph. 4, 4 et 5.

certissime unitatem fidei exigit, quae tunc tantum habetur, si omnes doctrinam Christi uno eodemque modo, et quidem in vero ac genuino sensu intelligunt. Summi autem momenti est, ut omnes, sicut de divinae Revelationis existentia, sic etiam de vero ac genuino eiusdem sensu firmiter persuasi sint, quoniam alias homines pro sua fragilitate ad unanimem et constantem propositae doctrinae observantiam non impellerentur. Ut ergo finis Revelationis, nimirum gloria Dei, et salus animarum obtineatur, opus omnino est, ut unitas in fide, et firma persuasio de fide habeatur. Ideo autem dubitari nullatenus potest, Christum Ecclesiam docentem infallibilitatis dono insignisse. Nam infallibilitas Ecclesiae omnimode requiritur tum ad unitatem in fide, tum ad persuasionem de fide in Religione christiana producendam, quod 1) *ratio probat*, et 2) *historia confirmat*.

§. 217.

I. Reflexio philosophica.

Revelatio a Christo hominibus allata in duplici fonte, nimirum in S. Scriptura et Traditione continetur. Isti fontes solummodo in recto sensu accepti genuinam doctrinam Christi exhibent. Ut porro inter omnes unitas in fide exsurgat, omnes in uno eodemque sensu S. Scripturam, et Traditionem intelligere debent, ac demum omnino certi esse debent, hunc unum sensum verum et genuinum esse, ut firmam de fide persuasionem nanciscantur. Ut autem id inter homines contingat, qui pro vario culturae gradu, et pro maxima ingeniorum praeiudiciorum, et affectionum diversitate libentissime in varias opiniones abeunt, ratio ipsa medium quoddam prorsus necessarium cognoscit, et quidem medium a) *visibile et facile applicatu*, quod omnes cognoscere, et ad revelatarum veritatum agnitionem adhibere queant, ac b) *securum et certum*, cui omnes non solum per externam professionem, sed etiam per internum assensum se subiicere teneantur, et cui tuto acquiescere possint. Per tale solummodo medium iuxta sanae rationis effatum et unitas in fide et persuasio de fide obtineri potest. Tale autem medium, accurata reflexione instituta, ratio *non alibi*, nisi *in infallibili Ecclesiae magisterio* invenit.

1) Philosophia nonnisi tres fontes assignat, ex quibus omnes humanae cognitiones scaturiunt, nimirum *empiriam* seu propriam experientiam, *rationem*, et *auctoritatem*. Ad istos fontes ergo recurrere oportet, ut medium detegatur, quo revelatarum veritatum cognitio uniformis, et certa acquiratur. Tale autem medium non invenitur in *empiria*, quia non cuilibet revelatio immediate traditur, et veritates fidei per se sensibus haud subiiciuntur; neque invenitur in *ratione*, quae cum in Religione naturali non sufficiat (§. 56 etc.), multo minus sufficit in revelata; licet enim ratio in factis probandis certitudinem moralem summam parere possit, et saepe pariat, non idem tamen praestat in veritatibus speculativis, nisi omnino evidentes sint, et multo minus in transcendentalibus, neque etiam in recto alicuius libri seu testimonii sensu determinando, qua in re per solam rationem uniformis et certus consensus non obtinetur. Manet ergo sola *auctoritas*, quae nobis medium ad finem Revelationis necessarium suppeditet. Auctoritas autem duplex est, *humana* et *divina;* humana non sufficit, quia falli et fallere potest, atque ideo neque omnes se illi subiicere tenentur, neque illi tuto acquiescere posse sunt, quare auctoritas mere humana unitatem in fide, et persuasionm-

de fide producere nequit. Requiri ergo in hunc finem auctoritatem falli et fallere nesciam, i. e. auctoritatem divinam, ipsa ratio dictat.

2. Sicut Deus hominibus veritates ad Religionem pertinentes revelare, et efficere potest, ut in libris seu monumentis sua auctoritate confectis contineantur, sic etiam hos libros, seu haec monumenta sua auctoritate ita declarare potest, ut omnes in recto eorundem sensu intelligendo ab omni errore praeserventur. Rationi autem tres tantum modi cogniti sunt, quibus id a Deo perficiatur. Vel enim Deus quovis tempore hominibus apparet, singulis per miracula suam praesentiam manifestat, eosque immediate circa ea, quae credenda et agenda sunt, erudit. Vel Deus per singulas periodos Prophetas, seu Doctores mittit, qui miraculis, et vaticiniis suam divinam legationem ostendentes, homines de genuino Revelationis sensu certos reddant. Vel tandem Deus magisterium doctorum, sibi invicem succedentium, perenne instituit, ac ita per assistentiam suam dirigit, ut in veritatibus ad Revelationem spectantibus aberrare non possit. — Ast - primum modum ratio admittere nequit: nam revelatio immediata, cuilibet hominum facta, infinitam quodammodo miraculorum seriem exposceret, quae perfectionibus divinis, legem parsimoniae observantibus, repugnat, eademque praescriptam a Christo ab Ecclesia dependentiam e medio tolleret, externaeque membrorum unitati et caritati obsisteret. Secundum quoque modum ratio pro religione a Christo revelata non satis probare potest. Successiva enim Prophetarum missio conveniens quidem est pro religione revelata, uni nationi destinata, uti fuit revelatio per Moysen promulgata, sed non pro religione christiana, ad omnes gentes dilatanda, quia sicut prophetae, ita etiam miracula maxime multiplicari deberent, et nationes variae, si singulae prophetas sibi specialiter deputatos haberent, externo unitatis, et caritatis vinculo non coniungerentur, sicut religio christiana exigit. Superest ergo tertius modus, qui consistit in magisterio, divina auctoritate pro omni tempore constituto, et divina assistentia ita directo, ut in veritatibus revelatis declarandis aberrare haud possit. Huiusmodi magisterium, in primis revelationis praeconibus fundatum, in successoribus semper perdurans, ac divinae in docendo assistentiae claras et certas promissiones habens, est medium aptissimum, imo unicum ad finem a Christo intentum acquirendum. Magisterium enim istud est a) *visibile*, quia ex hominibus constat, et *applicatu facile*, quia omnes homines per auctoritatem vel maxime reguntur, et educantur, et est b) *securum* et *certum*, quia, cum non solum authenticum, sed et infallibile sit, omnes se illi subiicere tenentur, ac ipsi tuto acquiescere possunt. Per hoc ergo medium et unitas in fide, et firma de fide persuasio obtinetur: imo huiusmodi magisterium non solum ad docendos omnium locorum et temporum homines, qui saepe per libros instrui nequeunt, sed etiam ad persuadendum, ad arguendum, ad corripiendum valet.

3. Si ergo Christus benignissimus Revelationis auctor unitatem in fide, et persuasionem de fide poscit, certe etiam medium fini isti accommodatum elegit. Nihil enim sapientiae et bonitati magis contrarium esset, quam aliis finem egregium praefigere, sed medium ad illius consecutionem necessarium non suppeditare. Ne ergo de Christo haec calumnia proferatur, omnino dicendum est, ipsum ma-

gisterium non solum authenticum, sed et infallibile instituisse, per quod omnes, dummodo velint, in unitatem fidei concurrere, et persuasionem de fide sibi comparare possint. Et sane - cum, experientia teste, non singulis hominibus immediata revelatio fiat, neque in religione christiana more V. T. continua prophetarum series mittatur, necessario infallibilitas Ecclesiae admittenda est, ne Christiani omni medio destituti sint, unitatem in fide, et persuasionem de fide producendi (1).

Nota. Varia sunt, quae etiam huic argumento opponuntur.

Obi. 1. Ad unitatem in fide, et persuasionem de fide obtinendam, non requiritur infallibilitas, sed sufficit certitudo moralis, quae obtinetur etiam per magisterium non quidem infallibile, sed ex doctis, piisque viris consistens, de quibus suspicari non licet, quod omnes aut fallant, aut fallantur.

Resp. Moralis haec certitudo non sufficit; a) si enim magisterium ex hominibus consistat, viribus suis naturalibus relictis, ipsorum doctrina et pietas nunquam tam certa est, ut non ab omnibus examinari possit. Tale ergo magisterium potest quidem per allatas rationes homines convincere, sed non sola auctoritate omnimodam subiectionem exigere. Cum ergo non omnes externo et interno assensu se illi subiicere teneantur, nec plena securitate illi acquiescere possint, neque unitas in fide, neque firma de fide persuasio obtinebitur. — b) Etiam docti et pii viri, uti historia tum Theologiae, tum Philosophiae probat, pro ingeniorum varietate vix unquam consentiunt, nisi per infallibilem auctoritatem ad assensum adigantur. Et si varia magisteria dantur, quae dicunt, se genuino modo doctrinam Christi declarare, et tamen maxime inter se discrepant, cuinam credendum erit? — Sane per unum solum, et infallibile magisterium et unitas in fide, et persuasio de fide obtineri potest.

Obi. 2. Unitas in fide, et firma persuasio optime obtinetur statuendo summum Religionis principium, et ex hoc omnes veritates legitime deducendo; sic enim tota Religio in optima harmonia, unitate et certitudine proponetur.

Resp. Assertio haec admitti nullatenus potest: a) cum enim in Religione christiana veritates supra-rationales, seu mysteria contineantur, non potest summum principium statui, ex quo omnes veritates revelatae philosophico modo deducantur. b) Imo licet tale principium a nobis statui posset, tamen unitas in fide non obtineretur, quia etiam ex uno eodemque principio varii varia consectaria deducere solent, ut passim fit in Philosophia et Theologia.

Obi. 3. Ecclesia patriarchalis, et mosaica in una et firma fidei professione stetit, nec defecit, licet neutra infallibilis fuerit. Nil ergo impedit, quominus idipsum de Ecclesia christiana statuatur.

Resp. a) Non convenit inter omnes, an Ecclesia patriarchalis, et mosaica infallibilis fuerit, nec ne. Plures iam Theologi, non levibus innixi argumentis, propugnarunt, Ecclesiam patriarchalem, et mosaicam inerrantiae dono praeditam fuisse usque ad tempora Messiae, in quibus ipsius defectio a Prophetis praedicta fuit. Specialis sane erga Hebraeos providentia Dei negari nullo modo potest (§. 99 et seq.). b) Infallibile magisterium in V. T. tam necessarium non fuit, quia Hebraeis doctrinae tam sublimes, et mysteria tam excelsa, uti in N. T. revelata

(1) Cf. Dobmayr t. IV, §. 161. Frint t. III, §. 285 etc.

non fuerunt. c) Deus in V. T. pro unitate fidei, et persuasione de fide alio modo providit. Frequenter enim Patriarchis apparuit, ipsosque paterno modo erudivit; et cum hi longissimam vitam protraherent, unitati et puritati fidei invigilare potuerunt. — In periodo autem mosaica quolibet fere tempore, ac praecipue, si specialis indigentia id poposcit, missi sunt Prophetae, ob miracula et vaticinia divina auctoritate pollentes, quorum munus erat, populum in iis, quae religionem spectant, instruere, superstitionem ac errores evellere, et genuinum cultum divinum restaurare. Hisce autem mediis Deus non utitur in N. T. ad unitatem et puritatem fidei conservandam, quamobrem alio medio opus est, nimirum magisterio, infallibilitate donato. — Absonum sane esset, dicere, minora esse privilegia Ecclesiae a Messia institutae, quam privilegia Ecclesiae patriarchalis, et mosaicae; et tamen id dicendum foret, negata Ecclesiae infallibilitate! — —

§. 218.

II. Reflexio historica.

Repudiata Ecclesiae infallibilitate unitatem fidei perire, et firmam de fide persuasionem non obtineri, historia commonstrat. Fata Protestantismi id invicte probant. Magnae enim dissensiones inter eiusdem coriphaeos enatae sunt, quod ostendunt dissidia, quae Lutherus cum Zwinglio, Calvino, Carolostadio, Casparo Schwenkfeldio et aliis habuit; neque aderat apud ipsos legitimum tribunal, quo controversiae istae dirimerentur. Ab isto tempore Ecclesias Protestantium circa fidei doctrinam continuis mutationibus obnoxias fuisse, egregie ostendit doctissimus Bossuetus (1). — Neque multum profuerunt libri ipsorum symbolici, quos ad speciem quandam unitatis conservandam compilarunt, qui, utpote divina et infallibili auctoritate carentes perfectam subiectionem exigere, et firmam persuasionem parere non potuerunt. Successu temporis semper magis magisque a prima coryphaeorum Protestantismi doctrina discessum est, dogmata plurima e religione christiana expuncta sunt, vel ita declarata et modificata, ut non dicam cum doctrina Christi, sed ne cum doctrina quidem Lutheri, Calvini, et aliorum haeresiarcharum ullatenus convenirent; ac demum eo deventum est, ut Protestantium doctores, in maxima apud ipsos auctoritate habiti, pro Religione christiana nonnisi rationalismum, seu naturalismum traderent (2). Neque mira nobis haec Protestantismi fata videri possunt, si attente consideremus systemata, quibus variae eiusdem sectae in exponenda Scriptura, in statuenda Revelationis doctrina, et in controversiis fidei dirimendis utuntur. Haec enim talia sunt, ut non solum unitatem fidei producere nullatenus valeant, sed etiam ex aliis rationibus admitti nequaquam possint. Id omni iure tum *de systemate Fanaticorum*, tum *de systemate Socinianorum*, tum *de systemate Protestantium*, sub quo nomine Lutherani et Calviniani potissimum veniunt, asserendum est.

Nota. Systemata haec Acatholicorum iam satis superque refutantur per argumenta pro systemate catholico allata. Sed ex illorum attenta consideratione et refutatione clarius patescit, unicum systema Catholicorum ceu verum et legitimum acceptandum esse. —

(1) In celeberrimo opere de variationibus Eccl. protest.

(2) Cf. Frint t. III, §. 297 etc. Klee t. I, p. II, cap. IV. Anhang I.

§. 219.

1. De systemate Fanaticorum.

Fanatici dicunt, cuilibet Christiano, praemissa oratione et recta mente ad S. Scripturae lectionem accedenti, concedi a Spiritu S. *lumen internum*, quo rectum verbi divini sensum sine erroris periculo intelligat. Ab hac sententia Lutherus quoque non alienus fuisse videtur, qui, dum de S. Bibliorum interpretatione agebatur, saepius ad hoc internum Spiritus S. lumen provocavit, et hoc cuilibet Christiano adiudicavit (1). — At hoc systema admitti nullatenus potest. Nam a) de tali lumine interno, qua singuli S. Scripturam infallibiliter exponere possint, nihil traditur in sacratioribus litteris; promissiones enim assistentiae Spiritus S. in docendo Apostolis factae sunt, non omnibus fidelibus. b) Frustra sane Christus in Ecclesia pastores et doctores (2), qui doceant omnem veritatem (3), et quos omnes audire tenentur, constituisset (4), si fidelium unusquisque affulgens sibi haberet divinum lumen, quo edoceretur, quid credendum sit agendumve. c) Contrarium sane adseverat S. Petrus dicens: *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit* (5). d) Et si cuilibet hoc lumen internum datur, cur Eunuchus reginae Candacis, vir optimae indolis et veritatis cupidissimus, verba Isaiae non intellexit, donec ipsi Philippus eorundem sensum aperiret (6)? — cur viri doctissimi et piissimi, e. g. Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus et alii de S. Scripturae obscuritate lamentantur? si isti lumine interno caruerunt, quis hoc accipiet? si autem istud habuerunt, cur eorum expositiones spernunt Fanatici? — e) Demum si vera esset Fanaticorum sententia, omnes in S. Scripturae interpretatione consentire deberent, quia Spiritus S. sibi contradicere nequit. Sed contrarium invenitur apud Fanaticos, qui mire in exponenda Scriptura dissentiunt, dum alius has, alius illas inspirationes coelestes venditat. Systema ergo Fanaticorum, qui infallibilitatem, quam toti Ecclesiae denegant, singulis attribuunt, ut falsum et absurdum repudiari meretur (7).

Nota. Vaticinium Ioëlis (8): *Prophetabunt filii vestri et filiae vestrae*, indigitat equidem dona extraordinaria Spiritus S. in nova lege fidelibus concedenda esse. Sed id non omnibus, nec pro omni tempore promissum est. Verificatum fuit vaticinium, cum die Pentecostes Apostoli *repleti sunt omnes Spiritu S., et coeperunt loqui variis linguis* (9), et cum per impositionem manuum Apostolorum etiam alii fideles dona extraordinaria acceperunt. Quae autem propter infideles necessaria fuerunt, non ad omnes fideles omnium temporum extendi possunt

(1) Cf. Moehler Symbolik §. 45, not. 2.
(2) Eph. 4, 11. (3) Matth. 28, 19.
(4) Luc. 10, 16. (5) II Petr. 1, 20.

§. 220.

2. De systemate Socinianorum.

Sociniani rationem humanam ceu interpretem S. Scripturae et iudicem controversiarum fidei statuunt, et doctrinam revelatam ita humanae rationis iudicio subiiciunt, ut negent omnia, aut exponant perperam quaecunque ratione naturali non plene assequuntur, nec perfecte capiunt. — Ideo omnia sublimiora dogmata, quae quoad internum nexum ab humana ratione non comprehenduntur, i. e. omnia mysteria, ex Revelatione expungunt. Varia autem sunt,

(6) Act. 8, 27.
(7) Cf. Klüpfel Prolegom. §. 60.
(8) 2, 28. (9) Act. 2, 4

quae falso huic systemati recte opponuntur. Nam a) doctrina a Christo revelata ita sublimis est, ut captum humanum superet. Ideo Paulus eam nominat *Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est* (1). Christus ipse de allatis a se dogmatibus ad Patrem dicit: *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus*, qui omnia ratione sua examinant et inquirunt, *et revelasti ea parvulis*, qui auctoritati credunt, quin intrinsecas rationes cognoscant (2). Cum Christus (3) de instituenda Eucharistia locutus est, videbatur durus ille sermo Capharnaitis, qui scandalizati sunt, et abierunt. Etiam Apostoli titubabant, ad quos Christus: *Numquid et vos vultis abire?* Respondit Petrus: *Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes;* quasi diceret: Credimus, quia verax es, etsi rem non perfecte intelligamus. — Cum ergo doctrina revelata captum hominis transcendat, iudicem illius humanam rationem statuere idem est ac caeco de coloribus et surdo de musica iudicium tribuere. b) Tantum abest, ut S. Scriptura Socinianorum systemati faveat, ut potius contrarium, nimirum humanae rationis erga divinam Revelationem subiectionem praescribat. Paulus enim dicit, Apostolos esse *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei* (4). c) Ratio humana obscurata, infirma, et erroribus obnoxia in negotio summi momenti aptus iudex esse non potest. Caecutit enim ratio in naturalibus, cespitat in moralibus, suae perspicaciae perviis, quomodo dux erit et iudex in supernaturalibus? d) Unitas in fide nunquam obtineretur, posita ratione ceu revelationis iudice; sed sicut systemata philosophica, sic etiam dogmata credenda continuo mutarentur, et pro varia ingeniorum cultura varia quoque fides prodiret. e) Revelatio materialis, quam tamen ipsa ratio necessariam agnoscit, in hoc systemate omnino excluderetur. Dux ergo ille, qui in vera ad felicitatem via nos ibi ulterius dirigere debet, ubi in densis tenebris nos relinquit ratio nostra limitata nimis, iterum deserendus, et omnis spes salutis amittenda foret. f) Magna quoque iniuria in Socinianorum sententia infertur Deo, dum limites eius perfectionibus ponuntur, quasi revelare non possit nisi ea, quae naturali ratione demonstrari possint, et dum ea, quae intellectus infinitus revelat, rationi finitae examinanda et diiudicanda subiiciuntur, neque vera esse creduntur, nisi a ratione humana probentur. g) Ideo Patres unanimi consensu docuerunt ea, quae ad fidem pertinent, non curiose esse examinanda, sed humiliter credenda propter infallibilem Dei revelantis auctoritatem (5).

Nota. Quae ratio in Religionis revelatae negotio praestare possit, vel non possit, fusius exponetur in huius partis dissertatione secunda. — Atheus certe ope rationis tum de existentia Dei, tum de facta a Deo revelatione convincendus est, si autem hanc cognoverit, rationem suam Deo revelanti subiicere iubetur. — Ratio data est homini ad iudicandum ea, quae intra rationis sphaeram continentur, non autem ad iudicandum ea, quae rationis limites transgrediuntur. Imo ratio data est etiam homini ad credendum ea, quae per auctoritatem fide dignam, et praecipue quae per auctoritatem infallibilem, qualis est divina, vera esse probantur. — Et certe fides *rationabile obsequium* (6) nominari meretur, si praestatur Deo, falli et fallere ne-

(1) I Cor. 2, 6 etc. (2) Matth. 11, 25. (3) Io. 6. (4) II Cor. 10, 5. (5) Klüpfel Proleg §. 61. (6) Rom. 12, 1.

scio, licet rationes veritatis intrinsecae non perspiciantur.

§. 221.

3. De systemate Protestantium.

Protestantes, sub quo nomine veniunt praecipue Lutherani et Calviniani, circa interpretem Revelationis et fidei controversiarum iudicem hanc fere doctrinam sequuntur: 1. statuunt, iudicem controversiarum infallibilem ac principalem esse ipsummet Deum; 2. ministerialem ac inferiorem esse Ecclesiam (i. e. pastores et doctores) erroribus obnoxiam; 3. vocem iudicis principalis, et normam iudicis ministerialis esse Scripturam S., in qua credenda et agenda clare proponuntur; 4. neminem obligari ad Ecclesiae iudicium amplectendum, sed fidere quemlibet iudicio suo posse (1). In systemate ergo Protestantium, in quo magisterium authenticum et infallibile desideratur, omnia reducuntur ad S. Scripturam, spiritu privato exponendam. Sed hoc systema penitus reiiciendum esse, variae rationes suadent. Nam a) S. Scriptura non solum in accidentalibus, sed etiam in essentialibus obscura est et difficilis intellectu (§. 191). Ipsi Protestantes fatentur, ad S. Biblia rite intelligenda magnum eruditionis apparatum, linguarum et rerum antiquarum studium, ac regularum hermeneuticarum accuratam cognitionem requiri. — Si ergo spiritui cuiuslibet privato illorum expositio committitur, vel quilibet tenebitur, praefatum eruditionis apparatum sibi comparare, vel aliis hominibus, maiori doctrina praeditis, fidem adhibere debebit: primum plerisque hominibus impossibile est, secundum eosdem tutos non reddit, quia etiam docti fallibiles sunt, et inter se saepe dissentiunt: itaque apud Protestantes plerique certam fidei regulam non habent, et hac de causa unitas in fide et persuasio de fide apud ipsos locum non habet. b) Si etiam concederetur, S. Scripturam in essentialibus saltem claram esse, attamen Protestantium systema admitti haud posset. Homines enim saepe praeconceptis opinionibus obcaecantur, et studio partium ac passionum turbine ita abripiuntur, ut etiam veritates clarissime propositas non recte intelligant, pro modulo suo exponant, et praeposterum sensum pro vero amplectantur. Exemplo sit Synagoga tempore Christi, quae circa clarissima vaticinia messiana turpissime aberravit. Idem etiam ostendunt plurimae et diversissimae sententiae, quae de sat claris verbis Christi: *Hoc est corpus meum*, inter heterodoxos circumferuntur. — c) Sapientes legislatores, qui codicem promulgant, semper etiam tribunalia constituunt, quae leges authentice exponunt, earundem observantiae invigilant, et enatas circa illas controversias dirimunt. Imprudentissimus censeretur legislator, qui codicem promulgaret, et omnibus permitteret, ut leges in illo contentas pro genio suo explicarent. Et quis id de Christo sapientissimo legislatore dicere audebit? d) Ipsi ethnici Philosophi agnoverunt, solum librum ad homines erudiendos ac emendandos aptum medium haud esse. Sic *Plato* in Phaedro dicit: « Tantum abest, ut scripta Philosophorum lecta homines illuminent, et sapientiores reddant, ut potius inserviant ad ipsos in errores protrahendos, quia facillime cum verbis auctoris proprios erroneos conceptus coniungunt. Ideo qui absque magistro, viva voce docente, et sensum explicante, libros legunt, eruditi videbuntur, reipsa autem saepissime

(1) Ita Io. Gerhardus t. II, loc. theol. §. 452.

ignorantes erunt. » — Optime idem Plato librum comparat cum pictura, quae aspici potest, sed interrogantibus non respondet; « Centies, ait, interroga librum, - idem semper responsum dabit; eodem modo ab ignorantibus, sicut a sophistis laceratus plurima tolerare debebit et ab istorum petulantia et ab illorum stupiditate, neque ab istis iniuriis liberabitur, nisi libri auctor succurrat, et viva voce rectum sensum determinet. » Haec Plato de scientiis naturalibus disserit, quae intra rationis sphaeram continentur, quid dixisset, si de Religione revelata et supernaturali sermo fuisset? — e) Ecclesia nunquam S. Scripturam exponendam et fidei controversias dirimendas cunctis fidelibus reliquit, sed omni tempore hoc negotium summi momenti sibi vindicavit (§. 209, n. 7). Patres quoque illos temeritatis arguerunt, qui divina oracula per spiritum suum privatum exponere sunt ausi. Sufficiat audire *S. Hieronymum*, qui (1) scribit: « Quod medicorum est, promittunt medici, tractant fabrilia fabri: sola scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant (scribimus indocti doctique poëmata passim): hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent, antequam discant. »

Nota. Protestantes ad rem suam probandam varia S. Scripturae loca conglomerant, quae autem eorum systemati nullatenus patrocinantur. — Christus enim non iudicium de sua doctrina Iudaeis permittit, sed iustum iudicium de sua actione poscit, qua in die sabbati aegrum sanavit, cum dicit (2): *Iustum iudicium iudicate.* — Dictum Pauli (3): *Vos ipsi iudicate, quod dico*, idololatriam spectat, quam absonam, impiam reiiciendam esse, cuique naturaliter cognitum est. — Dum Paulus (4) dicit: *Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus*, non iam iudicium de recto S. Scripturae sensu, sed iudicium de eo, qui erronea, doctrinae apostolicae contraria docet, fidelibus tribuit, et loquitur de primis Christianis ab Apostolis optime instructis, et extraordinariis donis Spiritus S. praeditis. In eodem sensu accipienda sunt alia, quae ab adversariis adducuntur, Scripturarum loca, uti: Homo *spiritualis iudicat omnia* (5). *Exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali* (6). *Vos unctionem habetis a Sancto, et nostis omnia* (7), *non necesse habetis, ut aliquis doceat vos* (8). — Hincinde Apostoli non de doctrina Revelationis diiudicanda, sed de ea ad actiones applicanda loquuntur. Sic Paulus Philippenses (9) hortatur, ut *probent potiora*, i. e. ut Grotius exponit, « ut in quacunque rerum circumstantia quid rectum, quid non sit, intelligant. » — Inepte autem pro systemate Protestantium citatur locus Pauli: *Omnia probate, quod bonum est, tenete* (10); impium enim esset dicere, ea, quae Deus ad nos loquitur, probanda et examinanda esse, an bona vel mala, falsa vel vera sint. — Demum si Christus ad Iudaeos dicit: *Scrutamini Scripturas* (11), et si fideles laudantur, quod fuerint *quotidie scrutantes Scripturas* (V. T. ex quibus Paulus vaticinia pro Christo citavit et declaravit), non ideo earundem expositio spiritui cuiuslibet privato committitur; modus enim, quo S. Biblia scrutari

(1) Epist. 57.
(2) Io. 7, 24.
(3) I Cor. 10, 15.
(4) I Cor. 14, 24.
(5) I Cor. 2, 15.
(6) Hebr. 5, 14.
(7) I Io. 2, 20.
(8) Ib. v. 27.
(9) 1, 10.
(10) I Thess. 5, 21.
(11) Io. 5, 29.

oporteat, in his locis non determinatur (1).

§. 222.

Conclusio.

Ex ipsa systematum erroneorum consideratione et refutatione clarissime apparet, unice verum esse systema Catholicorum, quod solidis argumentis iam probatum est. Christus ergo non solum authenticum, sed et infallibile magisterium instituit, nimirum Ecclesiam docentem, quae ideo est authenticus et infallibilis Revelationis interpres, ac fidei controversiarum iudex. Et sicut omnes homines Revelationem a Christo allatam amplecti, sic et omnes Ecclesiae docenti se subiicere tenentur.

Nota. Restant nonnullae difficultates solvendae, quae Ecclesiae infallibilitati opponi solent.

Obi. 1. In systemate Catholicorum praeponitur auctoritas Ecclesiae auctoritati ipsius divinae Scripturae; nam quidquid Ecclesia ad credendum proponit, infallibile habetur, licet in S. Scriptura testimonium non legatur; si quid autem S. Scriptura doceat, id pro dogmate non habetur, nisi Ecclesiae consensus accesserit; ergo effata hominum fallibilium eloquiis Dei infallibilis praeferuntur.

Resp. Auctoritas Ecclesiae a nobis non praefertur auctoritati S. Scripturae, sed quia in hac auctoritas Ecclesiae adseveratur, ut S. Scripturae auctoritatem sequamur, debemus etiam Ecclesiae auctoritatem agnoscere. Non talem Ecclesiae auctoritatem tribuimus ac si novam revelationem afferre possit, sed eam Revelationis a Deo factae infallibilem interpretem adstruimus: quotiescunque ergo Ecclesia aliquid ad credendum proponit, id in S. Scriptura, aut in Traditione contentum sit oportet, et Deo revelanti credimus, cum Ecclesiae definitionibus fidem habemus. Ecclesiae iudicium id solum praestat, ut nos de facta revelatione et de eiusdem sensu certos reddat. Sicut ergo ad fidem divinam duo requiruntur, primo ut Deus revelationem dederit, ac dein ut de facta revelatione et de genuino eiusdem sensu certi simus, sic nos cum auctoritate S. Scripturae auctoritatem Ecclesiae iustissime coniungimus. Neque hominibus in se spectatis - infallibilitatem tribuimus, cum dicimus, Ecclesiam errare non posse, sed hanc infallibilitatem ex Christi et Spiritus S. assistentia repetimus: ergo Ecclesiae ex eadem ratione credimus, ex qua scriptoribus hagiographis credendum est.

Obi. 2. Admissa Ecclesiae infallibilitate erroribus et superstitionibus ianua aperitur. Nam Ecclesia sua auctoritate abuti, et sub infallibilitatis praetextu falsa et erronea proponere potest.

Resp. Admissa Ecclesiae infallibilitate etiam admittendum est, ipsam a Christo et Spiritu S. ita regi, ut sua auctoritate abuti, et in Revelationis negotio erronea pro veris proponere nullatenus possit. Abusus tantummodo pertimescendus est a magisterio, humana solum auctoritate constituto, et ideo erroribus obnoxio.

Obi. 3. Ecclesia, dum fidei controversias dirimit, fit iudex in propria causa; tale autem iudicium merito reiicitur, quia in confesso est apud omnes, neminem posse esse iudicem in propria causa.

Resp. Fallaci hac argumentatione multi ex Protestantibus tempore Concilii Tridentini se Ecclesiae auctoritati subducere tentarunt. Sed per-[illegible]u: a) Ecclesia enim, fidei con-

(1) Cf. Klüpfel Proleg. §. 63. Liebermann t. II. l. II, c. III, art. II, pr. I

troversias dirimens, non fit iudex in propria causa, sed potius in causa Dei et salutis hominum; iudicat enim de doctrina a Deo revelata, et pro salute omnium hominum destinata, et pleno iure hoc iudicium sibi vindicat, quia a Deo ceu interpres ac iudex statuta est. b) Homines ideo solummodo in propria causa iudices esse non possunt, quia tali in negotio per amorem proprium et per passiones cordis decepti facillime in sinistrum iudicium divergunt. Remoto hoc periculo quilibet iudicare potest de causa propria, sicut de aliena. Hoc autem periculum omnino alienum est ab Ecclesia ob Christi et Spiritus S. assistentiam, quamobrem etiam in causa propria sine erroris periculo iudicare potest. Quod ergo Christus Pharisaeis dixit, qui aegre tulerunt, quod de se testimonium ferat, id etiam Ecclesia catholica adversariis reponere potest: *Si testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum* (1). Contra Protestantes potius valet allata obiectio, qui in suis cum Catholicis controversiis iudices esse non possunt, quia nullum infallibile magisterium habent, et ideo facillime amore proprio obcaecari, ac praeconceptis opinionibus abripi possunt.

Obi. 4. Infallibilitas Ecclesiae tollit libertatem cogitandi, et fidem caecam seu carbonariam producit, quia audita Ecclesiae definitione dubitare et rem examinare non licet.

Resp. a) Auctoritas Ecclesiae non magis coërcet libertatem cogitandi, quam auctoritas Dei revelantis, quia Ecclesia ea tantum infallibili modo proponit et credenda praecipit quae Deus revelavit. b) Homini talis libertas cogitandi non inest, ut divinam Revelationem pro libitu vel acceptare vel respuere, aut pro genio suo exponere et intelligere possit; sed factam a Deo revelationem homo tenetur quaerere, inventam recte intelligere, et intellectam fideliter observare, quo in negotio Ecclesia infallibilis ipsum ceu pia mater iuvat. Nullatenus ergo libertas cogitandi per Ecclesiae infallibilitatem minuitur, sed infirmitati humanae subvenitur. c) Neque caeca fides est, quae Ecclesiae praestatur; quid enim rationi convenientius est, quam auctoritati credere, quae nec falli, nec fallere potest? — hac via docti et indocti facillime ad rectam et certam veritatis cognitionem pertingunt. Recte S. Augustinus (2) dicit: « Auctoritati credere magnum compendium et nullus labor, ac animis tardioribus et imperitioribus utilissimum est, excellentissimae auctoritati credere, et secundum hoc vitam agere. » — Protestantium potius fides caeca et carbonaria dici meretur, quia vel spiritui suo privato fallibili, vel magisterio doctorum fallibilium tuto credunt (3).

(1) Io. 8, 14. (2) De quantit. anim. c 7.

ARTICULUS II.

De infallibilitatis subiecto.

§. 223.

Cognita infallibilitatis existentia, magni momenti est, ut etiam ipsius subiectum rite cognoscatur, seu ut cognoscantur illi, qui Ecclesiam docentem inerrantiae dono praeditam, seu magisterium authenticum et infallibile a Christo institutum efficiant. Id vero ex hactenus probatis facile determinatur. Subiectum enim infallibilitatis, seu Ecclesiam docentem infallibilem constituunt Episcopi cum suo Primate, i. e. cum romano Pontifice. Id ex *S. Scriptura* et ex *Traditione* infertur.

1. Christus enim munus docendi Apostolis tradidit, inter quos emi-

(3) Cf. Klee l. c. pag. 264. Perrone t. I, p. II, prop. 7.

nuit Petrus, iisdemque suam et Spiritus S. assistentiam in docendo promisit Haec autem Christi et Spiritus S. assistentia, *usque ad consummationem saeculi*, et *in aeternum* promissa, in Apostolorum successoribus perpetuo continuari debet. Apostolis autem in munere docendi et regendi Ecclesiam (1) succedunt Episcopi, sicut Petro succedit romanus Pontifex (quod inferius probabitur); iisdem ergo infallibilitatis donum pro omni tempore concessum est. Ideo Paulus loquens de medio, quo *occurramus omnes in unitatem fidei... et non circumferamur omni vento doctrinae*, non unum, non aliquos, sed in genere sicut *Apostolos*, sic et *pastores et doctores* a Deo datos esse dicit (2), sub quo nomine Episcopi primo loco intelligendi sunt.

2. In Ecclesia firma semper persuasio viguit, Episcopos, ut Apostolorum successores, cum suo Primate, successore Petri, constituere magisterium authenticum et infallibile, a Christo institutum. Ideo si agebatur de dogmate definiendo, et de fidei controversia dirimenda, Episcoporum consensus inquirebatur, quo cognito causa finita censebatur. Id historia ecclesiastica omnium saeculorum testatur. Ergo semper, ubique, et ab omnibus Episcopi cum suo Primate pro infallibilitatis subiecto habiti sunt.

Nota 1. Theologi duplicem infallibilitatem secernere solent, *activam* et *passivam*, illa pastoribus et doctoribus, seu Ecclesiae docenti, haec ceteris quoque fidelibus seu Ecclesiae discenti competit; illa pastores praemunit, ne in docendo aberrent, haec detinet ceteros fideles, ne in errores deducantur, et a fide deficiant (3).

Nota 2. Ecclesia universalis docens duplici modo infallibiliter dogmata definire et fidei controversias dirimere potest. Id enim vel *in concilio generali congregata*, vel *per orbem dispersa consensu extraconciliari* praestare valet. De hoc duplici infallibile iudicium manifestandi modo fusius agendum venit.

(1) Act. 20, 28. (2) Eph. 4.

A. De conciliis generalibus.

§. 224.

I. Notio.

Concilium generale, seu *synodus oecumenica* est conventus Praesulum ecclesiasticorum, ex universo orbe catholico congregatorum ad negotia ecclesiastica collatis suffragiis definienda legitime institutus.

Nota. Concilium, ethymologice spectatum, quamlibet congregationem denotare potest. Antiquissimo autem, in Ecclesia recepto, usu concilii nomen illis tantum conventibus tribuitur, in quibus plures Praesules ecclesiastici, et quidem ad negotia ecclesiastica pertractanda congregantur; congregationes autem in negotiis civilibus habitae, *comitia* dici solent. Concilium, cui legitima auctoritas deest, *conciliabulum* nominatur.

§. 225.

II. Auctoritas.

Concilia generalia aberrare non posse, eorumque definitiones infallibilis auctoritatis esse, ex *eorundem notione*, ex *concilio Apostolorum hierosolymitano*, ex *consensu SS. Patrum*, et ex *perpetua Ecclesiae persuasione* probatur.

1. Ecclesia enim universalis docens, ut ex dictis liquet, est infallibilis. Sed concilium generale est conventus Praesulum ecclesiasticorum ex universo orbe catholico congregatorum, universam ergo Ecclesiam do-

(3) Cf. Dobmayr t. IV, Append. §. 64.

centem exhibet. Ideo Patres in concilio Nicaeno I effata sua, ut effata Ecclesiae pronuntiarunt. Dixerunt enim: *Hos tales anathematizat catholica et apostolica Ecclesia.* Concilium *Constantiense* expresse hanc formulam saepe adhibet: *Sacrosancta Synodus Ecclesiam universalem repraesentans.* Similia in ceteris conciliis generalibus habentur, neque alia sententia inter catholicos viget. Sicut ergo Ecclesia universalis docens, sic Concilium generale infallibilitate in docendo pollet.

2. Singuli ex Apostolis controversiam de legalibus infallibiliter dirimere potuissent. Cur autem Concilium inierunt? — Certe non aptior ratio assignari potest, nisi illa quam assignat Synodus oecumenica V, quae dicit, Apostolos congregatos controversiam diremisse, ut pro futuris saeculis normam praescriberent, quae in dogmatibus definiendis et controversiis fidei dirimendis servanda sit. In concilio autem hierosolymitano Apostoli sententiam suam, ut effatum S. Spiritus proposuerunt, dicentes: *Visum est Spiritui S. et nobis:* ergo omnia concilia generalia iuxta hanc normam definitiones suas ut infallibilia Spiritus Sancti eloquia promulgare possunt.

3. Id ipsum confirmat consensus SS. Patrum, qui Spiritus S. assistentiam conciliis generalibus adscribunt, eorumque definitiones ceu infallibiles ac irrefragabiles praedicant. Sic *S. Athanasius* (1) Concilii Nicaeni definitionem verbum Dei non dubitat appellare: « Verbum Dei, inquit, per oecumenicam synodum Nicaenam manet in aeternum. » — *S. Ambrosius* (2) ait: « Sequor tractatum Concilii Nicaeni, a quo nec mors, nec gladius me separabit. » — *S. Gregorius Naz.* (3) ait: « Concilium Nicaenum sanctum est, in quo 318 doctissimos viros Spiritus Sanctus coëgit: » et (4) profitetur, se fidei Nicaenae, quae a SS. Patribus illic edita est, nec quidquam unquam praetulisse, nec praeferre posse, verum in fide illius esse, et Deo adiuvante fore. — *S. Basilius* (5) scribit: « Patres Nicaeni non sine Spiritus S. afflatu locuti sunt. » — *S. Cyrillus Alex.* tanta veneratione Concilium Nicaenum prosequebatur, ut (6) scriberet: « Nullo modo patimur, ut ab aliquo fides illa, seu fidei symbolum concutiatur, quod a SS. Patribus Nicaenis quondam editum est. Neque enim aut nobis, aut ullo omnino alteri vel unam voculam ibi positam immutare, aut unam etiam syllabam praeterire permittimus. » Idem (7): « Nicaeno Concilio ipsum Christum consedisse » dicit. *S. Leo M.* (8) loquens de definitionibus Concilii Nicaeni et Chalcedonensis scribit: « Nullum audemus inire tractatum, quasi dubia, vel infirma sint, quae tanta per Spiritum S. fixit auctoritas. » — Tandem *S. Gregorius M.* (9) scribit: « Sicut S. Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia (Nicaenum, Constantinopolitanum, Ephesinum et Chalcedonense) suscipere et venerari me fateor . . . quia dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis praesumit aut solvere, quos religant, aut ligare, quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. »

4. Definitiones Conciliorum generalium in tanta semper auctoritate habitae fuerunt, ut fideles non dubitaverint, pro illis exilia et ipsam mortem pati. Id factum est in Africa, ubi in persecutione Vandalica, teste *Victore Vitensi*, plurimi mar-

(1) Epist. ad African. (2) Epist. 21, al. 32.
(3) Orat. 21. (4) Or
(5) Ep. 114. (6) Ep. ad Io. Ant.
(7) In Symbol. t. V, p. 2, pag. 157.
(9) Epist. 25, al. 24

tyrium sustinuerunt, quia a definitionibus Concilii Nicaeni non recesserunt. Et hi ab Ecclesia ut martyres coluntur. E contra omnium saeculorum historia testatur, illos, qui definitionibus Concilii generalis se subiicere recusarunt, anathemate perculsos et salutis exsortes declaratos fuisse.

Nota. Si *S. Gregorius Naz.* (1) scribit: « Omnem Episcoporum conventum fugio, quoniam nullius concilii finem faustum et laetum vidi», loquitur de illegitimis, fraude Arianorum collectis, vel corruptis conciliis: longe aliter sensit de Concilio Nicaeno, ad quod Patres a Spiritu S. coactos esse dicit. — Dum vero *S. Augustinus* (2) pronuntiat, « concilia plenaria saepe priora a posterioribus emendari », non loquitur de synodis vere oecumenicis, quoniam utitur particula saepe? tum enim aetatis post Concilium Hierosolymitanum nonnisi Concilia generalia duo habita fuerant, videlicet Nicaenum I et Constantinopolitanum I, quae neutiquam emendata fuerunt; sed per concilia plenaria intelligit concilia nationalia, a totius Africae Episcopis Carthagine haberi solita, e quibus nonnulla sub Cypriano vere aberravere, et emendatione indiguere. — Frustra etiam adversarii, ut ostendant, Concilia generalia aberrare posse provocant ad Concilium Ariminense, in quo Arianismus praevaluit. Hoc enim Concilium generale non fuit: congregatum enim erat tantum ex occidentalibus Episcopis et ex his quoque, licet numero 385 essent, tamen nec dimidia pars aderat, quoniam, ut ait Com. de Stolberg, tunc temporis plusquam mille Episcopi in Occidente numerabantur. Multi praeterea legitimi Episcopi cum ipso summo Pontifice Liberio in exilio degebant. — Et quod praecipuum est, in hoc concilio libertas suffragiorum desiderabatur. Multi enim Episcopi diu fidei Nicaenae fortiter adhaeserunt, donec persecutionibus et aerumnis fracti, formulae non apertae haereticae, sed subdole confectae subscriberent, qui vero libertati restituti subscriptionem suam statim reclamarunt. — Exultabant quidem Ariani de victoria relata, et plenis buccis, - licet perperam - clamabant, fidem suam per Concilium generale definitam esse, atque ideo nonnullis videri poterat mundus modo arianus factus, licet talis non esset, - et certe nil aliud innuit *S. Hieronymus*, dum (3) dicit: « Ingemuit totus orbis, et se arianum esse miratus est.» — — Contra auctoritatem Conciliorum generalium etiam ex dissensu Concilii Francofurtensis et Nicaeni II nil inferri potest. Nam Conc. Nic. II in sua celebratione oecumenicum non fuit, quia magna ex parte Episcopi tantum Orientales illi interfuerant, et ideo illud nonnisi ex post-facto, accedente totius Ecclesiae consensu generale factum est. — Concilium porro Francofurtense Synodum Nicaenam II ideo solum reprobavit, quia *errore facti* credidit, a Patribus Nicaenis absolutum latriae cultum imaginibus decerni. Huic errori occasionem dedit Actorum Synodi Nic. *mendosa* versio in latinum idioma. Nam Constantinus Cypri episcopus catholico certe sensu dixerat: Ego (his decretis) consentio . . . suscipiens et honorabiliter amplectens sanctas et venerabiles imagines atque adorationem per latriam... soli Trinitati impendo (4). Infidus autem interpres hanc confessionem sic latine reddiderat: Suscipio et amplector sanctas et venerabiles imagines secundum servitium adorationis, quod Trinitati emitto. — Hanc con-

(1) Ep. 55 ad Procop. (2) L. 2 de b[illegible] c. 3. (3) Dial. ad Lucif. (4) Act. 4

fessionem merito reprobarunt Patres Francofurtenses, sed errore detecto et isti et omnes Occidentis Episcopi decreta Conc. Nicaeni II cum omni veneratione susceperunt.

§. 226.

Conditiones.

Ut concilium vere generale dici possit, requiritur 1° *Episcoporum congregatorum sufficiens numerus*, 2° *legitima convocatio*, 3° *legitima pertractatio*, et 4° *Romani pontificis confirmatio.*

1. Magnum requiri Episcoporum numerum ad Concilium generale ex eiusdem notione patet, quia conventus Praesulum ecclesiasticorum ex universo orbe catholico congregatorum dicitur. Ergo a) ad Concilium generale convocandi sunt *omnes et soli Episcopi.* Nam ii soli, et omnes convocandi sunt, quibus a Christo impositum est munus docendi et quibus in hoc munere divina assistentia promissa est. Tales autem non sunt, nisi primo quidem Apostoli, et dein eorum successores Episcopi. Ideo in Ecclesia semper persuasio et praxis viguit, nonnisi Episcopos ad Concilia generalia convocandos esse: unde illud celebre Imperatorum Theodosii et Valentiniani dictum, Synodi Ephesinae actis insertum: « Nefas est, qui SS. Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus se immiscere: » item illud Concilii *Chalcedonensis*: « Mitte foras superfluos; Concilium Episcoporum est.» b) Episcopi autem in Concilio adsunt ut iudices et ideo *gaudent iure suffragii decisivi.* Nam etiam in Concilio Hierosolymitano post Petrum Iacobus dixit: *Propter quod ego iudico* (1), et sententia synodica his verbis concepta fuit: *Visum est Spiritui S. et nobis* etc. Omnes sane Episcopi potestate docendi, ligandi et solvendi praediti, et ad regendam Ecclesiam a Spiritu S. constituti sunt: ideo Episcopi in Conciliis subscribere solent: *Ego N. N. statuens, vel definiens subscripsi.* Hoc ius etiam concedi solet Abbatibus supremis coenobiorum, et Generalibus ordinum, tum quia iurisdictione quasi episcopali gaudent, tunc quia traditionem suorum coenobiorum et ordinum contestari possunt. Theologi autem et canonistae, scientia et pietate conspicui, ad concilia vocari solent non cum iure suffragii decisivi, sed ut materias pertractandas examinent, et Episcopos in rebus fidei indagandis et controversiis dirimendis consiliis suis iuvent. c) Si autem quaeratur *de requisito Episcoporum numero*, non iam exigi potest, ut omnes ad unum ad Concilium generale conveniant. Quominus enim id fiat, impedimenta physica et moralia obstare possunt: fieri enim potest, ut nonnulli ex Episcopis aut senio, aut morbo, aut difficultate itineris, aut vi et armis retineantur; vel ipsorum praesentia necessaria esse potest ad seductionis pericula a gregibus suis removenda. Absonum autem esset dicere, Christum promissionem de sua et Spiritus S. assistentia conditioni impossibili alligasse, et Concilium generale ac infallibile solum sub hypothesi fieri, quae nunquam verificari poterit. — Etiamsi ergo non omnes Episcopi conveniant, concilium nihilominus generale et infallibile habendum est, dummodo tot ex diversis orbis catholici partibus conveniant, ut *moraliter sufficiant ad universam Ecclesiam docentem repraesentandam* Ad id autem sufficere iure censentur, si ex singulis regnis et provinciis orbis catholici tot convenerint, ut valeant doctrinam illorum regnorum ac provinciarum con-

(1) Act. 15, 19.

testari. Tunc enim moralis totius Ecclesiae docentis consensus habetur.

2. Ad Concilium generale etiam requiritur, ut a legitima potestate convocetur et instituatur. Haec autem legitima potestas competit summo Ecclesiae totius Primati, i. e. romano Pontifici. a) Solius enim Episcopi est, convocare synodum dioecesanam, solius Archiepiscopi, convocare concilium provinciale, solius regis convocare comitia generalia regni, ergo etiam solius romani Pontificis est, convocare concilia generalia. b) Et sane ille solus concilium generale convocare potest, cui omnes Episcopi parere tenentur; sed soli romano Pontifici omnes Episcopi subiiciuntur, ergo ad illum solum spectat, concilia generalia convocare. c) Primatus a Christo institutus est ad fidei unitatem et puritatem in Ecclesia servandam. Qui autem habet obligationem ad finem, habet etiam ius ad media: concilium autem generale hincinde medium necessarium, vel saltem optimum est ad fidei unitatem et puritatem servandam. d) Ideo constans in Ecclesia persuasio fuit, Concilia generalia a romano Pontifice convocanda esse. Sic saec. IV Iulius I (1) ait: « Canon ecclesiasticus vetat, ne decreta absque sententia romani Pontificis sanciantur, » seu (ut legit Cassiodorus (2)): « non debere absque sententia romani Pontificis concilia celebrari », et hunc canonem a Concilio Nicaeno renovatum scribit synodus Alexandrina (3). Pelagius II (4) ait: « Multis denuo apostolicis et canonicis atque ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia romani Pontificis concilia celebrari. » — In Concilio Chalcedonensi (5) Dioscorus prohibitus est sedere inter Episcopos, « quia, inquiunt PP, synodum ausus est facere sine auctoritate sedis apostolicae, quod nunquam licuit, nunquam factum est. »

3. *Ad legitimam pertractationem* in conciliis generalibus tribus opus est. Primo requiritur, ut *romanus Pontifex concilio praesideat*. Ipse enim toti Ecclesiae praeest extra concilium, ergo etiam in concilio. Neque enim concilium universam Ecclesiam repraesentaret, si huiusce caput, nempe romanus Pontifex, deesset. Et iam concilio hierosolymitano Petrus praesedit, qui et primus sententiam pronuntiavit, atque, historia teste, in conciliis oecumenicis semper romani Pontifices vel per se, vel per legatos praesidium gesserunt. — Secundo necesse est ut Episcopi in concilio collecti suffragia decisiva ferant et in hisce ferendis omnino liberi sint, et nullatenus per vim, metum aut fraudem in unam alteramve sententiam flectantur, quia consensus Ecclesiae docentis, cui infallibilitas promissa est, non haberetur, si Episcoporum subscriptio iniquo modo extorqueretur. — Tertio demum requiritur, ut Patres in concilio congregati tanquam dogma fidei nihil definiant, nisi praemissis praemittendis, videlicet invocato Spiritu S., maturo consilio ac discussione materiae in quaestionem adductae, inspectis quoque idcirco revelationis fontibus, in quibus dogmata continentur, ab Ecclesia, eorundem infallibili interprete, definienda. Nam Lucas (6) testatur, quod etiam in concilio Hierosolymitano ab Apostolis ante decisionem magna inquisitio facta fuerit.

4. Ultimo demum requiritur, ut concilium *a romano Pontifice confirmetur*. Neque enim concilium universalem Ecclesiam repraesentare

(1) Epist. ad Orient. ap. Socrat.
(2) In hist. tripart. (5) Ep. ad F
(4) Ep. 1, c. 1. (, 1. 1.

potest, nisi adhaerens et consentiens capiti suo, et ab hoc quasi vitam et activitatem suam repetens. Ideo antiquissima est Ecclesiae praxis, conciliorum oecumenicorum decreta ad romanum Pontificem mittendi et pro iisdem confirmationem petendi, quod iam factum esse legitur in concilio Ephesino et in concilio Chalcedonensi. Equidem si ipse romanus Pontifex concilio personaliter intersit et praesideat, et si omnia ipso consentiente peracta et definita fuerint, ulterior confirmatio necessaria non est. Si autem romanus Pontifex praesideat per legatos, eiusdem confirmatio semper requiritur, vel ut declaret, legatos iuxta instructionem ab ipso acceptam processisse, vel ut de iis, in quibus legatis nullam instructionem dederat, sententiam suam edicat, quia hoc in casu sine confirmatione sententia Capitis deesset.

Nota 1. Adversarii hac ipsa iam proposita doctrina abutuntur, ut contra auctoritatem conciliorum magnam difficultatem moveant. Aiunt enim: Nemo fide divina certus esse potest in quodam concilio omnes conditiones adimpletas fuisse, atque ideo nunquam satis certo constare potest, concilium vere esse generale et infallibile; ex quo sequitur, nunquam obligationem adesse, definitiones illius fide divina credendi. — — Ad difficultatem hanc solvendam Theologi catholici varia respondent. a) *Beda Mayr* (1) respondet, eandem difficultatem moveri posse contra fidem divinam S. Scripturae adhibendam. S. Scripturae enim libros genuinos, integros et fide dignos esse, ope regularum criticarum ex testimoniis humanis probatur; hoc autem probato, ipsi Protestantes asserere non dubitant, ea, quae in sacris Litteris inveniuntur, fide divina credenda esse. Eodem modo etiam nos dicimus, ea, quae in concilio definita fuerunt, fide divina credenda esse, dummodo ex testimoniis humanis certo constet, omnes conditiones requisitas in concilio vere adimpletas fuisse. Hac de re autem facile est summam moralem certitudinem obtinere. In concilio enim omnia debito modo pertractata et requisitas conditiones adimpletas fuisse, omnes Episcopi et Theologi, qui concilio aderant, nobis testes existunt, quos omnes in re gravi aut deceptos esse, aut ad nos decipiendos convenisse, ratio iudicare vetat. Rem egregie exponit, et Concilio Tridentino applicat Cl. *Muratorius*, qui (2) ait: « Concordes e. gr. in causa fidei fuisse Tridentinos Patres et contra ipsam nihil peccatum, atque ab ipsa praedicanda et tuenda neminem absterritum, et neminem ad ipsam corrumpendam illectum fuisse, catholici quilibet affirmant, credunt et certum habent. Si secus contigisset, si malis artibus actum fuisset, revelandi onus incubuisset quibuscunque Tridentini Concilii Patribus et Theologis. Nam illud in primis apud catholicos liquet et Episcopis potissimum exploratum est, sine teterrimo crimine violari non posse doctrinam Christi, et si quis sibi conscius christianos populos in errorem vel praedicando, vel consentiendo, vel connivendo induxerit, hunc sine publica sui criminis confessione decedentem vix, aut nequicquam veniam a Deo sperare posse. Quis autem sibi persuadeat, tot Episcopos et Theologos conspirasse adversus doctrinam Christi, et neminem, quod sui muneris erat, ausum esse resistere corruptoribus, et nullum inter ipsos Episcopos tantae fraudi, tantoque sceleri personam tandem detraxisse et confessum pa-

(1) P. III, tom. IV, § 56, n. III.

(2) De ingen. moder. l. I, c. 14.

lam se minis aut artibus iniquis adactum ad veritatem Religionis insigni proditione labefactandam? — — Si autem consulto non errarunt legitima et probata concilia, eo minus incaute falli potuerunt. Episcopi enim et verae Ecclesiae addicti, et Christi nomine congregati, debitam fidelitatem adhibentes, ab omni erroris periculo, divino Spiritu opem ferente, longe absunt, ut fert catholicum dogma.» — b) Idem Cl. *Muratorius* ad eandem difficultatem solvendam recurrit etiam ad consensum Ecclesiae dispersae, et hunc pro certissimo infallibilitatis criterio iustissime assignat. « Fatemur, ait (1), Christi opem et Spiritus S. gratiam, quam Catholici conciliis tribuunt, ut Christi doctrinam in suis definitionibus intactam servent, esse hypotheticam, i. e. ex quibusdam conditionibus ac legibus pendere... Sed aeque certum est, immobilitatem Ecclesiae in Christi doctrina non hypotheticam, sed absolutam esse, i. e. ex nullis conditionibus legibusve pendere, et ideo ipsam Ecclesiam nunquam opiniones adoptaturam verae fidei ac traditioni contrarias. » — — Quare si tota Ecclesia aliquod concilium ut generale veneretur, ac eiusdem decreta, fidem spectantia, amplectatur, definitiones huiusmodi absque dubio infallibiles sunt, quia tota Ecclesia errare et falsa commenta humana pro divinis eloquiis, et pro genuina doctrina Christi acceptare non potest. Hac ratione iam S. *Athanasius* auctoritatem Concilii Nicaeni probavit (2), scribens: «Huic certe concilio universus orbis assensum praebuit, et quamquam multae habitae sint synodi... hanc agnoverunt et admiratae sunt, et subscriptione approbarunt. » — Ratio ista optime valet ad difficultatem solvendam, quae forte circa sufficientem Episcoporum numerum, in concilio congregatorum, moveri posset. Defectus enim, si quoad numerum adfuisset, per consensum Episcoporum, qui concilio non interfuerunt, sed postmodum huius definitiones approbant et ut dogmaticas sequuntur, apertissime suppletur. — c) Hoc argumentum validissimum esse ad auctoritatem conciliorum generalium infallibilem extra omne dubium ponendam omnes catholici Theologi profitentur. Sed nonnulli monent, auctoritatem conciliorum generalium obscurari, aut everti, si eorundem infallibilitas tantum ex consensu Ecclesiae dispersae peteretur (3). Ideo ad ipsam providentiam divinam provocant, quae pro adimplendis conditionibus requisitis invigilat. Hanc sententiam propugnat *Melchior Canus*, qui (4) ita argumentatur: « Qui promisit finem, hoc est, docere nos nonnisi veritatem per os Ecclesiae, dum per Apostolum protestatur, quod Ecclesia sit columna et firmamentum veritatis, et per os Petri omnes gentes doceri velit et credere (5), hoc ipso se obligavit ad media, ita ut Ecclesia nunquam aliquid nobis proponat fide divina credendum, quin modum cognoscendi antea adhibuerit. Ad Dei ergo et Christi providentiam pertinet invigilare, ut conditiones impleantur, et qui promisit Episcopis illustrare intellectum, ne ipsi fallantur, certe per gratiam, ita etiam movet eorum voluntatem, ut positis ponendis non fallant. Quotiescunque ergo constat concilium esse generale, ex hoc ipso etiam constat de Christi et Spiritus S. assistentia, et de concilii infallibilitate.

Nota 2. Definitiones conciliorum generalium a romano Pontifice confirmatae et toti Ecclesiae ad creden-

(1) L. c. (2) In epist. ad Afric. Episc.
(3) V. Dobmayr t. IV. Append. §. 81 in nota.
(4) De loc. theol. l. V, cap. V, qu. 3.
(5) Act. 15.

dum propositae quoad infallibilitatem et certitudinem fidei sunt eiusdem auctoritatis, uti eloquia S. Scripturae, quia eundem Spiritum S. habent auctorem. Quoad modum autem et extensionem S. Scriptura est maioris auctoritatis et dignitatis, quia a) in S. Scriptura etiam illa quae immediate et directe ad dogma non pertinent, certa tamen, et infallibiliter vera esse censentur; e contra definitiones conciliorum generalium tantum quoad materias dogmaticas, illas nempe, quae immediate fidem, vel mores Evangelio conformes attinent, infallibilitatis praerogativa gloriantur. b) Hagiographi potissimum impulsu et magisterio immediato Spiritus S. absque laborioso studio, vel praevia critica disquisitione purissimam veritatem scripserunt, cum e contra concilia non possint dogmata definire, nisi praemissa disquisitione, et aliis conditionibus impletis (1).

B. De consensu Ecclesiae extraconciliari.

§. 227.

I. Notio.

Per consensum Ecclesiae extraconciliarem intelligitur consensus Episcoporum, per orbem catholicum dispersorum, quandam Religionis doctrinam pro divinitus revelata et credenda declarantium. Consensus iste non tantum voluntatis, sed et intellectus actum in Episcopis supponit, quo pro imposito sibi munere docendi de doctrina ad Revelationem spectante iudicium ferunt. Consensus iste ratione extensionis est vel *universalis*, vel *particularis*, prout vel omnes moraliter, vel aliqui tantum praesules ecclesiastici consentiunt. — Ratione modi consensus est vel *expressus*, vel *tacitus:* prior est vel *theoreticus*, qui publica, aut omnino solemni doctrina, verbis, aut scriptis ab ipso Episcopo prodita, vel *practicus*, qui factis manifestatur, dum doctrina iubente vel approbante Episcopo libris symbolicis inseritur, aut in praxin reducitur: tacitus differt a solo silentio, quod ex ignorantia hincinde oritur, vel ex reverentia erga superioris effata servatur, quo in casu *obsequiosum* dici solet, sed tacitus consensus tunc habetur, si Episcopus doctrinae promulgatae se nullatenus opponit, cum tamen certo constet, quod se illi opponere deberet, posset et vellet, si eam ut veram non approbaret.

Nota. Ut consensus universalis sit, non opus est, ut omnes ad unum Episcopi consentiant. Singuli enim seorsim spectati infallibiles non sunt, sed errare, et deficere possunt, quod et factum est. Nam Arius, Nestorius, Pelagius suos habuere asseclas etiam Episcopos: ad consensum ergo universalem non requiri potest, ut omnes et singuli consentiant, sed sufficit maior pars Pontifici adhaerens, cui, qui hactenus repugnarunt, aut numero pauciores, aut auctoritate aliunde inferiores fuerunt (2).

§. 228.

II. Auctoritas.

Consensus Ecclesiae extraconciliaris universalis est infallibilis et in dogmatibus definiendis, ac fidei controversiis dirimendis errare nequit. Id ex *S. Scriptura*, et *Traditione*, et ex *ratione theologica* probari potest.

1. Argumenta biblica (§. 212 et 213) pro Ecclesiae infallibilitate allata, si ultimum excipiamus, omnia praesentem quoque propositionem probant. Christus enim suam et Spiritus S. assistentiam Ecclesiae generatim in docendo promisit, neque

(1) Ita Melchior Canus l. c.

(2) Dobmayr l. c. §. 86.

hanc promissionem ad concilia restrinxit. Sive ergo Ecclesia in concilio, sive extra concilium doceat, ob Christi et Spiritus S. assistentiam infallibilis est. Ideo Christus quovis tempore sine exceptione Ecclesiam audire iubet. Paulus Ecclesiam per orbem dispersam *columnam et firmamentum veritatis* nominat. Neque Apostoli, aut Episcopi in concilio collecti fuerunt, cum ad Ephesios Paulus scriberet, a Deo *pastores et doctores* datos esse, *donec occurramus omnes in unitatem fidei, et non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae.*

2. Ecclesia etiam in tribus primis saeculis, licet ob diras persecutiones concilium generale celebrare non posset, tamen dogmata definivit et credenda proposuit, ac fidei controversias diremit, ita quidem ut omnes, qui se tali iudicio subiicere recusarunt, ut haeretici damnati et alieni a salute habiti fuerint, sicut testantur *S. Ignatius M.* (1), *Tertullianus* (2), *Origenes* (3), *S. Cyprianus* (4). Ergo iam tunc temporis creditum est, Ecclesiam docentem etiam extra concilium infallibilem esse. Imo ad hunc Ecclesiarum consensum, ceu ad certissimam et errori haud obnoxiam fidei normam antiquissimi Patres provocarunt. Non alio sane argumento, nisi ex consensu Ecclesiae dispersae petito, contra sui temporis haereticos pugnavit et veram doctrinam defendit *S. Irenaeus.* Ait enim (5): « Hanc fidem Ecclesia et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans et similiter credit iis, quasi unam animam habens et unum cor; et consonanter haec praedicat et docet et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, tamen virtus traditionis una eademque est. Et neque hae, quae in Germania fundatae sunt Ecclesiae aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hae, quae in Hyberis sunt, neque hae, quae in Celtis, neque hae, quae in Oriente, neque hae, quae in Aegypto, neque hae, quae in medio mundi sunt constitutae; sed sicut sol, creatura Dei in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, praedicatio veritatis ubique lucet, et neque is qui valde praevalet in sermone, ex iis, qui praesunt Ecclesiis, alia, quam haec sunt, dicet... neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem.» — *Tertullianus* (6) ait: « Christi doctrinam Apostolis revelatam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsis eis praedicando tam viva voce, quam per epistolas postea.» Quo principio posito, ita pergit: « Si haec ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis apostolicis conspirat, veritati deputandam: » et tandem concludit: «Communicamus cum Ecclesiis apostolicis, quod nulla diversa doctrina: hoc igitur est testimonium veritatis. » — *S. Augustinus*, licet contra Pelagianos concilium generale nondum habitum fuisset, sed ipsorum errores tantum in pluribus conciliis particularibus, et a romano Pontifice damnati essent, tamen istos haereticos (7) ita alloquitur: « Vestra apud competens iudicium communium Episcoporum modo causa finita est, nec amplius vobiscum agendum est, quantum ad ius examinis pertinet, nisi prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini.» — Idem (8) ait: « Nihil Ecclesia

(1) Ep. ad Ephes. c. 16.
(2) L. de bapt. c. 8. (5) Comment. ad Tit.
(4) L. de unit. Eccl.
(5) L. I adv. haer. c. 3.
(6) L. de praescr. c. 21.
(7) L. 3 c. Iulian., c. 1. (8) Epist. 55.

Dei, quod est contra fidem vel bonam vitam approbat, nec tacet, nec facit. »

3. Christus Ecclesiae suae indefectibilitatem absolute promisit. Ait enim: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (1). Errores ergo nunquam contra Ecclesiam praevalere possunt, sive illa sit in concilio collecta, sive per orbem dispersa. — Et sane Ecclesia deficeret, si a genuina Christi fide recederet. Ast saepe fieri potest, ut concilium generale celebrari nequeat, quod iam in tribus primis Ecclesiae saeculis contigit. Si ergo Ecclesia extra concilium infallibilis non esset, errores in illa praevalere et tota deficere posset. Quo minus autem id fiat, obstat dogma catholicum de Ecclesiae indefectibilitate, quod inferius probabitur.

§. 229.

Modus cognoscendi consensum Ecclesiae extraconciliarem.

Maxima difficultas in eo versari videtur, quo modo consensus Ecclesiae extraconciliaris fidelibus innotescat. Sed ad id efficiendum varia media dantur. Praecipua sunt 1. *Constitutiones Pontificiae*, quibus omnes Episcopi subscribunt; 2. *Conciliorum particularium decreta*, quae ab aliis Ecclesiis approbantur et accèptantur; 3. *consensus SS. Patrum*, et *Theologorum scholasticorum*, quibus 4. *alia quoque media* accensenda sunt.

Nota. De istis iam mediis plura dicenda sunt, ut eorundem auctoritas et usus statuatur.

§. 230.

I. De Constitutionibus Pontificiis.

Si controversiae fidei oriuntur, et errores orthodoxae fidei contrarii inter fideles sparguntur, Pastori Pastorum, Ecclesiae Primati, id est Romano Pontifici primaria obligatio incumbit, ut controversiam exortam dirimat, et erroribus disseminatis se opponat: quod passim fieri, historia testatur. Si enim dogmata fidei in dubium trahuntur, et doctrinae illis adversantes proponuntur, romani Pontifices *Constitutiones* (quas et *Bullas* dicunt) edere solent, in quibus genuinam fidei doctrinam definiunt, et errores ipsi oppositos damnant. Istae Constitutiones ad Episcopos per orbem dispersos mittuntur, et si omnes, vel saltem plurimi, ut moralis consensus prodeat, illis subscribunt, illasque assensu suo firmant, omnium catholicorum Theologorum sententia est, ipsas dogmaticas, et infallibiles esse, quia tunc iam constat de totius Ecclesiae docentis consensu, quae circa Revelationem errare non potest. — Alia autem quaestio inter Theologos catholicos agitatur, an praedictae Constitutiones iam ut infallibiles sint habendae, priusquam Ecclesiae docentis consensus accedat; seu quaeritur, an Romanus Pontifex, dogmata definiens, per se iam sit infallibilis nec ne. In hac autem quaestione Romanus Pontifex sub duplici respectu considerandus est, nempe ut Doctor privatus, et ut Doctor publicus. Omnes enim admittunt, Romanum Pontificem infallibilem non esse, si ut Doctor privatus loquatur, vel scripta edat. Si autem ut Primas doctrinam fidei, et morum universae Ecclesiae proponit, seu, ut dicitur in scholis, *si loquitur ex cathedra*, infallibilitas ipsius a plurimis et gravissimis Theologis defenditur, quibus libentissime subscribimus. Hanc enim infallibilitatem solidissima argumenta probant. quae *ex S. Scriptura, ex Traditione*,

(1) Matth. 16

ex historia, et *ex rationibus theologicis* petuntur.

1. Christus Petrum ut Primatem in successoribus semper existentem alloquens ait: *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Nonnulli ultimam vocem: *eam* referunt ad Petram, seu ad fidem Petri, et aiunt, Christum his verbis Petro donum inerrantiae, seu fidei Petri indefectibilitatem promisisse, quia *portae inferi*, seu conatus daemonum Primatem Ecclesiae a Christo constitutum in errorem fidei contrarium inducere nunquam poterunt. Ita *S. Ambrosius* (1) ait: « Non enim *de carne*, sed *de fide* Petri dictum est, quia portae mortis ei non praevalebunt. » Et *S. Cyrillus Alex.* (2) inquit: « Petram, opinor, nihil aliud quam inconcussam et firmissimam discipuli fidem vocavit, in qua Ecclesia Christi ita fundata, et firmata esset, ut non laberetur, et esset inexpugnabilis infernorum portis. » Communiter quidem postrema verba: *portae inferi non praevalebunt adversus eam*, non ad petram, sed ad Ecclesiam referuntur. Ast etiam hac admissa interpretatione eadem conclusio prodit. Nam in citatis Christi verbis Ecclesia aedificio, Petrus autem fundamento comparatur. Sed corruente fundamento necesse est, ut corruat etiam aedificium. Aedificium vero iuxta promissionem Christi corruere, seu a vera Christi doctrina deficere, seu in errores prolabi non potest; ergo idem dicendum quoque est de fundamento. In communi enim hominum sensu non petra, seu fundamentum soliditatem firmitatemque suam ab aedificio acquirit, sed e converso aedificium a fundamento. Hinc Christus ipse (3) stultum vocavit hominem, cuius domus ex irruentibus imbribus et flantibus ventis cecidit, quia illam non super firmam petram aedificaverat, sed potius inordinate super arenam extruxerat. Absonum ergo est dicere, Christum ita Ecclesiam suam construxisse, ut aedificium quidem indefectibile sit, fundamentum autem labefactari possit: dicendum potius est, Christum, qui Ecclesiam suam infallibilem, et indefectibilem voluit, hac ipsa de causa etiam fundamento indefectibilitatem, seu primati donum inerrantiae concessisse. Crescit vis argumenti, si alia Christi verba perpendantur. Nam (4) legitur, Christum Petro dixisse: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Divinus Redemptor Petrum hic alloquitur non ut personam privatam, sed ut Pastorem seu Primatem Ecclesiae; ideo ipsi iniungit, ut confirmet fratres suos, quod pertinet ad officium Pastoris, et Capitis. Ergo non pro Petro tantum, sed in genere pro Primate Christus id impetravit, ut eius fides non deficiat; oratio enim Christi semper efficax est (5). Recte ideo hac utimur argumentatione: Illi censendi sunt in quaestionibus fidei, et morum infallibiles, pro quibus Christus oravit, ne eorum fides deficeret, cum Christus pro reverentia sua semper fuerit exauditus (6). Atqui Christus pro Petro, eiusque successoribus Romanis Pontificibus oravit, ne eorum fides deficeret, iussitque eos fratres suos confirmare: ergo Petrus, eiusque successores in quaestionibus fidei et morum sunt infallibiles: Christus enim oravit pro Petro in bonum Ecclesiae: ergo cum Petrus immortalis non fuerit, et bonum Ecclesiae exigat, ut infallibilem quovis tempore habeat in ma-

(1) L. de incarn. cap. 5, n. 54.
(2) L. 4 de Trinit. (3) Matth. 7, 26.
(4) Luc. 22, 32. (5) Io. 11, 42.
(6) Hebr. 5, 7.

teria fidei et morum auctoritatem, rogavit etiam pro successoribus Petri. — Denique Christus Petro (1) dixit: *Pasce agnos meos - pasce oves meas.* Petro ergo, eiusque successoribus datum est munus pascendi, id est, regendi et docendi agnos et oves, subditos et praelatos, Ecclesiam discentem et docentem: et sicut Primas omnes docere debet, sic omnes ipsum audire obligantur. Iam vero si ipse erraret, et falsa proponeret, maximum semper absurdum sequeretur. Vel enim omnes ipsum audientes, et eius sententiam acceptantes in errorem inducerentur, vel oves in pastorem suum insurgentes ipsius erroneum iudicium corrigerent. Primum ob Ecclesiae indefectibilitatem est impossibile; secundum magnam contradictionem involvit; quia tunc non, ut Christus ordinavit, Pastor gregem, sed grex Pastorem pasceret. Sicuti igitur utrumque absurdum admitti nequit, ita concedi debet, romano Pontifici donum inerrantiae a Christo esse concessum.

2. *SS. Patres* haud obscure inerrantiae donum summo Ecclesiae Primati, et Ecclesiae romanae adscribunt. *S. Irenaeus* (2) dicit, per successionem Episcoporum in Ecclesia romana confundi omnes eos, « qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per caecitatem, et malam sententiam, praeterquam oportet, colligunt: » et addit: « Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis, Traditio. » — *Tertullianus* (3) Ecclesiam romanam felicem nominat, in qua Apostoli cum suo sanguine doctrinam effuderunt, « unde nobis quoque auctoritas praesto est. » Imo post lapsum suum in haeresin de decreto dogmatico a S. Zephyrino Papa promulgato dicit: « Audio, edictum fuisse promulgatum, et quidem *peremptorium*; summus Pontifex, et Episcopus Episcoporum dicit » etc. — *Origenes* (4) explanans verba illa, *non praevalebunt adversus eam*, interrogat: « Quam autem eam? an enim petram, super quam aedificat Ecclesiam, an Ecclesiam? ambigua quippe locutio est: an quasi unam eandemque rem, petram et Ecclesiam? hoc ego verum esse existimo; nec enim adversus petram, super quam Christus aedificat Ecclesiam, nec adversus Ecclesiam portae inferi praevalebunt. » Et in sua catena scribit, petram, super quam aedificata est Ecclesia, talem habere auctoritatem, « ut eius iudicia maneant firma quasi Deo iudicante per eam. » *S. Cyprianus* (5) loquens de Ecclesia romana, quam Petri cathedram, et Ecclesiam principalem nominat, unde unitas sacerdotalis exorta est, inter alia dicit, « eos esse Romanos, quorum fides Apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum. » *S. Athanasius* (6) de cathedra romana scribit: « Ipsa enim firmamentum a Deo fixum, et immobile percepit, quoniam ipsam formam universorum lucidissimam D. I. Christus vestram apostolicam constituit sedem: ipsa enim sacer vertex est, in quo omnes Ecclesiae vertuntur, sustentantur, relevantur. » *S. Basilius* (7) ita Papam alloquitur: « Pietati tuae donatum est a Domino, scilicet ut, quod adulterinum est, a

(1) Io. 21. (2) L. 5 adv. haer. c. 5, n. 2.
(3) L. de praescript. c. 2.
(4) In cap. 16 Matth. n. 11.
(5) In Epist. 55 ad Cornel. P.
(6) In Epistola synodica Concilii Alexandrini ad R. P. Felicem II.
(7) Ep. 71 ad Damasum.

legitimo et puro discernas, et fidem Patrum sine subtractione ulla praedices. » *S. Gregorius Nazianz.* (1) inquit: « Fides vetustae (Romae) recta erat jam antiquitus, et recta perstat nunc item, nexu pio, quodcunque labens sol videt, devinciens, ut universi mundi Praesidem decet, totam colit quae numinis concordiam. » *S. Ambrosius* (2) ait: « Credatur symbolo Apostolorum, quod Ecclesia romana intemeratum semper custodit, et servat. » Et (3) agens de R. Pontifice quaerit: « Ergone cui propria auctoritate regnum dabat (Christus) hujus fidem firmare non poterat, quem cum Petram dicit, firmamentum Ecclesiae indicavit? » *S. Hieronymus* (4) scribit: « Scito, romanam fidem, apostolico ore laudatam istiusmodi praestigias non recipere, etiam si Angelus aliter annuntiet, quam semel praedicatum est; Pauli auctoritate munitam non posse mutari. » Et (5) ad S. Damasum P. ita loquitur: « Ideo mihi cathedram Petri, et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam; inde nunc animæ meæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi.... Profligato a sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum servatur haereditas.... Vos estis lux mundi, vos sal terrae.... Ego nullum primum nisi Christum sequens Beatitudini tuae, id est, cathedrae Petri communione consocior: super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio.... qui tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. » *S. Augustinus* (6) ait: « Numerat, Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo Patrum, quis, cui successit videte; ipsa est Petra, quam non vincunt superbae inferorum portae. » Et (7) scribit: « In verbis sedis apostolicae tam antiqua, atque fundata, certa, et clara est catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare. » *S. Cyrillus Alex.* (8) ad romanum Pontificem recurrendum esse dicit, quia « ipsius solius est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, ligare, et solvere loco illius, qui ipsum aedificavit, et nulli alii, quod suum est plene — sed ipsi soli dedit, cui omnes jure divino caput inclinant, et Primates mundi tamquam ipsi Jesu Christo obediunt. » *S. Petrus Chrysol.* (9) scribit: « In omnibus hortamur te, ut his, quæ a Beatissimo Papa romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem. » *S. Fulgentius* (10) pro regula fidei statuit « quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet Paulique verbis, tamquam splendentibus radiis illustrata, eorumque decorata corporibus Romana, quae mundi cacumen est, tenet et docet Ecclesia, totusque cum ea christianus orbis, et ad justitiam nihil haesitans credit, et ad salutem non dubitat confiteri. » *Theodoretus* (11) de cathedra Petri dicit: « Habet illa sedes omnium per orbem Ecclesiarum ducatum et principatum multis quidem de causis, atque hoc ante omnia, quod ab haeretica labe immunis mansit, nec ullus fidei contraria sentiens in illa sedit. » *S. Avitus* (12) scribit: « Tantum mihi veritas innotescere pote-

(1) In Carm. de vita sua.
(2) Epist. 42 ad Siricium P. n. 5.
(3) Lib. 4 de fide ad Gratian. cap. 5.
(4) L. 2 in Ruffin. n. 12. (5) In Ep. 14, al. 57
(6) In Psalmo c. partem Donati.
(7) In Epist. 157. (8) In Lib. thesaur.
(9) Ep. ad Eutychet. inter Acta Conc. Chalc.
(10) Lib. de incarn. et grat. cap. 11
(11) In Epist. ad Renatum Presbyt.
(12) In Epist. ad Rom. Pontificem.

rit, quantum se Romanae Urbis Antistes auctoritatis privilegio ex petentibus respondisse gaudebit. » *S. Bernardus* (1) ad Innocentium II inquit: « Dignum arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Haec quidem est huius praerogativa sedis. Cui enim aliquando dictum est: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua?* - Ergo, quod sequitur a Petri successore exigitur: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* » — Eosdem de infallibili romani Pontificis auctoritate sensus produnt *Concilia*. In Actis Concilii *Chalcedonensis* Episcopi collecti profitentur: *Habemus Petrum petram refugii, et ipsi soli, libera potestate, loco Dei sit ius discernendi secundum claves a Deo sibi datas, et omnia ab eo definita teneantur tanquam a Vicario apostolici throni.* Concilium *Tarraconense* anno 465 in Hispania celebratum ad Hilarium R. P. scribit: *Ad fidem recurrimus ore apostolico laudatam, inde responsa quaerentes, unde nil errore - nil praesumptione, sed pontificali totum deliberatione praecipitur.* C. *CPtanum III* in Epistola synodica ad Agathonem dicit: *Tibi, quid gerendum sit, relinquimus - stanti super firmam fidei petram: et* dein *laudant litteras a R. Pontifice datas, quas*, aiunt, *ut a summo Apostolorum vertice divinitus praescriptas agnoscimus, - per quas exortam nuper multiplicis erroris haereticam sectam depulimus.* C. *CPtanum IV.* (2) de apostolica Sede Romana loquens dicit: *quae ceterarum quoque sedium magistra est.* C. *Lateranense IV* (3) ait: *Romana Ecclesia disponente Domino supra omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra.* Concilium *Florentinum* consentientibus Graecis in definitione fidei profitetur, *Romanum Pontificem..... omnium Christianorum patrem et doctorem existere.*

3. Magnum pro infallibilitate Romani Pontificis argumentum *ex historia* peti potest. Haec enim testatur, controversias circa fidem exortas sive in Oriente, sive in Occidente ad Romanum Pontificem delatas esse, hunc vero orthodoxam doctrinam exposuisse, et quid credendum, agendumque sit, statuisse; Episcopos vero ipsius decisiones dogmaticas summa reverentia suscepisse, atque ut regulam fidei agnovisse, nec ullum exemplum ostendi potest, quod Romanus Pontifex ex cathedra loquens in fide erraverit. *Clemens Rom.* dissidia Corinthi enata sedavit: *S. Anicetus* et *Victor* contra Episcopos Asiae tempus pro celebratione Paschatis determinarunt: *S. Stephanus* contra Cyprianum baptisma haereticorum validum declaravit: *S. Melchiades* Donatistas in Africa repressit: *S. Sylvester* Arium damnavit. Cum vero Episcopi ariani falsa dogmata spargerent, et S. Athanasium deponerent, *S. Iulius* ad ipsos scripsit: « An ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc, quod iustum est, definiri possit? » *Sozomenus* referens haeresin Macedonii (4) scribit: « Cum quaestio (de divinitate Spiritus S. agitaretur, et contendendi studio magis magisque in dies cresceret, Episcopus Urbis Romae (Liberius) re comperta scripsit ad Orientis Ecclesias, ut Trinitatem consubstantialem, et honore gloriaque aequalem una cum Occidentalibus Episcopis confiterentur. Quo facto controversia iudicio Romanae Ecclesiae terminata, singuli quie-

(1) Epist. 190, seu tract. c. Abaelardum.
(2) Act 7. (3) Cap. 5.
(4) Hist. eccl. l. 6, c. 22.

vere, eaque quaestio finem tandem accepisse videbatur. » Haeresin Pelagii *Innocentius* et *Zozimus* damnarunt, et *S. Augustinus* (1) dicit: « Litteris Innocentii tota de hac pelagiana re dubitatio sublata est. » Et (2) ait: « Iam de hac (Pelagii) causa duo Concilia missa sunt ad Sedem apostolicam. Inde etiam rescripta venerunt; causa finita est; utinam aliquando finiatur error! » Et (3) scribit: « Quid adhuc quaeris examen, quod iam factum est apud apostolicam Sedem?.... Ergo haeresis ab Episcopis non adhuc examinanda, sed coërcenda est potestatibus christianis. » In causa Nestorii *S. Cyrillus Alex.* ad *Caelestinum I* scribit: « Vetus Ecclesiarum consuetudo suadet, ut eiusmodi res Sanctitati tuae communicentur..... Digneris proinde, quid hic sentias praescribere... Porro tuae integritatis meus, et super hac re sententia piissimis, Deoque devotissimis Episcopis, nec non totius quoque Orientis Antistitibus perspicue per litteras exponi debet. » *Ioannes* Patriarcha CPtanus anno 519 in Epist. ad Hormisdam laudat apostolicam Sedem, « in qua est integra Christianae Religionis, et perfecta soliditas. » *Epiphanius* Patr. CPtanus in Ep. ad eundem Papam ita loquitur: « Est mihi ratio magnopere, Beatissime! uniri me vobis, et divina amplecti dogmata, quae ex beatis et sanctis Discipulis, et Apostolis Dei praecipue summi Petri Apostolorum Sedi Sanctae vestrae sunt tradita, et nihil eis pretiosius existimare (4). » Generatim historia ecclesiastica ostendit, quovis saeculo Novatores damnatos a solis Romanis Pontificibus illico uti haereticos esse, antequam cogerentur oecumenica Concilia; plures quoque errores tanquam haereses fuisse spectatos ex sola Rom. Pontificum damnatione absque Conciliorum celebratione, ac demum oecumenicorum Conciliorum decreta velut irreformabilia minime fuisse habita ante Rom. Pontificum confirmationem, imo interdum reiecta huius confirmationis defectu. — Hoc argumentum copiose et erudite evolvunt *Card. Orsi* (5), *Ballerini* (6) et alii.

4. Non minus clare tandem ex Primatus ratione, ac fine doctrina nostra colligitur. Habet enim Rom. Pontifex Primatum, ut Ecclesiae tanquam caput praesit, eam qua fundamentum sustineat, qua pastor pascat, atque sic eam per tutam semitam ad salutem dirigat. Atqui si summus Pontifex in suis decretis dogmaticis errare posset, et ipsius decreta a reliqua Ecclesia possent reformari; fundamentum per aedificium consolidaretur, caput a corpore dirigeretur, et oves pascerent pastorem, ac devium in viam revocarent, quod est absonum, et a mente Christi alienissimum. Unde et illud ab omnibus receptum est: *Prima sedes a nemine iudicatur* (7). Praeterea Ecclesiae non satis provisum esset, si Rom. Pontifex infallibilitate non gauderet. Nam Concilia generalia non semper celebrari possunt, et diuturno tempore opus est ad consensum Episcoporum per orbem dispersorum cognoscendum: inter ea igitur, si controversia fidei emergit, fideles essent fluctuantes in fide, vel etiam unitatem fidei perderent, atque errores disseminari et praevalere possent, si non daretur iudex, cui omnes tuto acquie-

(1) L. 2 c. duas Epist. Pelag. c. 3, n. 5.
(2) Serm. 131 (ol. 2 de verbis Apost.), cap. 10, n. 10.
(3) L. 2 op. imperf. c. Iulian. c. 105.
(4) In Mansi Coll. Conc. t. 8

(5) In cel. opere: De irreformabili rom. Pontificis in definiendis fidei controversiis iudicio.
(6) In op. de vi et ratione primatus, cap. 14 etc.
(7) V. Thomassin. Diss. in Conc., diss. 15.

scere possent, ac se submittere deberent. Absque dubio ergo Christus, qui dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, in Romano Pontifice, ad quem causae fidei primo deferendae sunt, talem iudicem constituit, qui falli, et fallere nequeat.

Nota. Declarata Rom. Pontificis infallibilitas equidem ad fidei dogmata referri non potest, quia Theologi eam negantes et impugnantes ut haeretici damnati non sunt; recte tamen dicitur theologice certa, ita ut qui illam negat et impugnat notam temeritatis vix aufugiat. Hinc cum Ecclesia Gallicana in Comitiis anno 1682 celebratis contrariam ederet declarationem, patente *Gilberto de Choisseul* Episcopo, qui Comitiis dictis interfuit, extra Galliam totus orbis christianus obstupescere, et reclamare visus est. In ipsa quoque Gallia non pauci praefatam declarationem reprobarunt, atque se ut strenuos assertores, et vindices avitae doctrinae ostenderunt: imo ipsi declarationis auctores sententiam suam revocarunt in litteris ad Innocentium XII anno 1693 datis, scribentes: « Profitemur, et declaramus nos vehementer, et supra omne id, quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in comitiis praedictis, — ac proinde quidquid in comitiis praedictis circa ecclesiasticam potestatem, et pontificiam auctoritatem decretum censeri potuit, pro non decreto habemus, et habendum esse declaramus. » Nihilominus ab hoc tempore nonnulli catholici Theologi extiterunt, qui infallibilitatem Romani Pontificis ex cathedra loquentis impugnarunt. Omnes quidem fatentur, definitiones Romani Pontificis, quia est summus omnium pastor, et quia ad ipsum confluunt omnes Ecclesiae, quarum traditionem et fidem optime nosse potest, summae auctoritatis et cum reverentia suscipiendas esse, nec ulli licere, contrarium dogmatizare. Varias tamen isti Theologi contra pontificiam infallibilitatem difficultates movent, quas solvere oportet.

Obi. 1. Iuxta Concilia, SS. Patres et Theologos omnes Matth. XVI Petro a Christo collatus est primatus honoris et iurisdictionis; ideo Ecclesia comparatur aedificio, et Petrus fundamento. Ast secundum regulas hermeneuticas non licet comparationes et similitudines ex omni parte urgere, sed ex ea tantum, ad quam significandam adhibitae sunt. Nimis itaque urgetur comparatio, si dicitur, cadente fundamento, seu errante Papa totum aedificium, seu integram Ecclesiam corruere debere. Ecclesia enim non a fundamento secundario et minus principali mutuatur firmitatem in fide, sed a fundamento primario et essentiali, quod est Christus, qui solus efficit, ut portae inferi contra Ecclesiam non praevaleant. Male ergo verba Christi Matth. XVI ad probandam Rom. Pontificis infallibilitatem adhibentur.

Resp. Nemo Catholicorum negat, verba Christi Matth. XVI de primatu Petri eiusque successorum esse intelligenda. Dum autem ex iisdem verbis pontificiam infallibilitatem inferimus, nullatenus allatam regulam hermeneuticam violamus. Petrus enim est fundamentum Ecclesiae, in qua Christus instituit magisterium authenticum et imperium sacrum: utrumque ergo Petrus ita sustentat, ut ruere, seu in errores labi et deficere non possit. Negari quidem non potest, firmitatem fidei et religionis in Ecclesiam promanare a Christo capite ac fundamento primario; sed recte dicitur, singulari munere Christi constitutum esse Ecclesiae fundamentum visibile ita firmum et immobile, ut istius praesidio firma et immobilis consistat Ecclesia.

Obi. 2. Quae Luc. XXII, 31 etc. dicuntur, ad solam Petri personam pertinent. Christus enim oratione sua impetravit, ut Petrus, quamvis ter eum ore negaret, tamen a fide non deficeret. Sicuti ergo trina negatio solius Petri erat, et successoribus imputari nequit; ita etiam oratio Christi, quae fidei firmitatem obtinuit, ad solum Petrum spectat, et ad eius successores referri nequaquam potest.

Resp. Ex ipso contextu patet verba citata Christi Petro non ut personae privatae, sed ut Ecclesiae Primati dicta esse. Nam ib. v. 29 Christus ad Apostolos dixerat: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum:* et v. 31 iterum ad Apostolos omnes dixit: *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Itaque in Apostolis regnum suum, seu Ecclesiam a se institutam consideravit, quam portae inferi continuo oppugnabunt. Dein medium assignans, quo non obstantibus Satanae insidiis Ecclesia firma consistat, Petrum alloquitur dicens: *Rogavi pro te* etc., quasi diceret: quia Satanas multis insidiis Ecclesiam meam subvertere nititur, ego pro te, quem Primatem Ecclesiae instituturus sum, rogavi, ut tu, indefectibili fide praeditus, fratres confirmare et ab errore praeservare possis. Quibus verbis auditis Petrus plenus fiducia Christo dixit: *Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire.* Christus autem reposuit: *Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.* Quibus verbis docuit Petrum, quomodo praecedens promissio intelligenda sit, quod scilicet futurus sit indefectibilis in fide ut Primas Ecclesiae, non autem impeccabilis ut persona privata. Hinc iam SS. Patres docent, Christum (1) indefectibilitatem in fide tum Petro, tum successoribus eius promisisse. S. *Agatho* Papa in Epist. ad Constantinum Imp., quae lecta et probata fuit in Synodo sexta oecumenica, scribit: « Consideret itaque vestra clementia, quomodo Dominus et Salvator omnium, qui fidem Petri non defuturam promisit, confirmare eum fratres admonuit, quod apostolicos Pontifices, meae exiguitatis praedecessores, confidenter fecisse, cunctis est manifestum (2). »

Obi. 3. Si valeret argumentatio ex verbis Christi Io. XXI, 15 etc. deducta, sequeretur, singulos Episcopos infallibiles esse debere. Quilibet enim Episcopus est pastor gregis sui, unde si aberraret, absurdum sequeretur, vel quod totus grex in errorem induceretur, vel quod grex in pastorem insurgere, eundemque corrigere deberet.

Resp. Inter Episcopos et totius Ecclesiae Primatem maxima est differentia. Episcopi enim singuli ad summum nocere possent peculiari gregis portioni, cui praesunt, ac multiplici praeterea ratione eiusmodi partiali damno posset occurri, uti iam saepe factum est; nam ideo constitutus est totius Ecclesiae Primas, qui etiam oves pascere, Praelatos regere, et Episcopis invigilare debet; ad ipsum ergo recurrere possent et deberent fideles, qui Episcopum suum errantem deserentes, et summo Pastori adhaerentes, neque ab interna, neque ab externa obedientia seiungerentur, nulliusque inordinationis rei essent. Contra vero, si Rom. Pontifex, Pastor supremus et universalis, falsum dogma evulgaret fide credendum, Ecclesiae universae damnum inferret, nec visibile tribunal esset, per quod error cor-

(1) Luc. 22, 32.

(2) Cf. Leo IX in Epist. I ad Michaël. Patr. CPt. S. Bernardus Ep. 190 ad Innoc. II. Innocentius III Epist. 209 ad Patr. CPt. S. Thomas

rigeretur, saltem donec consentiens totus orbis catholicus reclamaret. Necessaria ergo non est infallibilitas singularibus Episcopis, seorsim sumptis, et quia Deus sine causa non multiplicat miracula, ideo singuli Episcopi infallibiles non sunt. Necessaria est autem infallibilitas Primati, et hic ideo per se infallibilis est, quia Christus in necessariis Ecclesiae suae non deest.

Obi. 4. Si Pontifex se solo quaestiones fidei absque periculo erroris definire potest, frustra, imo male Concilia generalia convocarentur; frustra immensi sumptus fierent, atque Ecclesiae Pastoribus suis ad longum tempus spoliarentur. Atqui id dici nequit, quia historia ecclesiastica testatur, contra haereticos concilia oecumenica habita fuisse, quamvis iam a Rom. Pontificibus eorum errores damnati fuerint. Exinde patet, in Ecclesia firmam et universalem persuasionem non viguisse, quod Rom. Pontificis definitiones infallibiles et irrefragabiles sint.

Resp. Retorqueri potest argumentum. Si Ecclesia dispersa est infallibilis, quod utique ab omnibus Catholicis admittitur, frustra convocantur Concilia generalia etc.; sed hanc consequentiam nemo Theologorum catholicorum admittit: ergo si ob convocationem Conciliorum generalium negari nequit infallibilitas Ecclesiae dispersae, ob eandem etiam infallibilitas pontificia neganda non est. Nam Concilia generalia coguntur non ad intrinsecam dogmaticis decretis vim conferendam, sed ad auctoritatem extrinsecam iis adiiciendam, ita poscentibus rerum adiunctis. Dogmaticae enim Rom. Pontificum definitiones totam vim, eamque coactivam ex se habent, adeo ut nemo vere catholicus iis obsistere possit aut refragari. Verum cum novatores eis contumaces obsistunt, turbas movent, incautos decipiunt, opus praeterea est, ut Concilia interdum convocentur, quo ex multorum collatis suffragiis, atque solemni adhaesione ad pontificiam definitionem magis patescat totius Ecclesiae catholicae fides, ac vel contumaces facilius ad unitatem revocentur, vel solemnius eorum pervicacia damnetur. Considerandum porro est, quod solidissimis quidem argumentis probetur, sed tamen definitum fidei dogma non sit, Rom. Pontificem ex cathedra loquentem se solo infallibilem esse: certissimum autem et de fide credendum est, definitiones dogmaticas Rom. Pontificis infallibiles esse, si accedat totius Ecclesiae sive in Concilio collectae, sive per orbem dispersae consensus: hic autem optime cognoscitur per Concilia oecumenica, et ideo haec celebrari saepe necessarium, vel saltem utilissimum est.

Obi. 5. Iam *S. Petrus* erravit in fide tum quando negavit Christum tempore passionis, tum quando Antiochiae observavit legalia, et Gentes coëgit iudaizare, qua de causa fuit reprehensus a S. Paulo.

Resp. In lapsu Petri nulla fuit data definitio fidei, cum Petrus ad ancillam et ad circumstantes, non vero ad Ecclesiam verba direxerit; neque tunc temporis Primatus fuit actu Petro collatus; non poterat ergo loqui ex cathedra, quam nondum habebat. — Primas quidem fuit, cum Antiochiae commoraretur; ast ibi deliquit, ut ait *S. Augustinus* (1), « non falsi praedicatione, sed imprudenti conversatione, » quatenus, advenientibus Antiochiam Iudaeis, se scrupulosius subducebat mensis Gentilium conversorum, cum quibus antea convivebat, praebens hoc facto ansam Iudaeis et Gentilibus credendi, adhuc necessario observanda

(1) Ep. 9 et 19 ad s. Hieronymum.

esse legalia, quod tamen ipse Petrus nec credebat, nec docebat, cum ipse auctor fuisset decreti ea de re editi in Concilio Hierosolymitano, et ideo reprehendit eum Paulus, non quia male docebat, sed quia imprudenter agebat cum aliorum scandalo. Ceterum in dubium quoque vocatum fuit, an Cephas, de quo loquitur Paulus, ipse Petrus Apostolus, an alius fuerit (1).

Obi. 6. *Tertullianus* (2) asserit, Zephyrinum Papam approbasse prophetias Montani, earumque auctoribus pacis et communionis litteras dedisse, quas postea suadente Praxea revocavit: ergo Zephyrinus erravit contra fidem.

Resp. Tertullianus hac in narratione nullam meretur fidem, cum librum citatum scripserit post suam in Montani haeresin defectionem; unde mirum non est, quod Rom. Pontificem ad partes Montani voluerit adducere. Data vero, non concessa veritate narrationis, ex ea sequitur tantum, quod Zephyrinus specie pietatis, quam Montanistae praeseferebant, deceptus, eos recte sentire ac docere, erroresque falso eis fuisse impositos putaverit, eamque ob causam ad eos dederit litteras pacis, quas revocavit, ubi primum a Praxea eos errorem docere ac defendere cognovit: ubi nullus fuit Zephyrini error in fide (circa quam nihil ex cathedra pronuntiavit), sed solum de personis earumque qualitatibus, circa quas posse Pontificem decipi non negamus.

Obi. 7. *Marcellinus P.* suppliciis deterritus idolis sacrificavit in idololatriam lapsus, et *Liberius P.* formulae arianae subscripsit, et in damnationem S. Athanasii consensit, haeresis arianae particeps factus.

Resp. Marcellinus nunquam ex cathedra docuit immolandum esse idolis: ergo hoc exemplum propositioni nostrae non adversatur. Ceterum lapsus Marcellini merito negatur, quia ante Isidorum Mercatorem ad finem saeculi VIII nullus catholicorum scriptorum hunc lapsum adstruit; quin imo Marcellinus commendatur ab Eusebio (3) et a Theodoreto (4), quod fuerit « persecutionis tempore plene nobilitatus. » Praeterea *S. Augustinus* (5) aperte testatur, lapsum Marcellini a Petiliano donatista confictum fuisse. Accedit, quod Acta Concilii Sinuessani, quibus unice innititur haec fabula, manifeste sint supposititia. Nullus enim coaevorum et proxime sequentium scriptorum hoc concilium commemorat, et incredibile prorsus est, sub Diocletiano tempore crudelissimae persecutionis Sinuessam, modicam Campaniae civitatem, convolasse tercentos Episcopos, cum tamen sub Constantino, florente re christiana, nonnisi 318 Nicaeae convenerint. — *Liberius* nunquam fuit haereticus, neque ante exilium, quoniam ideo exulare iussus est, quia noluit arianae haeresi subscribere, ut testantur illius aetatis historici, neque tempore exilii, quia formula fidei, cui subscripsisse dicitur, erat catholica in sensu obvio, in quo subscripsisse dicitur, et nunquam compelli potuit ad reprobandam vocem *consubstantialis*, neque ab exilio reversus, quoniam propter Acta Concilii Ariminensis, in quo praevaluerunt Ariani, rescissa et damnata, iterum se pulsus, aerumnisque confectus migravit ad Dominum (6). Recentiores critici omnino negant dictam Liberii in priori exilio existentis subscriptionem,

(1) Cf Calmet dissert. ad Gal. 2, 14.
(2) L. adv. Prax. c. 1.
(3) L. 7 Hist. eccl., c. 26.
(4) L. 1 Hist. eccl., c. 3.
(5) L. de un. bapt. c. Petilian., cap. 16.
(6) V. Sozom. l. 4, c. 15.

tum quia Ariani in Concilio Ariminensi de hac omnino tacuerunt, tum quia monumenta, quibus illa probatur, aut supposititia sunt, aut certe interpolata, tum quia Sozomenus aperte (1) narrat, rumorem ab Arianis sparsum esse, Liberium formulae Sirmiensi subscripsisse, tum quia Liberius summis laudibus extollitur a *S. Ambrosio* (2), a *S. Epiphanio* (3), a *S. Basilio* (4), a *Siricio* (5), et a *Theodoreto* passim.

Obi. 8. Vigilius P. ab initio declaravit, tria Capitula non esse damnanda, et postea in eorum damnationem consensit, atque sententiam Concilii quinti oecumenici confirmavit: ergo vel in priori vel in posteriori iudicio et quidem ex cathedra loquens aberravit.

Resp. In dicto Concilio non tam de dogmatibus fidei, quam de diiudicandis factis agebatur. Vigilius quidem semper errores Theodori Mopsuesteni damnavit, nec unquam Theodoreti scripta contra Cyrilli anathematismos, aut Ibae epistolam approbavit: at vero explicite et nominatim scripta illa damnare noluit, quia cum haec res non ad fidem, sed ad prudentem oeconomiam pertineret, nolebat cum periculo gravissimi schismatis occidentalibus Episcopis displicere, et Eutychianis qualemcunque ansam praebere, auctoritatem Concilii Chalcedonensis contemnendi. Cum autem postea cognosceret, maius malum imminere, et totum Orientem ab Occidente separandum esse, nisi tria Capitula damnarentur, in re pertinente ad disciplinam prudenter mentem mutavit, ac tria Capitula solemni decreto damnavit. Ergo Vigilius nec recusando condemnationem, nec eam pronuntiando erravit in materia fidei, vel in definienda orthodoxia, vel heterodoxia textuum dogmaticorum.

(1) L. 4 Hist. eccl. c. 15.

Obi. 9. *Honorius* fuit haereticus Monothelita, qui unam in Christo voluntatem, unamque operationem docuit in duabus epistolis ad Sergium scriptis, quam ob causam cum aliis Monothelitis fuit damnatus in Concilio VI oecumenico sub Agathone R. P.

Resp. Negamus omnino, Honorium Monothelitarum haeresin aut docuisse, quia aperte et expresse in Christo pro duplici natura asseruit etiam duplicem operationem et voluntatem. Decretoria sunt Honorii verba in secunda ad Sergium epistola profitentis: « Quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet... utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus, et divinam quidem, quae Dei sunt, operantem, et humanam, quae carnis sunt, exequentem. » Et iterum paulo post scribit: « Duas naturas, id est Divinitatis et carnis assumptae in una persona Unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise, et inconvertibiliter nobiscum praedicare propria operantes. » Porro hanc fidei professionem, commentario etiam addito, descripsit Honorius ex celebri dogmatica Epistola *S. Leonis* ad Flavianum scribentis: « Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est; Verbo scilicet operante, quod Verbi est, et carne exequente, quod carnis est. » Hoc autem testimonium, cum prolatum esset in VI Synodo, Legati Rom. Sedis adiecerunt: « Ecce, benignissime Domine, manifeste duas naturales operationes inconfuse et indivise in D. N. I. Christo praesens sanctissimus praedicat Pater; » nec ullus repugnavit, nisi Macarius Patr. Antiochenus haereticus Monothelita. Quodsi in S. Leonis testimonio *ma-*

(2) L. 5 de Virg. c. 1.
(3) Haer. 75.
(4) Ep. 26, al. 74.
(5) In Ep. ad Himer.

nifeste catholicum dogma de duplici operatione continetur, cur non continebitur in testimonio Honorii, qui non solum eadem usurpavit verba, sed idem praeterea dogma clarius adhuc expressit? — Praeterea Honorius expresse declaravit, se nolle edere fidei definitionem; nam in prima ad Sergium epistola scribit: « Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis una, an geminae operationes debeant derivatae dici, vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis. » Ideo Honorius quaestionem maturius non examinavit, nec Ecclesiae romanae traditionem consuluit, sed totam controversiam declinare studuit; unde etiam in secunda epistola scripsit: « Non nos oportet, unam vel duas operationes definientes praedicare. » Quamvis ergo Epistolae Honorii ad Sergium a nonnullis ut dogmaticae habeantur, nullam tamen fidei definitionem exhibent, nec sunt dogmatica decreta Pontificis ex cathedra loquentis. — In hoc ipso autem aberravit Honorius, quia apostolica auctoritate usus non est ad Monothelitarum haeresin statim ab initio comprimendam. Sergius enim et Cyrus subdole Rom. Pontifici consilium dederunt de indicendo silentio profitentibus duas in Christo operationes, ne novae quaestiones oriantur, et pax in toto Oriente perturbetur. Honorius autem illorum vafritie deceptus, putans sese pacem Orientalibus allaturum esse, probavit ex inconsulta ac improvida oeconomia consilium Sergii et Cyri de indicendo silentio, quos credidit sincere agere, quando impia moliebantur.

Obi. 10. Honorius expresse unam adstruxit in Christo voluntatem, dum in prima Epistola scripsit: « Unam voluntatem fatemur D. N. I. Christi: » ergo fuit Monothelita.

Resp. Honorius haec dicens non negavit in Christo voluntatem divinam et humanam, sed loquitur de Christo ut homine, et unam adstruxit in ipso voluntatem *humanam* ad exclusionem pugnae inter carnem et spiritum. Id constat ex verbis immediate insequentibus; pergit enim Honorius: « Quia profecto a Divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata... nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori. » Idem testatur *Ioannes IV*, R. P. Honorii ab anni dimidio successor, qui in Ep. ad Constantinum imp., seu Apologia pro Honorio scribit: « Praedictus ergo decessor meus docens de mysterio Incarnationis Christi dicebat, non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis et carnis contrarias voluntates; quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis eius et humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium. » Etiam *S. Maximus* in disputatione cum Pyrrho citat Ioannem Abbatem, qui fuit Honorio a secretis, Epistolam ad Sergium scripsit, et Honorii mentem his verbis declaravit: « Unam voluntatem diximus in Domino non divinitatis eius et humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus, Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, et spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quae naturaliter humanitatem eius signabat. » Quid ad sanam epistolae Honorii ad Sergium interpretationem aptius et illustrius dici potest?

Obi. 11. Si Honorius non fuit haereticus, ergo aberravit Synodus VI,

quae ipsum damnavit, quia *in omnibus Sergii mentem secutus est, et impia dogmata confirmavit*, imo S. Synodus Honorio ut ceteris haereticis anathema dixit.

Resp. Synodus VI Honorium damnavit, non quia haeresin tenuit et docuit, sed quia eidem non debito modo restitit, sed conniventia sua eam fovit. Hunc esse Concilii sensum declarat *Agatho* in sua ad Constantinum Pogonatum Epistola Synodi VI confirmatoria dicens: *Anathematizamus novi erroris inventores, idest Sergium, Theodorum, Pyrrhum etc., necnon et Honorium, qui hanc apostolicam Ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina illustravit, sed profana traditione immaculatam maculari permisit;* non ergo ipse maculavit, sed suo silentio maculari permisit. Et *Leo II* in Epist. ad Episcopos Hispaniae dicit, damnatum fuisse Honorium, *qui flammam haeretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligentia confovit.* Imperator ipse in suo edicto dicit, Honorium damnatum fuisse non ut haeresis auctorem et doctorem, sed ut eiusdem fautorem et confirmatorem. Mentem vero Sergii secutus est non in ipsa haeresi, quam vaferrimus Patriarcha occultavit, sed in consilio de indicendo silentio, per quod serpens error nutritus et quodammodo confirmatus fuit. Receptum vero antiquitus erat, ut *haereticorum* nomine significarentur tam haeretici proprie dicti, quam eorum fautores. Cum vero Monothelitarum fautorem, etsi deceptus, se exhibuerit Honorius, ideo a Concilio ut haereticus damnatus est: eius nomen e diptycis expunctum, scripta igni tradita, eo quod aliis exitium importaverint. Recte vero Ecclesia quodvis peccatum punit, fidei orthodoxae afferens damnum.

§. 231.

II. De conciliis particularibus.

Auctoritas conciliorum particularium tribus propositionibus determinari potest. Concilia enim particularia *per se infallibilia non sunt; sunt tamen magnae auctoritatis*, et *infallibilia* fiunt, si Ecclesiae totius consensus accedat.

1. Concilia particularia sunt conventus Praesulum ecclesiasticorum ex aliqua tantum Ecclesiae parte congregatorum ad negotia ecclesiastica pertractanda legitime instituti. Christus vero suam et Spiritus S. assistentiam universali tantum Ecclesiae docenti promisit; argumenta ergo non suppetunt, quibus conciliorum particularium infallibilitas probetur. Horum decreta Ecclesia ut infallibilia et irrefragabilia non habuit. Quamvis ideo persaepe haereticorum errores iam in conciliis particularibus damnati, et dogmata catholica stabilita fuissent, res tamen nullatenus confecta putabatur, sed in conciliis generalibus omnia de novo examinata et definita fuerunt; et sic demum res finita censebatur. Concilia particularia infallibilia non esse, apertissime constat ex historia, quae talia exhibet, in quibus contra fidem erratum est. Sic errarunt tria concilia carthaginensia sub Cypriano celebrata, in quibus baptismus ab haeretico collatus invalidus declaratus est.

2. Licet autem concilia particularia infallibilia non sint, nihilominus magnae sunt auctoritatis, multumque conferunt ad fidei dogmata probanda. Nam: a) Iudicium Ecclesiarum particularium magnam praesumtionem veritatis habet, quia annuntiatam in iis doctrinam perdurasse censendum est, quae praesumtio pro numero, et dignitate Ecclesiarum crescit. b) Episcopi omnes et

singuli ex sui ordinatione et in vim characteris obtinent speciales aliis, qui non sunt episcopi, incommunicabiles gratias et assistentiam divinam ad recte pascendum et docendum populum christianum; ergo id, quod isti qua tales docent et decernunt, si aliud manifeste non obstet, probabilissime creditur et nonnisi temerarie negatur. c) Ex innumeris fere conciliis particularibus per totum orbem hucusque celebratis, paucissima afferri possunt, quae in dogmate aliquando erraverint: ex eo autem, quod fere semper veritate nititur et nonnisi rarissime fallit, probabilissimum ducitur veritatis argumentum.

3. Iuxta consuetam Ecclesiae disciplinam acta conciliorum particularium primum Romano Pontifici, tum et aliis Episcopis communicantur. Iam vero si definitiones fidei in conciliis particularibus editae, a Romano Pontifice confirmantur, et a ceteris Episcopis, qui concilio non interfuerunt, approbantur et acceptantur, istae infallibiles fiunt propter universalis Ecclesiae docentis consensum, qui nunquam aberrare potest. Tali modo seu, ut dicunt, *ex post facto* varia iam concilia particularia auctoritatem conciliorum oecumenicorum obtinuerunt. Huiusmodi sunt praecipue duo concilia a tota Ecclesia acceptata, nimirum *Milevitanum* et *Arausicanum II.* — *Melch. Canus* his annumerat quatuor concilia orientalia, i. e. *Ancyranum*, *Neo-Caesariense*, *Anthiochenum* et *Laodicenum*, et etiam concilia Carthaginensia Cypriano posteriora. Billuart idem sentit de conciliis *Toletanis*, *Arelatensibus* et *Hispalensibus*.

Nota 1. Concilia particularia vel sunt *nationalia*, si Episcopi unius nationis sub suo Primate congregantur, vel *provincialia*, si Episcopi suffraganei cum suo Metropolita seu Archiepiscopo conveniunt, vel *dioecesana*, si Episcopus suae dioecesis decanos, parochos etc. colligit, qui autem non gaudent iure suffragii decisivi, sed solum consilia dare possunt.

Nota 2. Verba Christi: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (1), nullatenus probant infallibilitatem conciliorum particularium, quia Christus hoc in loco promittit assistentiam suam non in docendo, sed in orando, uti patet ex immediate praecedentibus verbis: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est, ubi enim* etc. etc.

§. 232.

III. De consensu SS. Patrum et Theologorum scholasticorum.

Veteris Ecclesiae consensus cognosci potest ex unanimi testimonio SS. Patrum, de quorum auctoritate et usu iam (§. 198) actum est. Post aevum SS. Patrum a saeculo duodecimo et deinceps Theologia aliam faciem obtinuit. Cum enim philosophia Aristotelis in scholas introduci coepisset, iuxta eiusdem regulas logicas etiam doctrina Religionis in scholis proposita, per antecedentium et subsequentium declarationem illustrata, conclusionibus et corollariis ornata, variis argumentationibus probata et contra adversarios defensa fuit. Qui hac methodo, in scholis usitata, doctrinam religionis scriptis elaborarunt, *Theologi scholastici* nominantur. Inter hos plurimi fuerunt doctrina et sanctitate conspicui, inter quos saeculo decimo tertio eminent *S. Thomas Aquinus*, et *S. Bonaventura*. Eodem modo etiam subsequentibus saeculis ex variis scholis multi pro-

(1) Matth. 18, 20.

dierunt rerum theologicarum scriptores, scientia, eruditione et pietate conspicui. Isti iam Theologi scholastici contemni et vilipendi non possunt nisi ab homine ignorante, aut praeiudiciis ac passionibus obcaecato; sed ipsi in honore habendi sunt, quia magna emolumenta afferunt ad veritates Religionis et Revelationis recte cognoscendas. Ut autem Theologorum scholasticorum usus rite dirigatur, *Melchior Canus* sequentes tres canones, seu regulas statuit et praescribit.

1. *In contrarias opiniones abeuntibus Theologis scholasticis*, pro neutra parte plus probatur, quam ratio evincat, vel auctoritas privata mereatur; i. e. probabile argumentum sumi potest; certitudo nulla habetur theologica. — Ratio est, quia si ex mera auctoritate uni parti tanquam certae et indubitato verae assentiremus, oppositam necesse foret apertae falsitatis et improbabilitatis convincere, quod citra temeritatis notam fieri nequit, quamdiu pro parte contraria stat eiusdem respective ponderis fundamentum, nempe auctoritas aeque vel quasi aeque gravis. — Neque etiam si rationes ex una parte nobis multum probabiliores videantur, non ideo aliter sentientes superbe contemnamus, qui forte maiori ingenio et maiori diligentia omnia examinarunt et diiudicarunt.

2. Communi sententiae Theologorum *in re gravi theologica* (licet non sit de fide) refragari, praesumtuosum est, ita ut communis opinio tamdiu debeat haberi pro vera quousque non enervetur manifestis argumentis contrariis. — Ratio est, quia intellectus hominis privati facilius errat, quam doctorum consensus. Ecclesia ipsa tam in decisionibus pontificiis, quam in conciliis hunc semper honorem defert communi Theologorum sententiae, ut quousque talis non sit evidenter convicta de falsitate, non solum non declaret contrarium, sed iuxta eandem sentire et operari velit fideles. — — Et si in omni alia disciplina fides habenda est in arte peritis et expertis, quidni in Theologia? — —

3. Concors et unanimis omnium Theologorum scholasticorum *de re fidei ac morum* asseveranter et constanter propugnata sententia tam firmum fundat iudicium theologicum, ut contradicere in huiuscemodi proximum sit haeresi. Variis id rationibus probari potest. a) Quidquid enim concors Theologorum in materia fidei et morum tenet sententia, id universalis tenet Ecclesia: a quonam enim nisi a Theologis, aut ab iis, qui perceperunt a Theologis, docentur omnes Christi fideles? — Si ergo omnes Theologi errarent, tota Ecclesia periculo erroris exponeretur: cum autem Deus Ecclesiae in necessariis non desit, certe omnes Theologos errare non sinit. — b) Theologi, qui omnia indagare, omnia iudicare, de omnibus disputare consueverunt, certe unanimiter non consentirent, nisi vel per irrefragabilem auctoritatem S. Scripturae, vel per indubitatam traditionem apostolicam, vel per definitionem Pontificum aut Conciliorum ad ita consentiendum adacti fuissent. c) Apostolus (1) docet, quod Deus Ecclesiae suae dederit non solum Apostolos, Prophetas et Evangelistas, sed etiam pastores et doctores, in opus ministerii et ad servandam unitatem fidei: ergo sicut eadem Christi Ecclesia semper perdurabit, ita ad providentiam Christi pertinet, ut semper habeamus pastores et doctores, qui proprio ore nos doceant et nos confirment in unitate fidei. Hoc autem alia via, vel ratione non fit,

(1) Ephes. 4.

quam per unanimes Theologorum doctrinas: ergo qui his contradicit, divinae providentiae et Ecclesiae stabilitati repugnat et proximus haeresi merito censetur. d) Si omnes Theologi errarent, non posset tacere Ecclesia, quae neque tunc tacere solet, quando pauciores circa fidem errant. Error enim, cui non resistitur, approbatur, et veritas, cum non defenditur, opprimitur, — ait Innocentius (1). Ex his ergo appareat, quantus sit Theologorum scholasticorum usus in Theologia dogmatica non solum ad doctrinam Christi melius intelligendam, et ad argumenta depromenda; sed praecipue etiam ad consensum Ecclesiae cognoscendum.

§. 233.

IV. De reliquis mediis.

Praeter ea, quae modo proposita sunt, alia quoque media dantur ad consensum Ecclesiae extraconciliarem cognoscendum. a) In primis Ecclesiae saeculis ad id ordinabantur *literae formatae* seu *communicatoriae*, in quibus Episcopi sententiam suam manifestarunt, et quas ceu fidei tesseras sibi invicem miserunt. — b) Quid Episcopi circa varias fidei doctrinas sentiant, optime etiam dignosci potest *ex libris* publica auctoritate, i. e. approbante vel etiam iubente Episcopo editis, uti sunt libri *symbolici*, *rituales*, *sacramentales* etc (2). c) Denique etiam *ex universali et constanti persuasione fidelium* doctrinam quandam ceu fidei dogma profitentium, aut etiam *ex praxi fidelium* non solum tolerata, sed etiam approbata aut praecepta, saepe satis tuto dignosci potest, quid Episcopi sentiant et doceant. Fides enim Ecclesiae discentis omnino a fide Ecclesiae docentis dependet.

(1) 83 dist. c. *Error*. (2) Cf. §. 199, n 4.

Nota. De consensu Ecclesiae extraconciliari plena certitudo per Romanum Pontificem obtinenda est. Ad ipsum enim ceu ad unitatis centrum omnes Ecclesiae confluunt, quarum ideo consentientem fidem nemo melius ipso dignoscere potest. Et sicut Romani Pontificis est concilia generalia confirmare, ita ad eundem spectat de consensu Ecclesiae extraconciliari testimonium authenticum ferre, quod certe omnem fidem meretur, cum per ipsum - quasi per suum os - Ecclesia universalis docens loquatur. —

ARTICULUS III.

De infallibilitatis obiecto.

§. 234.

Momentum doctrinae.

Dum de obiecto infallibilitatis quaeritur, veritates inquiruntur, in quibus declarandis et definiendis Ecclesia dono inerrantiae gaudet. Magni momenti haec quaestio iure censetur, quia gravia incommoda sequuntur, tum si infallibilitatis obiectum nimium extenditur, tum si nimium restringitur. — Si enim Ecclesiae infallibilitas adscriberetur in iis, in quibus hoc privilegio donata non est, error, qui ex hac parte possibilis esset, in maximum Ecclesiae opprobrium et Religionis detrimentum vergeret. « Quis enim non videat, ait *Muratorius* (3), si in uno, quod vere ad Ecclesiae iudicium pertineat, ecclesiastici iudices aberrasse deprehendantur, necesse quoque esse, ut in ceteris omnibus erroni obnoxiam Ecclesiam confiteamur? — sic dum incerta et indebita iura S. Pastoribus conceduntur, etiam certa et debita in periculum adducuntur. — Si autem infallibilitatis obiectum nimis restringitur et Ecclesiae inerrantia in iis negatur, in

(3) De ing. moder. l. 1, c. 13.

quibus divinitus concessa est, iniuria fit tum Christo, cuius bonitas, et providentia inique limitatur et obscuratur, tum Ecclesiae, cuius auctoritati derogatur, tum fidelibus, quibus ex hac parte firma fidei certitudo adimitur. — Summopere ergo allaborandum est, ut in hac quaestione inter duo extrema medium teneatur.

Nota. Circa infallibilitatis obiectum olim multis nimia extensio, hodie nimia restrictio probatur. Ast hac in re non quid hominibus placuerit placeatve, sed quid Christus velit, respiciamus: sicuti enim institutio infallibilitatis, ita et extentensio, et conditiones a voluntate Christi pendent (1).

§. 235.

Regulae.

Infallibilitatis obiectum ex principiis haetenus probatis satis certo determinari potest. Ecclesia enim, ut ex allatis argumentis constat, infallibilis est propter Christi, et Spiritus S. assistentiam. Ergo infallibilis est in iis, in quibus Christi et Spiritus S. assistentia promissa est: haec autem promissa est in iis, quae revelata et mandata sunt a Christo (2). Christus enim plenam Revelationis lucem attulit mundo et partim V. T. Revelationem confirmavit, partim novam proposuit, ita ut haec ad salutem omnium hominum promovendam sufficiat, et nulla amplius nova revelatione opus sit. Ut autem saluberrima haec salutis doctrina semper pura inter homines servetur, Ecclesia ut infallibilis eiusdem interpres, custos et controversiarum circa illam emergentium iudex instituta fuit. — Ex his principiis duae regulae ad determinandum infallibilitatis obiectum deducuntur, quarum prior *positiva*, posterior *negativa* dici potest. 1. Ecclesia infallibilis est in declarandis, definiendis, et contra omnes errores custodiendis et conservandis iis, quae divinitus revelata sunt. 2. Ecclesia tenore promissionum Christi infallibilis dici non potest in iis, quae revelata non sunt, et ad fidei conservationem haud requiruntur.

Nota. Muratorius duas conditiones requirit ut Ecclesia infallibiliter dogmata statuere possit, nimirum 1. fidelium necessitatem ac utilitatem, 2. fundamentum in revelatione sive scripta, sive tradita. Cum autem omnia, quae sive scripta, sive tradita sunt, ad nostram doctrinam et utilitatem revelata fuerunt, et cum plurima si non omnibus, saltem multis, e. g. praesulibus ecclesiasticis, scitu necessaria, ceteris cognitu utilia dici debeant; utique de prima conditione nunquam dubitare licet, et ideo remanet solum secunda, quae coincidit cum regulis prius statutis. — Cl. *Dobmayr* sequenti modo infallibilitatis obiectum determinat. Ait enim: Extensio infallibilitatis, seu multitudo obiectorum, quibus authentice declarandis Ecclesia sufficit, recte dicitur *integer ordo salutis*, a Christo institutus. — Nam gloria Dei et salus animarum *finis* est, ob quem Christus venit: ad hunc autem finem promovendum doctrina revelata est *medium proximum*, et Ecclesiae auctoritas *medium remotum* est. Itaque Ecclesia omnia, quae ad ordinem salutis ex institutione Christi pertinent infallibili iudicio declarare et nullum errorem ei contrarium aut difformem assumere vel docere potest. — Cum autem Christus, quae ad salutem hominum requiruntur, cuncta revelaverit, ita ut nova Revelatione opus non sit, profecto haec regula cum prius allatis convenit, illasque solummodo alia ratione pro-

(1) Cf. Dobmayr t. IV, Append. §. 65 not.

(2) Matth 28, 19 etc.

ponit. Ideo ipse Dobmayr (1) aliam specialem regulam statuens dicit, ex tenore promissionis Christi Ecclesiae infallibilitatem se extendere ad veritates formaliter revelatas. Monet tamen, infallibilitatem Ecclesiae, cum sit privilegium a Christo, Principe optimo, pro bono Ecclesiae concessum, *latae esse interpretationis*, uti ex conceptu genuino de sapientia et bonitate Christi, et ex paritate de privilegiis principum declarari potest.

§. 236.

Regularum applicatio.

Ex principiis regulisque statutis varia corollaria sequuntur:

1. Ecclesia infallibilis est in *agnoscendis libris divinitus inspiratis*, et in eorum *canone statuendo;* nam si vel librum divinitus inspiratum reiiceret, vel opus mere humanum ut divinum assumeret, in utroque casu circa ipsam Revelationem erraret.

2. Ecclesia infallibilis est *in intelligenda et exponenda S. Scriptura*, quae utpote divinitus inspirata nonnisi Revelationem continet.

3. Ecclesia etiam errare non potest in iudicandis *versionibus sacrae Scripturae*, ita nimirum, ut authentico iudicio definire possit, nullum circa fidem et mores errorem in illis contineri. — Cum enim Ecclesia infallibilis sit in Revelatione non solum intelligenda, sed et docenda ac aliis tradenda, quod in variis linguis fieri debet, certe etiam Ecclesia errare nequit in diiudicanda et approbanda S. Scripturae versione, quae, sicut textus originalis, doctrinam revelatam continet. Ecclesia enim in docendo erraret, si spuriam et fallacem versionem fidelibus ut genuinam et veracem proponeret. — Exinde apparet quantae auctoritatis sit Vulgata nostra, quae saltem, quoad ea, quae fidem moresque spectant, ab Ecclesia approbata fuit. — Et sane necesse est, ut authentico et infallibili Revelationis interpreti, pro omnibus Gentibus constituto, etiam ius adscribatur, authentice et infallibiliter S. Scripturae versiones diiudicandi et approbandi.

4. Ecclesia etiam infallibilis est, dum *ex SS. Patrum scriptis* dogmata divinitus tradita eruit. Si enim Ecclesia in intelligenda et exponenda SS. Patrum doctrina errare posset, etiam in cognoscenda et explicanda divina Traditione errori obnoxia esset; cum autem id admitti non possit, etiam illud impossibile dicendum est. Non autem ideo in diiudicandis singulis Patribus Ecclesia infallibilis est, sed in diiudicandis omnibus collective sumtis, prout non singuli, sed omnes collective sumti divinam Traditionem constituunt. Dum ergo de consensu Patrum agitur, Ecclesia circa obiectum revelatum versatur, non autem dum de unius Patris sensu quaeritur.

5. Ecclesia etiam infallibilis est in recte intelligendis *sacris canonibus* conciliorum generalium, sive particularium, a tota Ecclesia approbatorum. Cum enim singularia haec monumenta certissimas contineant evangelicae veritatis sanctiones, necesse est ut ad earum sensus intelligendos opem conferat Deus, ne in necessariis Ecclesia deficiat.

6. Cum in Revelatione non solum *veritates theoreticae*, sed et *praecepta moralia* atque *consilia evangelica* contineantur, varia *media salutis* indigitentur, *iura et officia ministrorum sacrorum* etc. determinentur, Ecclesia in his omnibus declarandis et definiendis infallibilis est.

7. Ecclesia potest *symbola fidei* conficere, quod saepe necessarium est fidelibus, ut sciant, quid credendum sit, et ne in errorem ab

(1) L. c. §. 67.

heterodoxis inducantur. In illis autem conficiendis Ecclesia certe aberrare non potest, quia, dum symbola proponit, nil aliud facit, nisi ut publice - pro fidelium norma - declaret, quid revelatum et quid credendum sit: in declaranda autem et docenda Revelatione semper infallibilis est. Omni iure idcirco etiam symbolo iam proposito alios quoque fidei articulos addere potest, quia tunc non iam nova dogmata procudit, sed solum id, quod semper implicite creditum est, explicite credendum proponit, quod iam saepe ob haereses enatas necessarium fuit (1).

§. 237.

Quaestiones variae de iudicii ecclesiastici auctoritate.

Circa obiectum ecclesiasticae infallibilitatis variae quaestiones a Theologis proponuntur, et non uno eodemque modo ab omnibus solvuntur. Has etiam *Klüpfel* innuit et quasi ex tripode solvit(2). Ait enim: «Quaestionibus illis, num Ecclesia sit infallibilis in quaestionibus philosophicis? an in factis dogmaticis? an in censura librorum? an in beatificatione et canonizatione sanctorum? — — Respondemus paucis, infallibilem non esse, quod res istiusmodi revelatae a Deo non sint, neque admittendae sint novae revelationes, neque necessariae. » — Haec vero generalis et sine ulla distinctione prolata responsio approbari nullatenus potest. Sed iuxta principia statuta et regulas praescriptas quaestiones solvendae sunt. Et cum in solutione hincinde Theologi dissentiant, si quis uni sententiae subscribit, decet tamen, ut et aliter sentientium rationes expendat.

(1) Cf. Dobmayr l. c., Muratorius de ing. mod. l. I, cap. 13 etc.
(2) T. I Proleg. §. 78, Not. 2.

§. 238.

I. De quaestionibus philosophicis.

Si quaeritur, an Ecclesia in quaestionibus philosophicis infallibilis sit, nec ne; cum distinctione respondendum est. Si enim quaestio philosophica materiam concernit, quae in ipsa revelatione exposita continetur, Ecclesia in illa definienda infallibilis est. Sic e. g. si quaeratur de cosmogenia, de origine hominum, de simplicitate et immortalitate animae, de libertate etc., in his quaestionibus dirimendis Ecclesia infallibilis est, quia veritates revelatas concernunt: idem dicendum est de iudicio Ecclesiae circa praecepta morum, seu ethicam naturalem, quae etiam Revelationis obiectum constituit. Aliter sentiendum est, si agitur de quaestionibus, circa quas nihil in Revelatione invenitur, et in quibus ideo Ecclesiae infallibilitas adscribi non potest. — Monet tamen *Muratorius* (3) Ecclesiam etiam in scientiis et artibus, non pertinentibus ad fidem, iure damnare posse opiniones, quae S. Literis evidenter repugnant, aut quibus positis S. Scripturae loca apte et commode explicari nequeunt. Ratio est, quia veritas una est, et ideo nil verum esse potest in Philosophia, quin et verum sit in Theologia, et vicissim: a Deo autem revelata semper vera sunt, ac ideo his contraria certissime falsa.

§. 239.

II. De factis dogmaticis personalibus.

Per facta dogmatica non intelliguntur facta, quae in S. Literis aut in Traditione continentur, quae ergo revelata sunt, et hac de causa infallibiliter ab Ecclesia decerni possunt, sed intelliguntur facta, quae intimo nexu cum dogmate coniunguntur. Haec facta vel *personas*, vel *libros*

(3) L. c. cap. 21.

concernunt, et ideo in *personalia* et *doctrinalia* dividi solent. Nexus facti, personam respicientis, cum dogmate clare elucet, si argumentatio instituatur, in qua dogma continetur in propositione maiori, factum historicum, dogmati coniunctum, in minori, ex qua ceu conclusio fluit factum dogmaticum: e. g.: Qui negat divinitatem Christi est haereticus; Arius negavit divinitatem Christi, ergo fuit haereticus. — In istis factis diiudicandis nonnulli Theologi Ecclesiae infallibilitatem adscribendam esse censuerunt, duplici ratione ducti, quia nimirum Ecclesia pro munere pascendi lupos sine erroris periculo agnoscere debet, ut ab ipsis gregem custodiat, et quia Ecclesia in conciliis generalibus non solum dogmata definivit, sed etiam personas, a dogmate aberrantes, damnavit et strictissime praecepit, ut omnes huic quoque damnationi assentiant. — Sed tamen alii Theologi, principiis et regulis allatis insistentes, hoc in iudicio Ecclesiae infallibilitatem non adscribunt. Facta enim praedicta personalia revelata non sunt, et idei ad infallibilitatis obiectum non spectant. Huius sententiae est *Muratorius*, et etiam *Billuart*, qui (1) dicit: « Quantum ad facta personalia et particularia, quae nituntur tantum testimoniis humanis fallibilibus, neque ad regimen totius Ecclesiae, omniumque fidelium salutem pertinent, communis sententia est, Ecclesiae iudicium posse errare. » Unde *S. Thomas* (2) dicit: « In aliis vero sententiis, quae ad facta particularia pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de eiusmodi, possibile est iudicium Ecclesiae errare. » Huc etiam iure refertur id, quod Innocentius III (3) fatetur: « Iudicium Dei veritati, quae nec fallit, nec fallitur, semper innititur; iudicium autem Ecclesiae nonnunquam (i. e. in factis personalibus non revelatis) opinionem sequitur, quam et fallere saepe contingit et falli. Propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est coram Deo, apud Ecclesiam sit solutus, et qui liber est apud Deum, ecclesiastica sit sententia innodatus. » — Neque hac in re Ecclesiae infallibilitas necessaria est ut heterodoxa sentientes ac docentes agnoscere, et ab his gregem suum praeservare possit. Ad illud enim vires naturales sufficiunt, praecipue cum nonnisi docti, experti probatique viri post accuratum examen iudicare soleant, et ad hoc efficiendum sufficit concessa a Christo Ecclesiae potestas legislativa et iudiciaria, cui omnes se subiicere tenentur: hanc subiectionem etiam omni iure semper Ecclesia exegit, dum in conciliis haereticos damnavit.

(1) T. VII, Diss. 3, Art. 7, §. 1.

(2) Quodl. 9, a. 16.

(3) Cap. *A nobis* de sent. excommun.

§. 240.

III. De factis dogmaticis doctrinalibus, seu de censura librorum.

Si agitur de factis dogmaticis doctrinalibus, seu de censura librorum, duplex quaestio secernenda est. Quaeri enim potest, an aliqua doctrina, in libro clare et certe contenta vera sit, nec ne; — et quaeri potest, an doctrina aliqua, quae iam certo vel vera, vel falsa est, in libro contineatur, nec ne. 1) In prima quaestione solvenda Ecclesia absque dubio infallibilis est, si iudicat de veritate, aut falsitate propositionum in libro contentarum, et ad fidem spectantium. Ecclesia enim circa doctrinam revelatam erraret, si propositionem Revelationi consonam damnaret, aut propositionem Revelationi contrariam approbaret: tanto errori Ecclesia nullo modo subiecta esse

potest. Neque infallibili hac in re Ecclesiae iudicio obstat, quod veritas non iisdem verbis, quae in propositione occurrunt, revelata sit, nam etiam in verbis diiudicandis et adhibendis, sine quibus dogmata enuntiari non possunt, Ecclesia eo ipso infallibilis est, quia Christi et Spiritus S. assistentia ipsi *in docendo* (ad quod rectus verborum usus requiritur) promissa est: et sane si Ecclesia in verbis intelligendis et adhibendis essentialiter errare posset, de omni infallibilitate actum esset. Dubitare ergo non licet de Ecclesiae infallibilitate, dum de veritate, aut falsitate propositionum, ad fidem spectantium, iudicium fert. —

2. Circa secundam quaestionem dissentiunt Theologi. Nonnulli Ecclesiam infallibilem dicunt, dum iudicat, erronea et haeretica in libro ipso contineri, et dum ideo librum damnat, eiusque lectionem prohibet. Id autem sequentibus potissimum argumentis probant: a) Christus Ecclesiae suae non deest in omnibus illis, quae ad depositi conservationem, et publicam fidelium salutem necessaria sunt. Atqui ad depositi conservationem, et fidelium salutem necesse est, ut Ecclesia infallibili iudicio possit noxia pascua a salubribus, venenum a remedio, i. e. libros heterodoxos et pestiferos ab orthodoxis et utilibus distinguere. At quis fidelis posset se tuto Ecclesiae suae auctoritati committere, si haec posset libros haereticos ut orthodoxos approbare, aut vere Catholicos damnare ut perniciosos? — — Omnino ergo Ecclesiae in censura librorum infallibilitas adiudicanda est, ut muneri suo pascendi, regendi Ecclesiam, et depositum fidei custodiendi satisfacere possit. b) Ecclesia omni tempore de libris iudicium tulit, et pro hoc plenam ab omnibus subiectionem exegit. Sic in Concilio Nicaeno I damnavit Arii *Thaliam*, utpote erroribus haeresibusque refertam. Damnavit scripta Nestorii in Concilio Ephesino et Chalcedonensi eadem de causa: contra vero probavit scripta Cyrilli adversus eundem exarata, utpote orthodoxa. In Concilio generali V. damnavit tria capitula, et sic in omni saeculo libros haereticos damnavit, ita quidem ut ab omnibus assensum pro hac damnatione exigeret, et illorum lectionem etiam sub excommunicatione prohiberet. Si autem Ecclesia hoc in iudicio falli, et fallere posset, quomodo probaretur fidelibus sat firmo argumento, consensum internum deberi decisionibus, in quibus errare posset Ecclesia? quomodo posset Ecclesia sub poena anathematis eiusmodi obsequium exigere? An non, ut optime ratiocinatur *Bellarminus*, iniquum esset, sub tam gravi poena obligare fideles ad assentiendum rebus incertis et interdum falsis (1)? — — Non obstantibus autem his rationibus alii cum *Muratorio* (2) asserunt, Ecclesiam in hoc iudicio infallibilem dici non posse, quia, quid hic vel ille auctor senserit et scripserit, revelatum non est. Neque hac ex parte Ecclesiae infallibilitas necessaria esse videtur. Si enim propositiones libri claris et perspicuis terminis concipiantur, ad illas intelligendas vires naturales sufficiunt, neque speciali et extraordinaria Christi et Spiritus S. assistentia opus est. Si autem propositiones ambiguis et aequivocis terminis proferantur, quaestio, quae tunc de mente auctoris movetur, ad facta dogmatica personalia referenda est. — Ecclesia autem omni iure talem librum damnare et prohibere potest pro potestate sua legislativa.

(1) Cf. Liebermann t. II, p. II, c. III. Quaest. 5. Perrone t. 8, p. I, c. 4, Prop. II.

(2) L. c cap. 20.

et iudiciaria, quam omnes venerari, et cui se subiicere debent. Ideo ipse Muratorius (1) dicit: « Licet Ecclesia hoc in iudicio infallibilis non sit - - nihilominus fideles libros, quos Ecclesia proscripsit, et verbis et anima execrare debent; non enim solum definitionibus Ecclesiae credendum, sed et eius praeceptis obediendum est. » Qui autem talem obedientiam recusant, merito etiam anathemate feriuntur. Gravissime ergo errarunt et peccarunt Iansenii fautores, qui, licet quinque propositiones a Romanis Pontificibus proscriptas damnarint, tamen fateri noluerunt, has quinque propositiones in libro Iansenii vere contineri, licet etiam hoc romani Pontifices cum magno Episcoporum consensu et iudicaverint et declaraverint.

§. 241.

IV. De Beatificatione et Canonizatione servorum et servarum Dei.

Tum Beatificatio, tum Canonizatio est publicum Ecclesiae testimonium de vera sanctitate et gloria alicuius hominis defuncti. Canonizatio est ultima et definitiva sententia de sanctitate et gloria alicuius, non vero beatificatio, post quam requiruntur adhuc novae informationes, ut perveniatur ad Canonizationem: praeterea per Canonizationem Sanctus (vel Sancta) toti Ecclesiae colendus proponitur; Beatificatio autem non tam est sententia, quam indulgentia, seu permissio, ut alicui deferatur cultus religiosus, non in tota Ecclesia, saltem regulariter, sed in aliqua provincia, vel religione. De hoc iam iudicio quaeritur, an sit infallibile, nec ne? — Circa hanc vero quaestionem triplex sententia inter Theologos viget.

1. Nonnulli Ecclesiam in beatificatione, et praecipue in canonizatione servorum et servarum Dei infallibilem esse affirmant. Inter hos *Melchior Canus* (2) dicit: « Multum refert ad communes Ecclesiae mores, scire, quos debeas Religione colere; quare, si in illis erraret Ecclesia, in moribus quoque graviter erraret, nec differt, diabolum colas, an hominem condemnatum » Cum autem id in maximum Ecclesiae opprobrium, in Religionis dedecus, et in fidelium detrimentum cederet, Deus, qui Ecclesiae in necessariis non deest, tantum errorem admittere non potest. — Aliud argumentum M. Canus desumit ex eo, quia nullo exemplo ostendi potest, Ecclesiam per testimonia humana, quorum plurima hisce in causis audiuntur, deceptam fuisse, et erroneum iudicium tulisse, quod reformatione indigeret. Id autem adscribit assistenti in hoc negotio Spiritui S. « cuius, inquit, peculiarissimae providentiae abunde magnum argumentum est, quod nunquam infirmata est fides ab humanis testibus semel in huiusmodi iudiciis suscepta, quod in casibus civilibus saepe accidit. » Eandem sententiam propugnat *Billuart* (3), qui autem dicit, eam de fide non esse.

2. Alii, statutis regulis stricte insistentes, Ecclesiam tenore promissionum Christi in beatificatione et canonizatione infallibilem dici non posse, contendunt, quia de sanctitate et gloria hominum defunctorum, de quibus sermo est, nil revelatum fuit. Id sentit *Murctorius* (4) qui idcirco ad rationes a M. Cano allatas ita fere respondet: Si contingeret ut sanctus colatur, qui in inferno ardet, error iste non esset nisi materialis, qui nec in Ecclesiae opprobrium, nec in Religionis dedecus, nec in fidelium detrimentum cede-

(1) Loc. cit.

(2) De loc. theol. l. 5, c. 5, concl. 5.
(3) L. c. art. 8. (4) L. c. 17.

ret: nam cultus talis nihilominus in se bonus esset, quia cultus Sanctorum est relativus, et ultimo semper ad Deum dirigitur. Neque mirum est, nullum erroris exemplum in beatificationis et canonizationis causa ostendi posse. Si enim summa diligentia attendatur, qua in his causis proceditur, et quam ipsi etiam Protestantes saepe iam admirati sunt, et praecipue si consideretur, Ecclesiam hac in re iudicium non proferre, nisi de miraculis post mortem patratis ex testimoniis omni exceptione maioribus certissimo constet, iure concluditur, tale iudicium moraliter loquendo errare non posse, et omnem fidem mereri.

3. Nonnulli mediam quasi viam ineunt, dicentes, quod, licet tenore promissionum Christi Ecclesiae hac in re infallibilitas probari non possit, tamen a divina bonitate talis assistentia pro hoc iudicio exspectanda sit, ut aberrare omnino non possit. Huius sententiae est *S. Thomas Aq.*, qui cum obiecta recensuisset, in quibus Ecclesia est certe infallibilis, et in quibus non est, subiungit: « Canonizatio Sanctorum media est inter haec duo; quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quaedam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod neque etiam in his Ecclesia errare possit (1).

Nota. Quidquid de Ecclesiae infallibilitate in beatificationis et canonizationis negotio iudicetur, nunquam tamen hoc iudicium contemnere licet. Qui enim negaret, ab Ecclesia canonizatum esse Sanctum dicendus foret *temerarius*, quia contradiceret communi Ecclesiae sensui in re fundatissima, et cuius oppositum non habet idoneum fundamentum; sed, ut dicit *S. Augustinus* (2), « insolentissimae insaniae est, disputare, an sit faciendum, quod tota Ecclesia facit »; esset quoque *scandalosus*, quia retraheret fideles a cultu Sanctorum; esset *impius*, quia faceret iniuriam tum Ecclesiae, tum ipsis Sanctis, denique *saperet haeresin* sectariorum, qui vilipendunt Canonizationes, et negant cultum et invocationem Sanctorum (3).

(1) Quodlib. l. 9, art. 16. (2) Epist. 118.

§. 242.

V. De disciplina.

Disciplina a dogmatibus plurimum differt. Dogmata enim quid credendum sit proponunt, disciplina vero tradit quid in externo Dei cultu, in administratione Sacramentorum etc. faciendum sit. Male autem sentiret, qui Ecclesiae omnem circa disciplinam infallibilitatem denegaret. Aliter enim sentiendum esse, ex dicendis apparebit.

1. Aliqua disciplinae capita - nunquam immutanda - Christus ipse praescripsit, e. g. quae ad essentiam sacrificii N. L., ad materiam et formam Sacramentorum spectant; — alia disciplinae capita Christus Ecclesiae suae ius dedit adiicendi, eaque rursus mutandi pro locorum, temporum hominumque indole, quemadmodum prudentiae, pietatis et optimi regiminis ratio postularet. — Iam ad Ecclesiam spectat diiudicare, quid circa disciplinam Christus praeceperit, et quid Ecclesiae liberum reliquerit, prout etiam an institutio humano-apostolica, an divino-apostolica, an ad tempus, an perpetua sit, quo in iudicio certe infallibilis est, quia alias circa ipsam revelationem erraret, putans revelatum, seu a Christo praeceptum, quod tamen revelatum et a Christo praeceptum non est, aut e contra.

2. Ecclesia pro auctoritate a Christo accepta potest etiam pro varietate locorum, temporum, aliarumque

(3) Cf. M. Canum l. 5, c. 5. Murator. l. c.

circumstantiarum varia disciplinae capita praescribere. Haec autem decreta disciplinaria, cum revelata non sint, stricte loquendo ad obiectum infallibilitatis non spectant. — Sed tamen Spiritum S. etiam in his canonibus disciplinaribus statuendis non deesse, gravis ratio probat. Nam Apostoli in Concilio hierosolymitano non solum definitionem fidei, quam ediderunt, sed etiam legem disciplinarem, quam praescripserunt, Spiritui S. attribuerunt, dicentes: *Visum est Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato* etc. (1). Cum autem hoc concilium sit norma futurorum, itaque concilia generalia non solum definitiones fidei, sed et canones disciplinares Spiritui S. attribuere possunt. Praeterea Ecclesia nihil contra fidem et mores statuere potest; ergo etiam disciplinam praescribere nequit, quae fidei moribusve contraria sit (2).

3. Hoc etiam inter dogmata et disciplinam discrimen intercedit, quod in dogmatibus, quae semper eadem manent, nulla dissensio inter Ecclesias esse possit, sed in disciplina - pro ratione temporum, et locorum-varietas interdum laudanda, interdum tolleranda sit, ne maius bonum - pax - perturbetur. Id Ecclesia iam saepe exercuit, id SS. Patres suadent, id ratio saepe postulat; modus enim externi cultus multum a moribus, ab educatione nationis, et ab aliis circumstantiis dependet. » Neque diverso modo, ait *Muratorius*, se coli a gente sua indignatur Deus, quando interna caritas ardens, et pura fides, et dogmatum concordia externi cultus honestati respondeat, atque is cultus Revelationi, ac Traditioni minime repugnet. » — Caeterum licet disciplina per se mutabilis sit, privatis tamen hominibus nefas est ea abdicare, aut immutare, aut vituperare, quae supremi Ecclesiae Capitis decreto, aut Episcoporum consensu stabilita sunt. Ideo impius plerumque censendus est, qui ecclesiasticam disciplinam privata auctoritate violat, aut mutat, vituperat, aut contemnit (3).

Nota. Dantur etiam aliae quaestiones, quae circa obiectum infallibilitatis moveri solent, quarum solutio in variis Theologis inveniri potest, e. g. Billuart (4), Beda Mayr (5), Muratorius, Dobmayr etc.

(1) Act. 15.
(2) Liebermann l. c. Quaest. II.
(3) Muratorius l. c. cap. 15.
(4) T. VII, Diss. III, art. V et sequent.
(5) Verth. d. Rel.

CAPUT III.

DE POTESTATE ECCLESIAE.

§. 243.

Christus Apostolis non solum munus docendi imposuit, sed ipsis etiam potestatem *leges ferendi*, hominum actiones *iudicandi*, et refractarios *coërcendi, seu puniendi* concessit, atque ideo in ipsis veri nominis *imperium* fundavit, quod propter finem spiritualem, ad quem dirigitur, *sacrum* appellandum est, et quod semper in Ecclesia perdurare debet. Ecclesia docens est ergo ex Christi ordinatione etiam imperans. Agendum ergo est in hoc capite 1. *de imperii sacri institutione*, 2. *de imperii sacri perduratione*, 3. *de Primatu, Petro concesso*, 4. *de sessione Petri Romae*, 5. *de Primatu Romani Pontificis*, 6. *de reliquis ad Hierarchiam ecclesiasticam spectantibus.*

Nota. Triplex potestas in Ecclesia probe secernenda est, nimirum *potestas magisterii, potestas ministerii*

et *potestas imperii*, seu *regiminis*. De potestate magisterii, quae ad docendam Religionem revelatam ordinatur, actum est in capite praecedenti. De potestate ministerii, ad quam spectat cultus externus, Sacrificii oblatio, Sacramentorum administratio etc. quae communiter *potestas ordinis* dicitur, agendum est in Dogmatica speciali, in qua de mediis salutis a Christo institutis sermo est. Hic ergo solummodo agendum est de potestate imperii seu regiminis, quae etiam *potestas iurisdictionis* nominari solet.

ARTICULUS I.

De saeri imperii institutione.

§. 244.

Sine imperio nullam societatem bene ordinatam consistere posse, Philosophi docent, Iuris periti probant, et historia confirmat. Cum autem Christus regnum divinum morale fundaverit, seu societatem religiosam instituerit, eamque bene ordinatam esse voluerit, absque dubio illam etiam sacro imperio instruxit. — Id Protestantes non omnimode diffitentur. Nam et ipsi habent non solum corpus aliquod pastorum ad annuntiandum Evangelium, et administranda sacramenta, sed etiam seniores suos, et doctores, quibus officium committunt legibus regendi disciplinam, iudicia instituendi, vel etiam poenas dictandi. Verum in eorum sententia nulla est ex Christi ordinatione inter Clerum et plebem distinctio; imo omnem potestatem et iurisdictionem ecclesiasticam radicaliter in populo esse contendunt, eos, qui illam exercent, de consensu tantum, et nomine populi agere, et si ab hoc munere suo exuuntur, nulla ratione a reliqua plebe distingui. — Haec autem sententia a veritate longe aberrat. Nam Christus non omnibus, non populo, sed Apostolis potestatem 1. *legislativam*, 2. *iudiciariam*, et 3. *coërcitivam* concessit, in qua triplici potestate sacrum imperium consistit.

(1) Matth. 18, 18.

§. 245.

I. De potestate Apostolorum legislativa.

Christum Apostolis potestatem dedisse leges ferendi, eaque ordinandi, ac praescribendi, quae ad Ecclesiae finem conducunt, ex ipsis S. Litteris probatur.

1. Christus enim Apostolis suis dedit potestatem ligandi et solvendi, dicens (1): *Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Hisce verbis Apostolis potestatem legislativam traditam esse, probatur: a) *ex obvio verborum sensu*; nam *ligare* significat impedire, quominus alius pro libitu agere possit; ligantur autem homines in societate iustis legibus, quibus ipsorum libertas coarctatur; *ligare* ergo significat idem, ac prohibere, seu legem ferre, sicut *solvere* idem est ac permittere, seu legem abrogare, vel relaxare; b) *ex modo loquendi Iudaeis usitato*, quibus ligare, et solvere idem erat ac leges ferre, et leges abrogare, ut *Ligtfootius* 30 locis parallelis ostendit: in ipso talmude istae voces frequenter in eodem sensu occurrunt; c) *ex locis biblicis parallelis*: Christus, ut ostendat, se divina V. T. praecepta non abrogare velle, dicit: *non veni solvere legem, aut Prophetas, non veni solvere, sed adimplere* (2). De Pharisaeis autem, qui cum maximo rigore nonnulla praecipiebant, et alia interdicebant, Christus ait: *Alligant onera gravia, et importabilia,*

(2) Matth. 5, 17. Cf. v. 19.

et imponunt in humeros hominum (1): in eodem sensu voces istas adhibet Paulus, cum dicit: *Quae sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri* (2); d) *ex contextu*; Christus enim in praecedenti versiculo praecipit, ut delinquens Ecclesiae denuntietur, et si hanc non audierit, ut Ethnicus, et Publicanus habeatur; quorum non aliam rationem reddit, nisi quod Apostolis potestas ligandi, et solvendi competit. Ideo etiam Protestantes moderatiores non negant, his verbis Apostolis potestatem legislativam concessam fuisse: sic *Doederlein* (3) ait: « Ligandi et solvendi potestas... e decreto Christi complectitur ius, leges pro arbitrio et commodo Ecclesiarum divina cum auctoritate sanciendi. »

2. Christus, priusquam in coelum ascenderet, ad Apostolos dixit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (4). Christus ergo eadem ratione, eadem auctoritate et potestate misit Apostolos ad propagandam et regendam Ecclesiam, qua ipse missus fuerat a Patre. Christus autem a Patre potestatem legislativam et habuit et exercuit; saepe enim de suis praeceptis et mandatis (5) locutus est, et in specie praecepta omnino nova de suscipiendo baptismo (6) et de sumenda eucharistia tulit (7). Si ergo Apostoli eadem potestate instructi a Christo missi sunt, qua Christus instructus a Patre missus est, certe etiam ipsis potestas legislativa concessa fuit. Certe - si quis cum plena potestate, etiam leges ferendi, missus a rege alteri diceret: Sicut me misit rex, et ego mitto te; nemo dubitaret, quod ille huic etiam legislativam potestatem tradere velit.

(1) Matth. 23, 4. (2) Rom. 7, 2.
(3) Instit. theol. l. 2, p. 2, §. 563.
(4) Io. 20, 21.
(5) Io. 14, 21. Matth. 28, 19

3. Apostoli, verborum Christi optimi interpretes, potestatem legislativam sibi adiudicarunt, eamque actu exercuerunt. Veram enim legem non ut Praecones revelationis, sed ut Praesules Ecclesiae in concilio Hierosolymitano tulerunt, fidelibus praecipientes, ut *se abstineant ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato* (8). Leges istae ubique statim inter fideles propagatae sunt, earundemque observantia ab omnibus exacta fuit. Legitur enim (9): *Paulus perambulabat Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias, praecipiens custodire praecepta Apostolorum et Seniorum.* Ipse etiam Paulus legem tulit, quod vir aperto, mulier autem velato capite orare debeat, cuius rei etiam rationes affert, et demum addit: *Hoc autem praecipio* etc. (10). Apostolos veras leges tulisse, ipse Moshemius contra Böhmerum propugnavit, certissime ergo ipsi a Christo potestatem legislativam acceperunt (11).

§. 240.

II. De potestate Apostolorum iudiciaria.

Apostoli a Christo potestatem acceperunt non solum iudicandi in controversiis fidei, sed etiam iudicandi de actionibus fidelium, et quidem non solum in foro interno, seu in tribunali poenitentiae, sed etiam in foro externo. Est autem haec potestas iudiciaria, quae in foro externo exercetur, legitima facultas actiones subditorum examinandi, et de earundem bonitate vel malitia, merito vel culpa authenticum iudicium ferendi. — Hanc quoque potestatem a Christo Apostolis concessam esse, S. Litterae testantur.

1. Christus enim ait: *Si peccaverit in te frater tuus... dic Ecclesiae,*

(6) Io. 3, 5. (7) Io. 6, 54.
(8) Act. 15, 29. (9) Ib. v. 41.
(10) I Cor. 11, 17.
(11) Cf. Dobmayr tom IV, §. 141

quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus (1); ubi per Ecclesiam intelligitur coetus pastorum, non iam universus populus; agitur enim de Ecclesia, quam audire oportet; agitur de Ecclesia, quae possit ligare et solvere, ut ex versu sequenti apparet; ergo de Ecclesia imperante agitur, quam soli Praesules ecclesiastici constituunt, sicut hunc locum *S. Augustinus*, *S. Chrysostomus*, *Theophylactus* et alii exposuerunt. Refractarius ergo, si fraternae correctiones irritae sint, denuntiandus est Ecclesiae ex Christi praecepto, quod inutile et absonum esset, si Ecclesia illum iudicare non posset. Christus ergo certe Ecclesiae, quam tunc Apostoli constituerunt, potestatem iudiciariam dedit, et ita dedit, ut omnibus strictissimam obligationem imposuerit, se iudicio Ecclesiae subiiciendi, nisi ut Ethnici et Publicani haberi velint.

2. Christus ad Apostolos, qui contentiones de primatu inter se habuerant, paulo ante passionem suam dixit: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut - sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israël* (2). Christus per *regnum* sat frequenter Ecclesiam a se in terris institutam intelligit, et eandem significationem regnum etiam in isto loco habere, ex praecedentibus (3) et ex subsequentibus (4) colligi potest. Per *duodecim* autem *tribus Israël* universa credentium multitudo intelligitur, cuius gens israëlitica typus fuit. Christus ergo Apostolos omnium fidelium iudices instituit, et eandem ipse auctoritatem concessit, quam ipse a Patre obtinuit (5). — Multi equidem verba Christi iuxta locum parallelum (6) de promissa Apostolis aeterna beatitudine, et de eorundem potestate in die iudicii intelligenda esse putant: sed etiam hoc admisso, iure dici potest, quod sicut Christus, disponente Patre, potestatem iudiciariam, quam in finem mundi exercebit, iam in terris tenuit; ita et Apostoli, disponente Christo, iam in terris potestatem iudiciariam obtinuerint, quam cum Christo solemniter in die iudicii exercebunt.

3. Apostoli omnino persuasi fuerunt de tradita sibi iudiciaria potestate; ideo hanc sedulo exercuerunt. Sic Petrus iudicium tulit de Anania et Saphira (7), et Paulus, cum comperisset turpissimum incestum, Corinthi commissum, zelo iustitiae plenus scripsit: *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu iam iudicavi ut praesens eum, qui sic operatus est etc.* (8): quibus in verbis verum iudicium occurrit, non ab omnibus, sed ab uno Apostolo latum. Idem Paulus, dum (9) scribit: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare?* satis clare manifestat, se iudicare posse de iis, qui intus, i. e. in Ecclesia sunt. — Apostoli ergo in omnimoda persuasione fuerunt, traditam sibi esse a Christo potestatem sicut ligandi et solvendi, pascendi et vigilandi, ita etiam iudicandi.

(1) Matth. 18, 15-17. (2) Luc. 22, 29 etc. (3) V. 24 etc. (4) V. 51 etc.

(5) Cf. Io. 20, 21. (6) Matth. 19, 28. (7) Act. 5. (8) I Cor. 5, 3 etc. (9) L. c. v. 12.

§. 247.

III. De potestate Apostolorum coërcitiva.

Parum prodest potestas legislativa et iudiciaria, nisi illi addita sit potestas coërcitiva seu punitiva, quae est potestas Superioris subditis inobedientibus et refractariis irrogandi poenas ad medelam vel publicam vel privatam. Ordo enim et bonum societatis solummodo obtinetur per accuratam legum observantiam, quam ideo, considerata corrupta

hominum indole, etiam per poenas promovere oportet. Sicuti ergo hanc ob causam in quacunque bene ordinata societate cum potestate legislativa et iudiciaria etiam coërcitiva coniuncta existit; sic certe Christus Ecclesiam, quam omnibus ad finem ipsius mediis abunde instruxit, nullatenus hac necessaria potestate destitutam esse voluit. Imo ex S. Bibliis comperimus, potestatem coërcitivam a Christo Apostolis traditam fuisse.

1. Christus enim ipse modum puniendi refractarios docuit, dum de peccatore apud Ecclesiam denuntiato dicit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus* (1): quae verba ex loci temporisque adiunctis, in quibus prolata fuerunt, facile intelliguntur. Notum enim est, Iudaeos a consuetudine Ethnicorum, quos profanos putabant, et Publicanorum, quos magnos peccatores credebant, abhorruisse; tum vero formulam, *absque Synagoga fieri* (2), apud eos exclusionem a communione civili et religiosa, quae per constitutionem Moysis coniuncta erat, significasse. Dum ergo Christus eum, qui Ecclesiam non audit, pro Ethnico et Publicano habendum esse dicit, eoipso eundem extorrem a societate Ecclesiae declarat, — et Ecclesiae suae similem, quam Synagoga habuit, potestatem excommunicandi tribuit; quae excommunicatio, dum publica auctoritate fit, et cunctis Ecclesiae bonis, maximo honore habendis, privat, utique gravissima poena est

2. Paulus, qui parem cum caeteris Apostolis potestatem a Christo obtinuit (3), se potestate coërcitiva instructum esse, publice professus est. Nam (4) scribit: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis?* per virgam autem, spiritui caritatis et mansuetudinis oppositam, rigorem et poenarum inflictionem intelligi, nemo dubitabit. Idem (5) de Apostolis dicit, quod sint *in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam;* et (6) ait: *Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam secundum potestatem, quam dedit mihi Dominus:* poterat ergo Paulus non solum praedicare et verbis delinquentes corrigere, sed poterat etiam cum istis durius agere, i. e. illos punire, et quidem *secundum potestatem*, quam ei non populus, non princeps, sed *Dominus dedit.*

3. Paulus potestatem coërcitivam actu exercuit, et quidem modo verbis Christi (7) consentaneo. De flagitioso enim Corinthio scribit: *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, iam iudicavi ut praesens eum, qui sic operatus est, in nomine D. N. I. Christi, congregatis vobis, et meo spiritu cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die D. N. I. Christi* (8). Occurrit hic publica et solemnis excommunicatio in nomine Christi, et auctoritate divina lata. *Tradi* enim *Satanae* nihil aliud est, quam ab Ecclesiae societate segregari, et eiusdem bonis, precibus fidelium, Sacramentis etc. ita privari, ut anima et corpus potestati Satanae relinquantur. Eandem excommunicationem Paulus tulit etiam in Hymenaeum et Alexandrum, qui errores fidei oppositos spargebant: nam (9) commendat *fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt, ex quibus est Hymenaeus et Alexan-*

(1) Matth. 18, 17.
(2) I Esdr. 10, 8. Io. 9, 22, et 12, 24.
(3) Gal. 1, 1. (4) I Cor. 4, 21.
(5) II Cor. 10, 6. (6) II Cor. 13, 10.
(7) Matth. 18, 17. (8) I Cor. 5, 3 etc.
(9) I Tim. 1, 19 etc.

der, quos tradidi Satanae, ut discant non blasphemare. — Notandum autem est, Deum, ne potestas Ecclesiae undique afflictae vilesceret, eam primis temporibus portentoso interdum effectu sustentasse, et permisisse, ut excommunicatione perculsi a Satana vere obsiderentur, ac morbis aliisque aerumnis gravissime affligerentur, tum ut hi efficacius corrigerentur, tum ut alii a contumaci inobedientia aliisque sceleribus deterrerentur. Ex hac sane causa factum est, ut Ananias et Saphira, quos Petrus poena dignos pronuntiavit, praecoci morte abriperentur (1), et Elymas magus ad increpationes Pauli derepente caecitate feriretur (2). Quae omnia sat luculenter ostendunt, Apostolos divina auctoritate ius habuisse refractarios coërcendi et scelera vindicandi.

Nota. Ecclesiae docenti ideo potestas coërcitiva denegari non potest, quia gladium non portat, et per se vim physicam adhibere nequit; nam poena vel in irrogatione mali, vel in subtractione boni consistit, et ideo Ecclesia sicut plurima bona dispensare, sic etiam haec refractariis denegare potest. — Haec autem poena refractario infligitur, tum ne bonis ecclesiasticis abutatur, tum ut eorundem iactura perterritus resipiscat, tum ut fideles a scandalo praeserventur. Talis ergo poena, ex iustis causis et ad optimum finem inflicta, spiritui caritatis et mansuetudinis, in Evangelio commendato, non opponitur. Christus enim ipse, perfectissimum caritatis et mansuetudinis exemplar, Pharisaeos et Scribas, hypocritas, dire et publice corripuit (3), et ementes ac vendentes e templo eiecit (4). Dum autem gravium criminum reus ecclesiasticis bonis privatur, non iam aeger a medicina excluditur, quam Ecclesia ipsi libentissime exhibet, dummodo serio emendatus ad ipsam humiliter recurrat (5).

(1) Act. 5. (2) Act. 13, 11.
(3) Matth. 23. (4) Luc. 19, 45.
(5) Cf. Dobmayr l. c. § 142.

ARTICULUS II.

De sacri imperii perduratione in Episcopis, qui sunt veri Apostolorum successores.

§. 248.

Non defuerunt inter Protestantes, qui admitterent, Apostolis vere a Christo sacrum imperium collatum fuisse, sed ita ut cum ipsorum morte expiraret, sicut alia dona extraordinaria, primis tantum Ecclesiae nascentis temporibus necessaria, cessarunt (6). Id autem admitti nullatenus potest. Nam sacrum imperium a Christo in Apostolis institutum, semper in Ecclesia perdurare debet, atque ideo transiit in Apostolorum successores, qui sunt Episcopi. Esse autem revera Episcopos legitimos Apostolorum in sacro imperio successores, *ex S. Scriptura* et *Traditione* probatur.

§. 249.

I. Argumenta biblica.

Imperium sacrum, seu regendae Ecclesiae potestatem cum Apostolorum morte non interiisse, sed ad eorum successores, qui sunt Episcopi, transiisse, tum *ex effatis Christi*, tum *ex factis* et *dictis Apostolorum* elucet.

1. Christus enim Ecclesiae suae perpetuam durationem satis clare pronuntiavit, dicens: *Super petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (7). Christus autem absque dubio voluit, ut eadem Ecclesia, quam in Apostolis fundavit, semper perduret. Sed Ecclesiam Christus ita

(6) Bossuet Hist. variat. Eccl. prot. l. 14, § 67.
(7) Matth. 16, 18. Cf Matth. 28, 20. Luc. 1, 33.

instituit, ut essentialiter in *docentem* et *discentem* divideretur (§. 207), et ut illa sacro imperio instructa (Art. praec.), haec vero illi subiecta sit. Ergo ex Christi ordinatione imperium sacrum semper in Ecclesia perdurare debet, nisi adversarii ostendant, Christum voluisse, ut Ecclesia primitus instituta prorsus aliam constitutionem haberet, quam Ecclesia in finem usque mundi perduratura: id vero ostendi nullo pacto potest. — Sane iuxta Christi ordinationem Ecclesia ut societas perfecta et bene ordinata semper perdurare debet: nulla autem societas sine imperio perfecta et bene ordinata persistere potest, et quidem eo minus, quo maior est ipsius amplitudo. Absonum ergo est dicere, Christum tantum pro Ecclesia nascente, non verò pro Ecclesia per integrum orbem dilatata sacrum imperium constituisse.

2. Christus etiam revera Apostolis mandatum dedit, ut potestatem, quam ab ipso acceperant, in alios transferrent. Ait enim ad ipsos: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (1). Missus autem Christus fuerat a Patre, ut Ecclesiam institueret et potestatem rectoriam, quam visibiliter in terris exercuit, ante ascensionem suam in Apostolos transferret. Apostolis ergo, eodem tenore a Christo missis, eadem obligatio imposita est, ut ex hac vita migraturi potestatem a Christo obtentam in alios transferrent, ne unquam sacrum imperium in Ecclesia desinat.

3. Apostolos ius et obligationem habuisse potestatem sibi traditam aliis communicandi, ex eorundem praxi colligitur, quia id actu praestiterunt. Quia enim oportuit, ut Iudae *Episcopatum accipiat alter*, Christus vero hunc non denominavit, ipsi *Matthiam* elegerunt, qui *annumeratus est cum undecim Apostolis*, eadem potestate et auctoritate donatus (2). Eodem modo, iubente Spiritu S., Paulum et Barnabam per orationem et manuum impositionem Apostolos crearunt (3). Qui autem potestatem ab Apostolis acceperant, eam iterum aliis communicarunt; nam *Paulus et Barnabas constituerunt per singulas Ecclesias presbyteros* (seniores, quo nomine Episcopi intelliguntur, sicut docent Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus et alii). In specie Paulus Timotheum Ephesi et Titum Cretae Episcopum constituit. Imo Apostoli Ecclesiarum rectoribus a se positis iterum obligationem iniunxerunt, ut et ipsi alios rectores statuerent. Paulus enim ad Titum scribit: *Huius rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi* (4). Per presbyteros autem Episcopos intelligi, ex iis, quae (5) sequuntur, apparet: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse* etc. etc.

4. Apostoli autem Episcopis a se constitutis non solum munus docendi, sed etiam potestatem Ecclesiae rectoriam, seu sacrum imperium communicarunt. Id clarissime elucet ex iis, quae Paulus ad Episcopos locutus est, qui ex finitimis civitatibus Ephesi convenerant; ait enim: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (6). Idem colligitur ex iis, quae Paulus ad Timotheum et ad Titum scribit, quibus sacrum imperium haud obscure attribuit. Ait enim: *Adversus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus* (7); poterat ergo Timotheus, posita hac conditione, accusationem recipere,

(1) Io. 20, 21. (2) Act. 1, 26. (3) Act. 13, 2 etc. (4) Tit. 1, 5. (5) V. 7. (6) Act. 20, 28. (7) I Tim. 5, 19

testes audire, atque ideo vere potestatem iudiciariam exercere; imo poterat etiam punire, quod ex subsequentibus verbis patet: *Peccantes coram omnibus argue, ut et caeteri timorem habeant.* Similiter ad Titum scribit: Episcopus *potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere* (1), *sunt multi etiam inobedientes.... quos oportet redargui* (2)... *increpa illos dure, ut sani sint in fide* (3): *haec loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio* (4). Apostoli ergo Episcopos non solum simpliciter doctores, sed vere etiam rectores Ecclesiarum esse voluerunt.

Nota. Attendi certe meretur modus, quo Apostoli successores suos et ministros sacros constituerunt, ad quod perficiendum orationem cum impositione manuum adhibuerunt. Ita septem Diaconi constituti sunt ante conspectum Apostolorum, qui *orantes imposuerunt eis manus* (5). Episcopi quoque per orationem et manuum impositionem ab Apostolis constituti sunt, quibus firma persuasio inerat, per hunc ritum sacrum et externum gratiam conferri ad munera ecclesiastica recte obeunda. Ideo Paulus scribit: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per impositionem manuum presbyteri* (6). Et: *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quae in te est per impositionem manuum mearum* (7). Ex his patet, ministros sacros et praecipue Episcopos non a populo, sed ab Apostolis constitutos, gratia sacramentali, quae in ipsis maneat, praeditos, et tali charactere insignitos esse, qui eos semper a laicis distinguat. Id semper, ubique et ab omnibus creditum est, ut fusius in tractatu Dogmaticae specialis de Ordine ostendetur.

(1) Cap. 1, v. 9.
(2) V. 10.
(3) V. 13.
(4) Cap. 2, v. 15.
(5) Act. 6, 6.
(6) I Tim. 4, 14.
(7) II Tim. 1, 6.
(8) L. 4 adv. haer. c. 26.
(9) Ep. 42.
(10) Ep. 74.

§. 250.

II. Argumenta ex Traditione.

Traditionem si inspiciamus, manifeste videmus, *Episcopos semper ut legitimos Apostolorum successores habitos*, et *ideo iisdem s. imperium adiudicatum fuisse, quod etiam Ecclesia omni tempore actu exercuit.*

1. Episcopi, qui, teste historia, in omnibus saeculis non interrupta serie in Ecclesiis sibi succedebant, semper ut legitimi Apostolorum successores habiti sunt. Sic *S. Irenaeus* (8) dicit: « *Presbyteris* obedire oportet his, qui successionem habent ab Apostolis, et cum Episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt. » — *S. Cyprianus* (9) ait: « Episcopi Apostolis successerunt: » et (10): « Eorum dignitas Apostolorum traditione descendit. » *S. Basilius* (11) scribit: « Episcopi et Ministri Ecclesiarum a Deo constituti sunt: » et (12): « Episcopi in Apostolorum cathedra sedent. » — In Concilio *Carthaginensi*, anno 255 habito, dicunt Episcopi: *Apostolos, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Dei gubernantes* etc. In alia synodo sub S. Cypriano habita inquiunt: *Manifesta est D. N. I. Christi sententia Apostolos suos mittentis, et ipsis solis potestatem sibi a Patre datam permittentis; quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Dei gubernantes:* quae concilii verba refert *S. Augustinus* (13). *S. Ambrosius* (14) inquit: « Episcopus personam habet Christi, vicarius Domini est. » *S. Hieronymus* (15) ait: « Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent, et Episcopi omnes

(11) Ep. 42.
(12) Ep. 197.
(13) L. 7 de bapt. c. Don. c. 43.
(14) Comment. ad I Cor. 9, 10.
(15) Ep. 41 ad Marcell.

Apostolorum successores sunt. » Denique praecipue citari meretur antiquissimus *Clemens Rom.*, qui in prima sua ad Corinthios Epistola scribit (1): « Apostoli acceptis mandatis Episcopos constituerunt, et deinceps futurae successionis regulam tradiderunt, ut, cum illi decederent, ministerium eorum ac munus alii viri probati exciperent. »

2. SS. Patres Episcopis, seu Ecclesiae docenti potestatem legislativam, iudiciariam et coërcitivam passim adiudicant. Sic *Clemens Rom.* ad Corinthios seditiosos scribit: « Vos, qui ad seditionem fundamenta posuistis, subiicite vos presbyteris, et permittite, vos pro correctione vestra puniri (2). » *S. Ignatius M.* obedientiam erga Episcopum saepe in suis epistolis inculcat (3). *S. Basilius* (4) dicit: « Ecclesiae leges sanctae sunt custodiendae, nec offendiculum ponendum est fratribus. » *S. Gregorius Naz.* (5) ut ostendat, imperium sacrum non ad omnes, neque ad Principes, sed ad solos Episcopos spectare, ita loquitur: « Oves, pastores non pascite, nec supra fines vestros assurgite : satis enim vobis est, si recte pascamini. Iudices non iudicate, nec legislatoribus leges praescribite; non est enim confusionis Deus, sed pacis et ordinis. Ne quis igitur caput sit, qui vix manus, aut pes, aut vilius quoddam aliud corporis membrum est. » *S. Ambrosius* (6) ait: « Nemo abnuit, in causa fidei Episcopos solere de imperatoribus christianis, non imperatores de Episcopis iudicare. » — Praecipue SS. Patres potestatem coërcitivam, quae vel maxime per excommunicationem exercetur, Episcopis, seu Ecclesiae docenti adscribunt. *S. Cyprianus* (7) ait: « Tunc quidem (in lege mosaica) gladio occidebantur, quando adhuc et circumcisio carnalis manebat... nunc autem spirituali gladio superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia eiiciuntur. » *S. Basilius* (8) refert, peccatores magnorum reos criminum saepius admonitos fuisse, et addit, « postea, nisi acquiescebant et obtemperabant, excommunicatione feriebantur, quae sententia omnibus nuntiabatur, ut scirent, non admittendos esse ad ullam rerum ad vitam pertinentium societatem. » *S. Augustinus* (9) inquit: « Tunc quisque praeciditur (a corpore Ecclesiae), cum visibiliter excommunicatur: » et (10): « Alios Ecclesia invitat, alios excludit... Exclusi autem aut poenitendo redeunt, aut in nequitiam male liberi defluunt: » et (11) dicit: « Alligatur homo amarius et infelicius Ecclesiae clavibus, quam quibuslibet gravissimis et durissimis ferreis, vel adamantinis nexibus. »

3. Ecclesiam in omni tempore potestatem legislativam, iudiciariam, et coërcitivam exercuisse, historia testatur. Dummodo acta conciliorum tum generalium, tum particularium inspiciantur, fere ubique praeter fidei definitiones etiam leges disciplinares inveniuntur, ad exemplum concilii apostolici pro bono Ecclesiarum praescriptae. Noti sunt cuique canones poenitentiales, in poenam magnorum criminum statuti. Omnes autem tum Clerici, tum Laici ad Legum Ecclesiasticarum observantiam ita obligabantur, ut propter earundem transgressiones gravissimis poenis subiicerentur. — Ideo etiam Ecclesia semper iudicia instituit, et non solum dogmata fi-

(1) Cap. 44. (2) Cap. 57.
(3) Ad Smyrn. c. 8; ad Ephes. c. 2 etc.
(4) Ep. 55, al. 198.
(5) Orat. 19, n. 10, al. 9.
(6) Ep. 21, n. 4. (7) Ep. 62.
(8) Ep. 288, al. 246.
(9) L. de unit. Eccl. c. 20.
(10) L. de ver. Rel. c. 6.
(11) L. I, c. advers. Leg. et Proph. in verba Matth. 18. 17.

dei contra haereticos definivit, sed etiam de personis, aliisque causis ad forum ecclesiasticum pertinentibus inquisitiones suscepit, accusationes ac testes audivit, et tandem sententiam tulit; neque fidelibus unquam in mentem venit, talia iudicia ecclesiastica reprobare, quae potius, ut plurima monumenta ostendunt, priscis temporibus in maxima auctoritate habebantur.— Quis demum negabit, in Ecclesia semper morem viguisse, refractarios excommunicatione feriendi? — Teste *Eusebio* iam saeculo II Victor R. P. Episcopis Asiae minoris, circa celebrationem Paschatis dissentientibus, minatus est excommunicationem, a qua ferenda ipsum retinuit *S. Irenaeus*, rogans, « ne vellet ideo (ob rem disciplinarem) tot Ecclesias a corpore universae Christi Ecclesiae amputare. » Eandem excommunicationem minatus est *S. Basilius* (1) Paregorio presbytero, eoquod mulierem quandam a domo sua removere noluerit. Teste eodem Doctore (2) *S. Athanasius* Libyae ducem excommunicationi subiecit, et de hac sententia lata Episcopos certiores reddidit. Tantam autem poenam solummodo pro gravibus criminibus infligendam esse, ipsa Ecclesia censuit. Ideo in concilio *Aurelianensi*, anno 549 habito (3), dicitur: *Nullus Sacerdotum quemquam rectae fidei hominem pro parvis, et levibus causis a communione suspendat, praeter eas culpas, pro quibus antiqui Patres ab Ecclesia arceri iusserunt.* Excommunicatus autem ab omnibus vitandus erat; ideo in concilio *Carthaginensi* IV, anno 398 habito, dicitur: *Qui communicaverit, vel oraverit cum excommunicato sive Clericus, sive Laicus excommunicetur* (4). Haec, et innumera alia monumenta ostendunt, a primis Ecclesiae temporibus usque ad nos excommunicationes in usu fuisse. Ecclesia ergo semper triplicem potestatem Apostolis concessam exercuit, quia semper, ubique, et ab omnibus creditum est, imperium sacrum, a Christo institutum ab Apostolis ad eorundem successores, i. e. ad Episcopos transiisse.

Nota. Sicut Apostoli immediate a Christo, et independenter a populo sacrum imperium obtinuerunt, ita ut se Apostolos *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, et Deum Patrem* (5) omni iure profiterentur, ita Ecclesia semper potestatem suam immediate a Christo repetiit, et independenter a populo exercendam esse credidit. Quod si vero moveatur quaestio, an Episcopi *iurisdictionis* quoque potestatem, sicut potestatem ordinis, immediate a Christo per ordinationem, vel an proxime a Primate, tanquam fonte communi omnis iurisdictionis, accipiant, adstipulandum videtur illis, qui bene distinguentes potestatem in radice a potestatis exercitio, asserunt, potestatem iurisdictionis radicalem conferri per ordinationem, eiusdem vero exercitium, etiam quoad ipsum valorem, dependere a Primate, cuius est mittere pastores eisque assignare gregem (6).

De caetero, sicut finis Ecclesiae spiritualis est, sic etiam potestas eius circa spiritualia versatur, et per se ac directe ad temporalia non extenditur. Christus ipse, cui data est omnis potestas in coelo, et in terra, negotia temporalia declinavit, dicens: *Homo, quis me constituit iu-*

(1) Ep. 55, al. 198. (2) Ep. 71, al. 47.
(3) Cap. 2. (4) Cap. 75
(5) Gal. 1, 1.

(6) S. Thomas Summ. part. 2 2, quaest. 59, art. 3. — Conf. Thomasin de vet. et nov. Eccl. discipl. part. 2, l. 1, cap. 45, num. 5.

dicem, aut divisorem super vos (1)? et coram Pilato professus est: *Regnum meum non est de hoc mundo* (2). Apostoli autem eadem potestate a Christo missi sunt, qua Christus missus fuerat a Patre (3). Id autem non impedit, quominus Ecclesiarum Praesules aliunde potestatem circa temporalia acquirere, et iustissimo modo exercere possint. — Sed plura hac de re pertractantur in iure canonico, cuius praecipua tantum fundamenta in Theologia dogmatica generali exponuntur.

ARTICULUS III.

De Primatu Petri.

§. 251.

Cum ipsa ratio in unitatem tendat, et probe cognoscat, societatis ordinem perturbari, et bonum labefactari debere, si plures sint, qui aequaliter, et ab invicem independenter imperium teneant, ideo, sicut in corpore humano unum est caput, in familiis unus rector, i. e. paterfamilias, ita plerique cultiores populi in statu suo civili supremam potestatem uni tradiderunt, quem communiter regem appellarunt. Idem fere etiam in societatibus religiosis contigisse, historia testatur. — In lege mosaica a Deo ipso ordinatum fuit, ut filii Levi ministerio sacro fungerentur, soli vero filii Aaronis sacerdotes fierent, et ex his unus summus sacerdos, seu Pontifex maximus constitueretur. — Investigandum ergo sedulo est, an Christus Apostolis omnibus omnino aequalem potestatem concesserit, vel an uni ex ipsis potestatem eminentiorem, seu Primatum contulerit. Si autem revelationem inspiciamus, perspicuo videmus, *Christum Petro* eminentiorem, quam reliquis Apostolis, potestatem dedisse, ipsique non solum honoris et auctoritatis, sed etiam *iurisdictionis Primatum contulisse*. Haec summi momenti veritas ex utroque Revelationis fonte, *ex S. Scriptura*, et *ex Traditione* tam clare elucet, ut mirum sit, circa veritatem tam certam dissentientes inveniri posse (4).

Nota. Primatus in societate est praerogativa uni membro propria, et aliis non communis. Triplex secerni potest, nimirum 1. *primatus honoris*, si praeeminentiam circa actus honorificos, e. g. sessionem, vel praecedentiam importat, qualis senioribus in collegiis tribui solet; 2. *primatus auctoritatis*, si quis negotia societatis cum potestate directoria non praeceptoria ordinare potest, qualis viris vel praeclare meritis, vel maiori dexteritate conspicuis tribui solet; 3. *primatus iurisdictionis*, qui in praerogativa iurium et potestatis consistit, et reliquos non tantum suadendo, sed etiam iubendo ac puniendo cum obligatione compescere potest. — Petro non solum honoris et auctoritatis, sed etiam iurisdictionis primatum a Christo traditum fuisse, solidis iam argumentis probandum est.

§. 252.

A. Argumenta biblica.

S. Scriptura nos dubitare nullatenus sinit, Petro non solum honoris, sed etiam iurisdictionis Primatum vere a Christo collatum fuisse. Nam 1) Petro in Evangeliis *speciales praerogativae attribuuntur*, 2) Petrus *Ecclesiae fundamentum nuncupatur*, 3) Petro *claves regni coelorum traduntur*, 4) Petrus *agnorum et ovium pastor constituitur*, et 5) Petrus *ubique se ut Primatem*

(1) Luc. 12, 14. (2) Io. 18, 36. (3) Io. 20, 21.

(4) Cf. Stolberg Gesch. d. Rel. I. Chr. 10. Beilage Einleit.

ostendit. Haec vero omnia pro Petri Primatu solida argumenta praebent.

§. 253.

I. Petri praerogativae.

Petro saltem honoris primatum concessum fuisse, apparet ex praerogativis, quibus prae caeteris Apostolis insignitus legitur. Contigit iam in prima vocatione Petri, quod cum nullo alio Apostolo factum est. Cum enim ab Andrea, fratre suo, ad Christum adduceretur, nomen ipsius mutatum fuit. Christus enim sic ipsum affatus est: *Tu es Simon, filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* (1). Mutatio autem nominis, ab ipso Deo facta, semper singulare quid indicavit, ut *Abram* in *Abraham*, *Iacob* in *Israël* etc. Porro Petrus in catalogo Apostolorum semper primus nominatur, sic Matth. X, 2 ait: *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt haec: primus Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater eius* etc. (2). Imo frequenter Petrus solus nominatur, et reliqui Apostoli in globo: ita Marc. I, 36: *Simon, et qui cum illo erant*; Luc. VIII, 45: *Petrus, et qui cum illo erant*; Act. II, 14: *Stans Petrus cum undecim;* Act. V, 29: *Petrus et Apostoli dixerunt*. Nullatenus autem dici potest, quod ratione aetatis primo loco Petrus nominetur, quia Andreas frater ipsius cum alio discipulo prius iam ad Christum accesserat (3); — opus ergo est, ut alia ratio assignetur, cur Petrus inter Apostolos primo loco ponatur. Ratio autem peti non potest nisi a Christo, qui voluit, ut Petrus prae caeteris eminentiorem locum occupet. Praeterea, sicut in collegio ad propositas quaestiones dignior respondere solet, sic ad interrogationes, quas Christus Apostolis fecit, Petrus respondit: e. g. *Dixit Iesus ad duodecim: numquid et vos vultis abire? respondit ergo ei Simon Petrus: Ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes* (4): et interroganti Christo: *Vos autem, quem me esse dicitis? — respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, filius Dei vivi* (5). — Denique ipse Christus Petrum variis modis prae caeteris Apostolis distinxit. Sic in Capharnaum Christus pro se, et pro Petro tributum solvit (6), non vero pro reliquis, licet etiam adfuerint (7). Alibi Christus ascendens *navim, quae erat Simonis* (8), *docebat de navicula turbas:* postea per miraculum effecit, ut magna piscium multitudo caperetur; cum autem omnes, inter quos Iacobus et Ioannes nominantur, de mirabili captura stuperent, Christus ad solum Petrum dixit: *Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens* (9). Christus singulariter pro Petro oravit, ut ipsius fides non deficiat, eique praecepit, ut aliquando conversus confirmet fratres suos (10). Christus etiam post resurrectionem suam prae caeteris Apostolis Petro apparuit (11). Haec si omnia conferantur, clarissime ostendunt, Petrum in eminentiori gradu prae reliquis Apostolis a Christo constitutum fuisse. Licet autem exinde, stricte loquendo, tantum honoris primatus pro Petro probetur, via tamen nobis aperitur ad iurisdictionis primatum pro ipso evincendum.

(1) Io. 1, 42.
(2) Cf. Marc. 3, 13 etc. Luc. 6, 14 etc.
(3) Io. 1, 40. (4) Io. 6, 68 etc.

§. 254.

II. Petrus - Ecclesiae fundamentum.

Cum Petrus coram Apostolis Christi divinitatem professus fuerat, Christus ad eum dixit: *Beatus es Simon,*

(5) Matth. 16, 15 etc. (6) Matth. 17, 26.
(7) V. 18 etc. (8) Luc. 5, 3.
(9) Ib. v. 10. (10) Luc. 22, 32.
(11) Luc. 24, 34.

Bar Iona, quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam (1). Christus in his verbis Ecclesiam comparat aedificio, et huius fundamentum nominat Petrum. Quod ergo fundamentum est in caementitio aedificio, erit Petrus in aedificio spirituali, nempe in Ecclesia a Christo instituenda. Ast fundamentum illud est, cui omnia incumbunt, et quod totum aedificium sustentat et regit; ergo et Petrus ille erit ex Christi institutione, cui omnis in Ecclesia potestas, omnis legum vis tanquam firmo fundamento inniti debebunt. - Quod autem per *petram*, super quam Ecclesia aedificanda dicitur, non Christus, non Petri fides, et confessio, sed ipse Petrus intelligatur, probatur: a) *ex nativa verborum Christi significatione*, nam in textu originali, hebraico-syriaco, qua lingua in Iudaea tunc vulgari Christus utebatur, non legitur: *Tu es Petrus*, et *super hanc petram* etc. sed utraque vox in eodem genere, seu verius-eadem vox bis occurrit, ac si dicatur: *Tu es petra*, et *super hanc petram* etc. ubi pronomen *hanc* apertissime ostendit, per petram, super quam Ecclesia aedificanda dicitur, eandem petram intelligi, quam allocutus est Christus; allocutus est autem ipsum Petrum dicens: *ego dico tibi:* b) *ex contextu;* Petrus enim prae caeteris Apostolis Christi divinitatem professus fuit, et ideo specialem prae caeteris remunerationem promeruit, quam etiam Christus his verbis promittere voluit. Nulla autem remuneratio Petro facta fuisset, si per petram, seu per Ecclesiae fundamentum Christus, vel fides de Christi divinitate, quae omnibus Christianis inesse debet, intelligerentur. Ex hac ratione Hugo Grotius, Michaëlis, et alii Protestantes fassi sunt, per petram, super quam aedificatur Ecclesia, ipsum Petrum intelligendum esse: sic e. g. Michaëlis (2) dicit: « Quaenam connexio daretur inter hanc propositionem: *Tu es Petrus*, et sequentem: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, si petra illa non Petrus, sed Christus esset? quaenam remuneratio pro Petro, cui manifeste aliquid remuneratorii dicendum erat? Idem fere esset, ac si Imperator ad nobilem dixisset: Tu es nobilis, et hunc (indicando digito suo alium) faciam nobilem, bonaque nobilia ipsi addam, quae nemo ipsi abripiet: » c) *ex consensu SS. Patrum*, qui per petram, super quam aedificatur Ecclesia, ipsum Petrum intellexerunt. Sic *S. Cyprianus* (3) ait: « Petrum primum Dominus elegit, super quem aedificavit Ecclesiam suam. » *Origenes* (4) Petrum appellat « magnum Ecclesiae fundamentum, et petram solidissimam, super quam Christus fundavit Ecclesiam. » *S. Hilarius* (5) exclamat: « O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum, dignaque aedificationis illius petra, quae infernas leges dissolveret. » *Tertullianus* (6) inquit: « Latuit aliquid Petrum aedificandae Ecclesiae petram dictum?» — *S. Gregorius Naz.* (7) ait: « Vides, quemadmodum ex Christi discipulis magnis utique omnibus, et excelsis atque electione dignis hic (Petrus) petra vocetur, atque Ecclesiae fundamenta fidei suae credita habeat. » — *S. Gregorius Nyss.* (8)

(1) Matth. 16, 17 etc.
(2) Introduct. ad N. T. § 14.
(3) Ep. 71.
(4) Hom. 5 in Exod. n. 4.
(5) In Matth. cap. 16.
(6) L. de praescript. c. 22.
(7) Orat. 32, al. 26, n. 18, de moder. in disp.
(8) Serm. 2 de P. Steph.

dicit: « In Petro Dei Ecclesia solidatur, qui iuxta praerogativam sibi a Domino concessam firma, et solidissima petra est, super quam Salvator Ecclesiam aedificavit. » — *S. Ambrosius* (1) testatur, Christum Petro regnum dedisse, « quem cum Petram dicit, fundamentum Ecclesiae indicavit. » — *S. Hieronymus* (2) ait: « Ut Plato fuit princeps Philosophorum, ita Petrus Apostolorum fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est, quae nec impetu fluminis, nec ulla tempestate concutitur (3). »

Nota. Contra argumentum istud variae difficultates moveri solent, quas iam solvere oportet.

Obi. 1. Per petram, supra quam aedificatur Ecclesia non Petrus, sed Christus intelligitur, qui digito extenso se ipsum indicavit, cum diceret: *Super hanc petram* etc. Expresse id docet Paulus (4), scribens: *Petra autem erat Christus.* Idem Apostolus negat, aliud fundamentum admitti posse praeter Christum; nam (5) ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Ideo magno consensu etiam SS. Patres per petram, super quam aedificatur Ecclesia, Christum intelligunt, ut Hieronymus, Theodoretus, Beda, et alii. Imo Augustinus omnino negat, per petram intelligi posse Petrum; nam (6) dicit: « Non dictum est illi: *Tu es petra*, sed: *Tu es Petrus*, petra autem erat Christus ».

Resp. a) Per petram in loco citato non Petrum, sed solum Christum intelligere, est, ut ex probatis constat, contra omnes grammaticas et hermeneuticas regulas. Quod Christus digito extenso se indicaverit, nullibi legitur. Ideo Michaëlis (7) ait: « Inter petram, et petram distinguere, ac dicere, petram esse Christum, ipsumque, dum diceret: *et super hanc petram* etc. digito extenso se indicasse, est interpretatio horrendam indicans ignorantiam, et digitus maximo partium studio laborantis interpretis. » — b) Paulus (8) non loquitur de petra, super quam Christus Ecclesiam aedificavit, sed de petra ex qua ad percussionem Moysis in deserto aqua scaturiit, et quam Christi figuram appellat; ineptissime ergo verba Pauli ad exponenda verba Christi Matth. XVI adhibentur. c) Quod Paulus (9) dicit, Catholici nullatenus negant: Christus enim est, et manet semper Ecclesiae auctor, et summum caput, atque ideo iure primarium illius fundamentum dicitur, quod nemo mutare potest. Sed id Petri primatui nullo modo opponitur. Christus enim, qui est Ecclesiae auctor, et etiam post ascensionem in coelum manet illius summum caput, et fundamentum invisibile, voluit, ut adsit etiam caput, et fundamentum visibile, et hoc Petrum constituit, ut allatum argumentum probat. d) Neque aliter Patres intelligendi sunt, dum petram Christum esse dicunt. Solemne enim est Patribus, ut in S. Scripturae locis non negato, sed admisso sensu litterali alium quoque sublimiorem, seu mysticum quaerant. Ideo iidem Patres modo per petram Petrum intelligunt, uti loca citata probant, modo petram Christum dicunt, quia Christum ut fundamentum primarium, et invisibile, Petrum vero seu fundamentum secundarium, et visibile venerantur, quod omnem suam

(1) L. 4 de fide, c. 5, n. 56.
(2) Adv. Pelag. n. 14.
(3) Cf. Basilium in cap. 2 Isai., Chrysost. Hom. 2 in Ps. 50, Cyrill. Alex. l. 2 in Ioann. c. 12, Epiphan. Haer. 59, n. 7.
(4) I Cor. 10, 4.
(5) I Cor. 3, 11.
(6) L. I Retract. cap. 21.
(7) L. c.
(8) I Cor. 10, 4.
(9) I Cor. 3, 11.

firmitatem ab illo obtinet. *S. Augustinus* ex ignoratione linguae hebraico-syriacae aberravit, dum dicit: non dictum est ei: *Tu es petra*, sed *tu es Petrus*; nam in textu originali vere legitur: *Tu es Petra*. Non autem ita huic interpretationi inhaesit S. Doctor, ut obviam et litteralem excluderet; nam (1) scribit: « Petrus, qui paulo ante eum confessus fuerat filium Dei, et in illa confessione appellatus erat *petra*, super quam fabricaretur Ecclesia. » Et (2) ait: « Solus inter Apostolos meruit audire: Amen dico tibi: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*. Dignus certe, qui aedificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum. »

Obi. 2. Per petram, super quam aedificatur Ecclesia, intelligenda est Petri confessio, seu fides in Iesum Christum filium Dei vivi; haec est enim dogma fundamentale Religionis et Ecclesiae christianae. Ideo plerique patres per petram, super quam aedificatur Ecclesia fidem Petri intelligunt, ut Hilarius, Gregorius Nyss., Ambrosius, Chrysostomus, Cyrillus Alex., Leo, et alii.

Resp. Negari non potest, divinitatem Christi fundamentale dogma Religionis christianae omni iure appellari. Concedendum pariter est, Petrum ob confessionem divinitatis Christi laudatum et exaltatum esse. Sed aliud est, laudare confessionem, aut fidem, et aliud est laudare, et exaltare credentem, et confitentem. Christus certe indirecte laudavit fidem et confessionem, directe vero laudavit et exaltavit Petrum credentem et confitentem. Petrum enim allocutus est, dum dicit (3): *Beatus es, Simon Bar Iona!* et (4) *ego dico tibi:* etc. quamobrem per *petram* non fides, aut confessio in abstracto intelligi potest, sed ipse Petrus cum confessione, et ob confessionem intelligi debet. Per synecdochen tamen ipsa fides, seu confessio de divinitate Christi *petra*, seu fundamentum Ecclesiae dici potest, quoniam ob illam fidem et confessionem Petrus Ecclesiae caput, et fundamentum constitutus est. Sub hoc respectu SS. Patres per *petram* fidem et confessionem de divinitate Christi intellexerunt, non in abstracto, sed in concreto, i. e. in Petro credente et confitente. Frequenter SS. Patres hoc loco usi sunt contra Arianos, qui Christi divinitatem negarunt, et ita argumentati sunt: Fides et confessio de divinitate Christi ita necessaria est, ut etiam Petrus solummodo ob huius dogmatis fidem et confessionem in fundamentum Ecclesiae electus fuerit. Nullatenus ergo Primatum his verbis Petro promissum negant, quod confirmatur ex locis iam citatis, in quibus per petram ipsum Petrum intelligunt.

Obi. 3. Petrus Ecclesiae fundamentum ideo a Christo nominatur, quia ipse primus tum Iudaeis (5), tum Gentilibus (6) Christum annuntiaturus, et sic pro aedificanda Ecclesia fundamenta positurus erat.

Resp. a.) Si in hoc sensu Christus Petrum fundamentum appellasset, debuisset dicere: *per te*, i. e. per tuam praedicationem, per tuos labores, et non *super te aedificabo Ecclesiam meam;* in Evangelio autem legitur: *super hanc petram* etc. b) Aliud est fundare Ecclesiam, illam instituere, homines illi aggregare, et aliud est, Ecclesiae iam fundatae et institutae perenne fundamentum esse. Ecclesiam fundavit, seu instituit ipse Christus, qui pri-

(1) Enarr. in Ps. 69.
(2) In Serm. 29 de Sanct.
(3) Matth. 16, 17
(4) Ibid. v. 18.
(5) Act. 10.

mus Iudaeis praedicavit, et ex istis duodecim Apostolos, 72 discipulos, aliosque sibi coniunxit; ad docendas autem gentes omnes Apostoli mandatum acceperunt (1), quod post acceptum Spiritum S. omnes cum maxima diligentia executi sunt: imo *abundantius illis omnibus laboravit* Paulus (2). Ergo ratio sufficiens non adest, cur Petrus intuitu praedicationis singulariter Ecclesiae fundamentum dicatur. Necesse est ergo, ut admittatur, quod ipsa verba obvio sensu praeseferunt, Christum constituisse Petrum Ecclesiae a se pro omni tempore institutae, et nunquam deficientis, perenne fundamentum, i. e. necesse est, ut admittatur Primatus Petro collatus.

§. 255.

III. Petrus claviger regni coelorum.

Christus Petrum non solum Ecclesiae futurum fundamentum declaravit, sed in subsequentibus verbis alio modo ipsi supremam in Ecclesia potestatem promisit. Ait enim (3): *Et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Per regnum coelorum Christus intelligit Ecclesiam a se in terris institutam, quod apparet ex plurimis locis parallelis (4). Neque in isto loco de coelo, seu de sede beatitudinis sermo esse potest, quia cum regno coelorum coniungitur potestas ligandi et solvendi, quae in sede beatitudinis non exercetur. Christus ergo claves Ecclesiae militantis Petro promittit: per istas autem claves suprema rectoria potestas in Ecclesia, seu primatus iurisdictionis intelligitur, quod probatur a) *ex more loquendi Iudaeorum*, apud quos primarius domus, aut civitatis rector-domus, aut civitatis claves gerere dicebatur, et sicut apud alias gentes per traditionem clavium traditio supremae potestatis intelligebatur. Si ergo Christus Ecclesiae, quam aedificio, seu domui (5), comparaverat, claves Petro promisit, primariam regendae et gubernandae Ecclesiae potestatem ei pollicitus est: b) *ex locis parallelis*, in quibus suprema potestas per *claves* exprimitur, uti (6) futura Eliachimi in summum sacerdotem promotio sic praenuntiatur: *Dabo clavem domus David super humerum eius, et aperiet, et non erit qui claudat, et claudet, et non erit qui aperiat.* Eodem modo (7) exprimitur suprema Christi potestas: *Haec dicit sanctus, et verus, qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit, et claudit, et nemo aperit.* Quis ergo negabit, etiam in verbis Christi per claves regni coelorum supremam in Ecclesia potestatem intelligendam esse? Id etiam confirmari potest c) *ex contextu*, ex quo apparet, Petro remunerationis gratia singulare quid prae caeteris Apostolis dicendum fuisse. Si Christus hic Petro non singularem potestatem concessit talis sensus prodiret: Simon! quia prae caeteris Apostolis meam confessus es divinitatem, ideo dabo tibi communem cum reliquis potestatem. Cum autem iste sensus omnino absonus sit, necesse est ut fateamur, Petro his verbis eminentiorem potestatem promissam fuisse. Ideo per claves regni coelorum tota antiquitas Primatum in Ecclesia institutum, et Petro collatum intellexit.

Nota. Vim huius argumenti vario modo adversarii enervare tentant, sed irritu conatu.

(1) Matth. 28, 19. (2) I Cor. 15, 10.
(3) Matth. 16, 19.
(4) Matth. 4, 17; 13, 24; 25, 1 etc.
(5) V. praec. (6) Isa. 22.
(7) Apoc. 3, 7.

Obi. 1. Per potestatem clavium, cum qua potestas ligandi et solvendi coniungitur, non intelligitur, nisi facultas homines in Ecclesiam recipiendi, et ab illa excludendi, vel potestas declarandi licita et illicita.

Resp. a) Si Christus Petro solam potestatem, homines in Ecclesiam recipiendi, vel ab illa excludendi dedisset, debuisset dicere: *quoscunque ligaveris* etc. ast non dixit *quoscunque*, sed *quaecunque ligaveris* etc. b) per potestatem ligandi et solvendi non solam facultatem docendi, licita et illicita declarandi, sed potestatem legislativam intelligi, iam alibi (§ 245) probatum est, multoque magis iste sensus in verbis Petro dictis admittendus est, quia potestas ligandi et solvendi cum potestate clavium coniungitur, et ex hac quasi corollarium deducitur. c) Christus alibi omnibus Apostolis simul concedit potestatem homines in Ecclesiam recipiendi (1), et ab illa excludendi (2), uti etiam facultatem docendi, licita et illicita declarandi (3). Si ergo non singulare quid Petro ob confessionem remunerando traditum sit, iterum absonus sensus prodit, Petro potestatem promissam esse, quam cum reliquis Apostolis et ipse accepturus erat.

Obi. 2. Si in locis (4) citatis primatus Petro promissus probaretur, haud orta subinde esset inter Apostolos *contentio, quis eorum videretur esse maior* (5), et Christus ad compescendam eiusmodi contentionem respondisset, litem iam diremtam esse ex promissione principatus Petro facta. Christus autem omnino aliter respondit dicens: *Reges gentium dominantur eorum, — vos autem non sic; sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator* (6), quibus verbis Christus prohibet primatum.

Resp. a) Quando contentio inter Apostolos enata est, primatus equidem promissus, sed nondum collatus fuit; id enim post Christi resurrectionem factum esse, sequens argumentum probabit. Contentio ergo enasci potuit, quis tunc temporis maior esset. b) Apostoli ante adventum Spiritus S. valde rudes erant, et multa, quae Christus dixit, non intellexerunt. Mirum ergo non est, ipsos, cum ageretur de promissione in futurum adimplenda, et sub figurata locutione facta, eius vim assecutos non esse: certe tamen aliquid de futuro Petri primatu suspicati fuerunt; ideo enim inter illos contentionem exortam esse, dicunt Origenes, Chrysostomus et Hieronymus (7). c) In Christi vero responsione negatio, aut prohibitio primatus nullatenus continetur. Christus enim solummodo interdicit dominationem more Gentium cum fastu et arrogantia gestam, non autem dominationem, quae cum humilitate et caritate exercetur. Imo Christus pro illo, qui potestate maior futurus erat, regulam praescribit, dicens: *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator;* imo se ipsum ceu exemplar proponit dicens: *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat* (8). Ad quid autem regulam praescripsisset pro primate, si nullus unquam futurus fuisset? certe ergo primatus his verbis non negatur, sed adstruitur.

Obi. 3. Inepte ex capite XVI Matth. pro Petro primatus vindicatur, in quo v. 23 legitur, quod Christus conversus dixit Petro: *Vade post me, Satana! scandalum es mihi* etc. Qua ratione ille potest dici Ecclesiae

(1) Matth. 28, 19. (2) Matth. 18, 17.
(3) Matth. 28, 19 et 20. (4) Matth. 16.
(5) Luc. 22, 24. (6) Ib. v. 25 etc.
(7) In Matth. 18. (8) V. 27

fundamentum, Primas, et Rector, qui a Christo vocatur Satanas et scandalum?

Resp. a) Catholici ob honorifica non negant ignominiosa, eidem Petro in eodem capite dicta; ergo etiam adversarii ob ignominiosa nequeunt negare honorifica, in favorem Petri a Christo prolata. b) *Satanas* etymologice non significat, nisi adversarium, qui se alteri opponit: tale autem nomen Petrus merebatur, quia cum amoris affectu abreptus Christum a passione subeunda retinere studeret, divinae providentiae et caritatis consiliis adversabatur. Ex eadem ratione *scandalum* dicitur, quia Christum ab adimplenda voluntate Patris dissuadere tentavit. Quomodocunque autem Petrus hac in re aberraverit, non ideo negari possunt praerogativae Petro concessae, sed magis caritatem et clementiam Christi admirari decet, qui sicut non venit vocare iustos, sed peccatores, ita etiam eum in primatem Ecclesiae suae eligere voluit, qui non solum se adversarium exhibuit et scandalum posuit, sed nefario modo ter ipsum negavit.

§. 256.

IV. Petrus agnorum et ovium Pastor.

Christus post resurrectionem suam Petro primatum promissum actu contulit. Christus enim (1) ter Petrum interrogavit: *Simon Ioannis diligis me plus his?* et cum Petrus ter id affirmaret, Christus ad eum dixit: *Pasce agnos meos.....pasce oves meas.* His verbis Petro primatum collatum fuisse, facile probatur. Nam a) haec verba ad solum Petrum spectant. Evangelista enim scribit: *Dicit Simoni Petro Iesus*, et Christus ter ipsum designat nomine proprio, et patris: *Simon Ioannis!* ac praeterea interrogando excludit caeteros dicens: *diligis me plus his?* ideoque ipse Petrus proprio, et non aliorum nomine respondit: *Tu scis, Domine, quia amo te;* unde etiam verba Christi: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, ceu remuneratoria pro maximo amore, soli Petro dicta sunt. — — b) Per munus autem pascendi ipsa potestas regendi insinuatur. Ad pastoris enim officium pertinet non solum gregi cibum praebere, sed etiam ipsum ducere, reducere, tueri, regere, corrigere etc. Ergo qui in societate religiosa, i. e. in Ecclesia pastor constituitur, debet non solum docere, seu pabulum doctrinae praebere, sed etiam gregem per adaequatas leges dirigere, a deviis arcere, lupos repellere, aberrantes corrigere etc., i. e. *potest, et debet fideles regere.* Id confirmatur ex locis parallelis, in quibus *Pastor, pascere* etc. idem est ac *Rex, regere.* Sic (2) Regibus officium suum non adimplentibus acclamatur: *Vae pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: nonne greges a Pastoribus pascuntur?* — Davidis in Regem electio sic ipsi a Deo praenuntiatur (3): *Tu pasces populum meum Israël, et tu eris dux super Israël.* Ad regem Cyrum, cuius potestate Deus usus est ad consilia sua perficienda, dicit omnipotens: *Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis* (4). Iure ergo dicitur in munere pascendi potestatem regendi Petro traditam esse. c) Pascere autem Petrus debet *agnos et oves*, i. e. omnes omnino fideles. Universalis enim Ecclesia Christi comparatur *ovili* (5), in ovili autem non sunt nisi oves, quae generant, et agni, qui generantur; omnes ergo fideles sunt vel oves Christi, vel agni; per agnos significatur populus, per oves pastores. Hoc modo iam SS.

(1) Io. 21, 15 etc. (2) Ezech. 34, 2. (3) II Reg. 5, 2. (4) Is. 44, 28. (5) Io. 10, 16

Patres verba Christi intellexerunt. Egregie in rem loquitur *Eucherius Lugdunensis* (1): « Prius, ait, agnos, deinde oves commisit ei (Petro), quia non solum Pastorem, sed pastorum Pastorem eum constituit: pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves: pascit filios, pascit et matres; regit et subditos et praelatos: omnium igitur pastor est, quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est. » Et *S. Bernardus* (2) ait: « Cui, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves? *Si me amas*, Petre! *pasce oves meas:* quas? Illius, vel illius populos civitatis, aut regni? *Oves meas*, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil (3) ». Dum ergo Petrus agnorum et ovium pastor constitutus est, summam universalem Ecclesiam regendi potestatem, seu primatum iurisdictionis a Christo obtinuit.

Nota. Quae conclusioni isti opponi solent, ad sequentia potissimum revocantur.

Obi. 1. Per *oves*, quas pascendas Christus Petro commisit, intelliguntur Iudaei, quia etiam Christus (4), se ad *oves*, *quae perierunt*, *domus Israël* missum dicit, quia praeceptum de docendis gentibus omnibus Apostolis datur, et quia Paulus (5) expresse dicit, sibi inter gentes, et Petro inter Iudaeos apostolatum creditum esse.

Resp. a) Dum Christus se ad salvandos Iudaeos missum dicit, hos appellat *oves domus Israël*, sed id non apponit, dum Petro oves pascendas tradit, sed in genere dicit: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Christus autem dicendo, se in salutem Iudaeorum missum esse, non negat, se etiam in salutem gentium venisse, quam omnibus in ipsum credentibus pollicetur (6). Imo Christus expresse dicit (7), se praeter Iudaeos et *alias oves* habere, nimirum gentes, et has quoque in unum ovile colligere velle. Si ergo Christus dicit: *pasce oves meas*, omnes - ex Iudaeis et ex Gentibus in unum ovile collectas intelligit. b) Praeceptum docendi, seu Evangelium praedicandi Christus omnibus Apostolis dedit, inter quos tum etiam Petrus adfuit, supremam autem omnes, qui edocti, et baptizati sunt, regendi potestatem soli Petro concessit. c) Paulus (8) non de potestate rectoria, sed de praedicatione Evangelii, et de hac nonnisi relative loquitur. Apostoli enim, licet potestate omnes gentes docendi instructi, tamen pro maiori christianae fidei progressu orbem Evangelio imbuendum inter se distribuerunt. Et sic Petrus ab initio praecipue pro Iudaeis, et Paulus praecipue pro Gentibus destinatus erat Nihilominus Paulus etiam Iudaeis, e. g. Beroeensibus, Galatis etc. praedicavit, et ad Hebraeos epistolam direxit; et Petrus, licet ab initio Iudaeis Evangelium praedicasset, tamen non Hierosolymis, non apud Iudaeos, sed inter Gentes primo Antiochiae, et dein Romae, sedem suam episcopalem collocavit (9).

Obi. 2. Christus, dum Petro dixit: *Pasce agnos meos*, *pasce oves meas*, non contulit ipsi *potestatem*, sed *admonitionem* dedit, perinde ac si dixisset: Si tu, Simon, diligis me plus his, id ostende diligenter curando gregem meum. Hoc modo S. Chrysostomus (10) praedicta verba exponit.

(1) Serm. de Natal. Petri et Pauli.
(2) L. 2 de consid. c. 8.
(3) Cf. Origen. in cap. 6 Epist. Roman., Ambros. l. 10 in Luc. ad cap. 24, Leo M. Serm. 5 de assumt. sua, Gregor. M. l. 4, Epist. 32.
(4) Matth. 15, 24. (5) Gal. 2, 8.
(6) Io. 3, 16 etc. (7) Io. 10, 16. (8) L. c.
(9) V. Dobmayr. t. 4, §. 149, pag. 75.
(10) Hom. 88 in Io., n. 3.

Resp. Non inepte dicitur, in verbis Christi admonitionem Petro factam contineri: sed cum admonitione facta etiam potestas collata coniungenda est; neque enim Petrus admoneri potuisset, ut pro eximio amore pascat, seu regat, nisi ob eximium amorem potestatem pascendi et regendi obtinuisset. Ideo *S. Chrysostomus* (1) non solum admonitionem Petro factam, sed et potestatem eidem collatam agnoscit; ait enim: « Et cur aliis (Apostolis) praetermissis, de his hunc (Petrum) alloquitur? — Eximius erat inter Apostolos, os discipulorum, et coetus illius caput. Ideo Paulus prae aliis hunc visurus venit. Simul ostendens ei, oportere deinceps fidere, quasi abolita negatione, fratrum ei praefecturam committit... Dicit autem: Si amas me, fratrum praefecturam suscipe. » Et paulo post docet, « Petrum non throni huius (Hierosolymitani), sed totius orbis doctorem a Christo statutum fuisse (2). »

Obi. 3. Apostoli omnes aequalem cum Petro potestatem acceperunt. Ad omnes enim dixit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* omnes dicuntur *fundamentum*, super quod fideles Ecclesiam constituentes superaedificati sunt (3); omnes potestatem *docendi* (4), *ligandi et solvendi* (5) etc. a Christo obtinuerunt, omnes demum *pascere* et possunt et debent, scribente Petro: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei* (6). Petrus ergo eminentiorem potestatem nullatenus accepit.

Resp. a) Quando Christus in locis citatis omnibus Apostolis simul potestatem contulit, etiam Petrus adfuit, atque ideo tunc communem cum reliquis potestatem accepit. Sed Petrum Christus etiam singulariter allocutus est: nulli enim alii Apostolorum dixit: *Tu es petra* etc., nulli alii dixit: *Tibi dabo claves regni coelorum*, nulli alii dixit: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Sicut ergo Petrus, cum Christus generaliter loqueretur, communem cum reliquis Apostolis potestatem obtinuit, ita, cum singulariter ad ipsum loqueretur, singularem quoque potestatem obtinuit: alias, ut vidimus, absonum sensum verba Christi praeseferrent. b) Dum Catholici Petri primatum defendunt, non ideo negant potestatem aliis Apostolis concessam. Omnibus sane Apostolis sacrum imperium traditum est (Art. I), sed ita ut in illo exercendo subsint Petro, ceu unitatis centro, a Christo constituto. Ideo iure Apostoli dici possunt fundamentum, super quod fideles, qui Ecclesiam constituunt, aedificati sunt: sicut enim Petrus est fundamentum visibile primarium, sic reliqui Apostoli sunt fundamentum visibile secundarium; ipsi enim cum Petro et sub Petro constituunt tum magisterium authenticum, tum imperium sacrum. c) Varia potestas a Christo Apostolis concessa fuit, potestas docendi, seu Evangelia praedicandi, potestas leges ferendi, iudicandi et coërcendi, quae dicitur *potestas iurisdictionis*, et potestas Sacramenta administrandi, sacrificium offerendi etc. Iam - quoad potestatem iurisdictionis Christus non omnibus aequalem, sed Petro eminentiorem potestatem dedit, in qua eius Primatus consistit; sed quoad munus docendi et quoad potestatem ordinis omnibus parem (licet in exercitio non independentem) potestatem dedit.

(1) L. c. (2) Perrone t. 8 (3) Gal. 2, 20. (4) Matth. 28. (6) I Petr. 5, 2.

§. 257.

V. Petrus primatum exercens.

Post Christi in coelum ascensionem Petrus statim se ut Primatem

gessit. Nam: *Exurgens Petrus in medio fratrum electionem* (1) novi pro Iuda Apostoli iuxta prophetarum oracula indixit. — Post adventum Spiritus S. *stans Petrus cum undecim levavit vocem suam* (2), Christum annuntiavit, et credentes baptizari iussit. — Post patratum insigne miraculum ad populum (3),— et repletus Spiritu S. ad principes populi et seniores gravem sermonem habet (4). — Petrus Ananiam et Saphiram gravissime reprehendit et punit, quia nefariam fraudem commiserant (5). — Petrus Simonem magum, qui per pecuniam sacram Apostolorum potestatem sibi comparare voluit, iudicat, redarguit et damnat (6). — Petrus universos coetus in Iudaea, Galilaea et Samaria pertransit (7) tanquam imperator, uti *S. Chrysostomus* (8) observat, suas copias recensens. Habita visione comperit, etiam Gentiles ad fidem christianam admittendos esse, et ideo ipse Cornelium cum aliis Gentilibus Ecclesiae associat (9). Dum ab Herode Petrus in carcere detinetur, *oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo* (10). In concilio Hierosolymitano surgens Petrus sermonem habet, pertractanda proponit, et primus sententiam suam edicit (11). — Haec omnia ostendunt, Petrum semper ut primatem se gessisse, et cum prioribus argumentis coniuncta non parum conferunt ad eminentiorem Petri potestatem confirmandam. — Imo licet Apostoli antea circa primatum contentiones habuerint, attamen nec verbum legitur, quod post Spiritus S. adventum Petrum ob praedictum modum agendi reprehenderint, sed potius constat, quod eum in maximo honore habuerint. Sic Paulus Hierosolymam venit, ut videret Petrum, apud quem diebus quindecim mansit (12). Imo secunda vice ascendit Hierosolymam, et contulit cum illis (Petro et Apostolis) Evangelium, quod praedicavit in Gentibus — — ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset (13); et inferius addit: *Cum cognovissent gratiam, quae data est mihi, Iacobus, et Cephas, et Ioannes, qui videbantur columnae esse, dexteras dederunt mihi et Barnabae societatis; ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem; tantum ut pauperum memores essemus* etc. (14). Cephas ergo, seu Petrus cum Iacobo et Ioanne Pauli praedicationem approbavit, adiuvit, locum pro ea determinavit, et mandatum de pauperibus adiecit (15).

Nota. Ex iisdem S. Litteris adversarii talia proferunt, quae primatui adversari videntur, atque ideo declaratione indigent.

Obi. 1. Act. VIII legitur, Apostolos misisse Petrum et Ioannem Samariam; quae agendi ratio Petrum potius inferiorem, quam superiorem ostendit.

Resp. Petrus cum Ioanne missus est Samariam ab aliis Apostolis non missione auctoritatis, ut inferior, sed missione consilii, suasionis ac precis, ut caput et primas. Scilicet eadem ratione missus est Samariam, qua Phinees et Principes tribuum missi sunt ab Israëlitis (16), et Antiochiae fideles miserunt Paulum et Barnabam ad consulendos Apostolos (17). Quia nimirum Samaritani in summo versabantur discrimine ob Simonis magi praestigias, idcirco Samariam missi sunt praecipui inter Apostolos ad detegenda Simonis incantamenta, atque ad impediendam Samaritanorum seductionem.

(1) Act. 1, 15. (2) Act. 2, 14. (3) Act. 3.
(4) Act. 4, 8 etc. (5) Act. 5. (6) Act. 8.
(7) Act. 9, 32. (8) Hom. 21 in Act.
(9) Act. 10. (10) Act. 12
(12) Gal. 1, 18. (13) Gal. 2, 2.
(14) Ibid. v. 9 et 10.
(15) Dobmayr l. c. t. 15, 2. (16) Ios. 22, 13 etc.

Obi. 2. In loco citato (1) Iacobus primo loco ponitur, et Petrus secundo; ergo Paulus Petrum Iacobo inferiorem, aut saltem ipso non superiorem iudicavit.

Resp. a) Paulus non ordinem dignitatis ac eminentiae tenuit, sed ordinem cognitionis, quatenus scilicet, cum Apostolus Hierosolymam petiit, invenit omnium primum Iacobum, quia Petrus absens erat; adeoque Iacobus prius cognovit gratiam Dei, quae data erat Paulo. b) Ostendit Mamachius in antiquis codicibus, quibus usi sunt Chrysost., Ambros., Augustin., Hieron. etc. Petrum primo loco poni. Idem de veteri Itala asserit Sabathier, et de versione Alexandrina Hugo Grotius (2).

Obi. 3. Paulus Antiochiae Petro *in faciem restitit, quia reprehensibilis erat* (3). Ergo Paulus auctoritatem primatus in Petro non agnovit.

Resp. a) Inter eruditos multi contendunt, *Cepham* reprehensum a Paulo alium fuisse a Petro. Sed non opus est, ut id propugnetur. Nam b) haec reprehensio Petri nihil aliud probat, quam quod inferiores subinde possint cum sancta libertate superiores redarguere, modo id res postulet, et debita reverentia conservetur. *S. Cyprianus* ideo Petri humilitatem laudat, quod a Paulo reprehensus non dixerit, se primatum tenere, et sibi potius obtemperare a novellis et posteris oportere (4). Et S. Augustinus (5) scribit: « Petrus, quod a Paulo fiebat utiliter libertate caritatis sanctae ac benignae, pietate humilitatis accepit. » — Eodem modo ex eo, quod Petrus (6) accusatus a fratribus, quod ingressus sit ad Gentes, causam suam defenderit, et se coram omnibus purgaverit, prout etiam ex eo, quod (7) Ecclesiae pastores ceu collegas suos allocutus sit, nil sequitur, nisi quod Petrus primatum iuxta praescriptam humilitatis normam gesserit.

(1) Gal. 2, 9. (2) In h. l.
(3) Gal. 2, 11. (4) Ep. ad Quintum.
(5) Ep. 82 ad Hieron (6) Act. 11.
(7) I Petr. 5, 1. (8) Ep. 14.
(9) L. de un. Eccl. (10) In Scorp. c. 10.

§. 258.

B. Argumentum ex Traditione.

Semper, ubique, et ab omnibus creditum esse, Petrum a Christo eminentiorem inter Apostolos potestatem, seu primatum accepisse, ex unanimi SS. Patrum consensu abunde constat. Varia iam ipsorum testimonia ad confirmanda argumenta biblica inserta fuerunt, alia hic loci proponenda sunt. *S. Cyprianus* (8) ait: « Primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur, » et idem repetit (9). *Tertullianus* (10) dicit: « Si adhuc clausum putas coelum, memento claves eius Dominum Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse. » *Origenes* (11) loquens de Petro, quaerit, « Quis esset altior Apostolorum illo, qui est et dicitur vertex eorum? » — *S. Hilarius Pict.* (12) inquit: « Petrus primus credidit, et Apostolatus est Princeps. » — *Eusebius Caes.* (13) nominat Petrum « fortissimum et maximum inter Apostolos, et virtutis merito reliquorum omnium principem ac patronum. » *S. Cyrillus Hier.* (14) nuncupat Petrum « Apostolorum summum, et Principem, ac regni coelestis clavigerum. » *S. Basilius* (15) inquit: « Beatus Petrus omnibus discipulis praelatus fuit, cui soli maiora data sunt quam aliis testimonia, qui praedicatus est beatus, cui claves regni coelorum concreditae sunt. » — *S. Gregorius Naz.* (16) Petrum appellat

(11) In divers. Evang. Hom. 2.
(12) In Matth. 6.
(13) Hist. eccl. l. 2, c. 14.
(14) Catech. 2, 7 et 18.
(15) Prooem. de iudic. Dei.
(16) Carm. de seipso et adv. Epise.

« Principem Apostolorum » ac « Ecclesiae Columen. » *S. Gregorius Nyss.* (1) ait: « Celebratur Petri memoria, qui Apostolorum est caput, et una cum ipso caetera Ecclesiae membra glorificantur. » *S. Optatus Milev.* (2) scribit: « Cathedra una est, — ubi sedit omnium Apostolorum caput, Petrus, — in quo uno cathedrae unitas servaretur. » *S. Ambrosius* (3) ait: « Petrum interrogat Dominus: Diligis me? non ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus in coelum amoris sui nobis velut Vicarium relinquebat, » et... « ideo, quia solus profitetur, ex omnibus omnibus antefertur: » et (4) scribit: « Prior Andreas secutus est Salvatorem, sed Primatum non accepit, sed Petrus. » *S. Epiphanius* (5) dicit: « Hoc testatur princeps Apostolorum (Petrus), quem Dominus constituit primum Apostolorum... cui concreditum est ovile: » et (6): « Petrum elegit, ut dux esset discipulorum. » *S. Chrysostomus* (7) ait: « Christus Petro fratrum praefecturam commisit... et Petrus totius orbis magister a Christo statutus est: » — et (8) inquit: « Petrus sic abluit illam negationem, ut etiam primus Apostolorum fuerit factus, eique totus terrarum orbis commissus fuerit. » Aliis in locis Petrum nominat « Chori apostolici principem, os ac verticem discipulorum, Ecclesiae pastorem et caput, columnam Ecclesiae, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscatorem (9). » *S. Hieronymus* rationem affert, cur Petrus primatum obtinuerit, dicens (10): « Ideo inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio. » — *S. Augustinus* (11) ait: « In scripturis sanctis didicimus Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum excellenti ratione praeeminet: » — idem (12) addit: « Quis nescit, illum Principatum Apostolatus Petri cuilibet Episcopatui praeferendum esse? » — et (13) ait: « Ideo beatum Petrum paullulum Dominus deseruit, ut Ecclesiae rectori futuro ignoscendi peccantibus quaedam regula poneretur. » *S. Leo M.* (14) dicit: « De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur, ut, quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. » — Plura similia loca collata inveniuntur apud Mamachium (15).

Nota 1. Sancti Patres, licet consentiant in primatu Petri asserendo, non tamen eandem rationem assignant, ob quam prae caeteris Apostolis Petrus in primatem electus fuit. Nonnulli putant, id factum fuisse ob eius confessionem de divinitate Christi, alii id adscribunt eius zelo et dilectioni erga Christum, alii autumant, Petrum caeteris Apostolis natu maiorem, vel primum inter reliquos ad Apostolatum vocatum fuisse. Haec autem solummodo de causa motrice intelligunt, quae Christum impulerit, ut Petrum prae caeteris Apostolis in primatem eligeret. Omnino vero consentiunt de ipso primatu et de eiusdem causa finali; omnes enim unanimes sunt

(1) Serm. 2 de Steph. (2) L. 2 c. Parmen.
(3) In Luc. l. 10, n. 175. (4) In I Cor. 12.
(5) In Ancor. post init. (6) Haer. 51.
(7) Hom. 88 in Ioann.
(8) Orat. 8 adv. Iudaeos.
(9) Hom. de 10000 talent. Cf. Hom. 57 in Matth. Hom. 3 in Act. Hom. 57 in Ioan.
(10) L. 1 c. Iovin. (11) L. 2 de bapt.
(12) Ibidem. (13) Enarr. in Ps. 108.
(14) Serm. 3 de Assumt. sua.
(15) Tom. I et in opere: Was glaubte von jeher die katholische — namentlich die französische Kirche vom Bischofe zu Rom? — Augsb. b. P. P. Bolling 1812.

in adstruenda unitate Ecclesiae veluti motivo, cur Christus ad illum instituendum permotus sit.

Nota 2. Argumento, quod pro Petri primatu adducimus ex Traditione, varia obiiciunt Protestantes, quae breviter saltem refellere oportet.

Obi. 1. Tantum abest, ut Patres Petro primatum iurisdictionis adiudicaverint, ut potius frequentissime contestentur, omnes Apostolos parem, seu aequalem habuisse potestatem. Ita *S. Cyprianus* (1) cum dixisset, Christum post resurrectionem Apostolis omnibus parem potestatem tribuisse, inde infert: « Hoc erant utique Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis. » *S. Ambrosius* (2) inquit: « Hic Petrus, ubi audivit, vos autem, quid me dicitis? statim loci non immemor sui primatum egit: primatum confessionis utique, non honoris, primatum fidei, non ordinis; » et (3) ait: « Denique audi dicentem: *Tibi dabo claves....* quod Petro dicitur, ceteris Apostolis dicitur. » *S. Hieronymus* (4) scribit: « Ioannes et Iacobus, quia plus ceteris petierunt, non impetraverunt; et tamen non est eorum dignitas imminuta, quia reliquis Apostolis aequales fuerunt. » *S. Cyrillus Alex.* (5), dicit: « Petrum et Ioannem fuisse pares in honore ac dignitate. » *S. Isidorus Hisp.* (6) haec habet: « Ceteri Apostoli cum Petro par consortium honoris et potestatis acceperunt. » Ergo SS. Patres nullam potestatis, seu iurisdictionis praerogativam in Petro agnoscunt.

Resp. SS. Patres in locis citatis tantum asserunt, pares fuisse Apostolos in auctoritate apostolica, quia omnes a Christo vocati et missi sunt, omnes ex aequo munus apostolicum acceperunt, omnes amplitudinem potestatis apostolicae habuerunt, per quam ubique Christum annuntiare, Ecclesias fundare, Sacramenta ministrare, Spiritum S. dare, et alia omnia exercere poterant, quae ad publicum Ecclesiae regimen necessaria erant. Sed ideo nullatenus negant, Petro soli a Christo primatum concessum fuisse, quem alibi claris verbis profitentur. — Id luculentius patet, si loca nobis obiecta accuratius explanantur. *S. Cyprianus* loquitur de potestate peccata remittendi et retinendi, quam Christus ex aequo omnibus Apostolis tradidit, et ibidem perspicuis verbis profitetur primatum; ait enim: « Quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat: *Accipite Spiritum S.* etc., tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti, et honoris et potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur ». — *S. Ambrosius* in priori loco nobis non adversatur, qui etiam profitemur, Petrum non ut Primatem Christi divinitatem confessum esse, quia solummodo propter hanc confessionem primatus iurisdictionis ipsi promissus fuit. In posteriori loco S. Doctor loquitur de potestate remittendi peccata, omnibus Apostolis ex aequo concessa; contendit enim contra Novatianos, potestatem, quam exercet Ecclesia in remittendis peccatis, non esse usurpatam, sed ei a Christo collatam tum in Petro, tum in reliquis Apostolis. — *S. Hieronymus* de Apostolis in genere loquitur, et id tantum observat, Ioannem et Iacobum

(1) L. de unit. eccl. (2) L. de incarnat. c. 4.
(3) In Ps. 38. (4) Adv. Iovin.
(5) In Epist. ad Nestorium.
(6) Lib. 2 de offic. c. 5.

non obtinuisse primatum, quem exquisiverunt, sed dignitatem apostolicam, quam reliquis Apostolis aequalem habebant, non fuisse imminutam. *S. Cyrillus Alex.* nihil aliud dicit, quam Petrum et Ioannem in apostolica dignitate, in amore erga Christum, et in zelo pro animarum salute aequales fuisse, quod patet ex verbis immediate sequentibus: « Propter quod et Apostoli, et sancti discipuli esse monstrantur: » non autem ideo negatur Primatus, quem S. Pater alioqui profitetur, dum (1) Petrum « discipulorum omnium principem, » et (2) « Apostolorum apicem » nominat. — Verba *S. Isidori Hisp.* desumta sunt ex S. Cypriano, et ideo in eodem sensu de potestate remittendi peccata intelligenda. Ceterum S. Isidorum Petri primatum agnovisse, patet ex verbis immediate praecedentibus: « In N. T. post Christum sacerdotalis ordo a Petro coepit. Ipsi enim primum datus est pontificatus in Ecclesia Christi; sic enim loquitur ad eum Dominus: *Tu es Petrus* etc. »

Obi. 2. SS. Patres passim docent, Christum illa verba: *Tibi dabo claves regni coelorum*, ad totam Ecclesiam, et non ad solum Petrum direxisse. Nam *S. Ambrosius* (3) iam citatus fuit. *S. Hieronymus* (4) dicit, «omnes Apostolos claves Regni coelorum accepisse. » *S. Augustinus* (5) ait: « Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit. » Idem S. Doctor (6) inquit: « Cum Petro dicitur, ad omnes dicitur: *Amas me? pasce oves meas.* » Ergo iuxta SS. Patres singularem, seu eminentiorem potestatem Petrus non accepit.

Resp. Verba Christi tam clara sunt, ut ad totam Ecclesiam detorqueri nequeant. *Et ego dico tibi*, non Ecclesiae, sed tibi Bar-Ionae: *et tibi dabo claves*, non alteri, sed tibi. Imo cum per regnum coelorum Ecclesia intelligatur, absonum est, ita verba Christi interpretari: tibi, Ecclesia, dabo claves Ecclesiae. Quis autem dicet, doctissimos Patres tam absone verba Christi exposuisse, et primatum Petri negasse, quem alibi clare profitentur? aliter ergo eorum verba intelligenda sunt. Vel enim cum *S. Ambrosio* et *S. Hieronymo* loquuntur de potestate remittendi peccata omnibus concessa, vel cum *S. Augustino* nihil aliud volunt, quam quod claves traditae sint Petro ut Principi et Pastori Ecclesiae, non in privatum ipsius commodum, sed publico Ecclesiae bono, atque in perpetuam Ecclesiae utilitatem; atque ideo eas etiam post mortem Petri in Ecclesia esse non desiisse. Et cum *S. Augustinus* munus pascendi ad omnes Apostolos extendit, non negat, hoc munus principaliter ad Petrum pertinere, cui soli dictum est: *Pasce agnos meos — pasce oves meas:* haec nempe primo, et principaliter dicta sunt Petro in propria persona; secundario vero omnibus Ecclesiae ministris in ipso Petro tanquam in principe illos repraesentante, qui per haec verba, *pasce agnos meos*, potestatem accepit pascendi totum Christi gregem, non qua solus uteretur, sed qua aliis communicaretur, qui cum dependentia ab ipso Petro debent proportionaliter pascere eam gregis partem, quae sibi est commissa: unde Petrus ipse (7) iisdem acclamat: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.*

Obi. 3. Nonnulli ex Patribus Petrum et Paulum faciunt pares in dignitate et auctoritate: ita *S. Epiphanius* (8) ait: « Romae primi Petrus et Paulus Apostoli pariter et

(1) L. 10 in Io. c. 41. (2) Lib. 12, c. 64. (3) In Ps. 38 (4) L. 1 adv (5) Tract. 50 in Io. (6) Tract. 12 in Io (7) I Ep. 5. (8) Haer. 27.

Episcopi fuerunt: » passim iidem a Patribus Ecclesiae Romanae fundatores, praesides, rectores et principes nominantur. Sed Paulus non fuit Primas totius Ecclesiae ; ergo nec Petrus.

Resp. Certum est, Ecclesiam Romanam iam fundatam, et Petrum eius Episcopum fuisse, priusquam Paulus Romam veniret. Ex tota vero antiquitate constat, unicum semper in quavis Ecclesia particulari legitimum Episcopum fuisse, qui autem hincinde alios Episcopos in officiis pastoralibus coadiutores habuit. Ita etiam Petrus coadiutorem habuit Paulum, qui in nulla particulari Ecclesia sedem Episcopalem fixerat, sed ratione muneris apostolici, quod omnibus Apostolis ius Episcopale ubique terrarum conferebat, in qualibet Ecclesia, in qua commorabatur, plurima pro salute animarum laborabat. Propter plurimos ergo labores, in romana Ecclesia ultimo vitae suae tempore exantlatos, et propter martyrium cum Petro Romae perpessum, inter Romanae Ecclesiae fundatores, et principes computatur: ceterum - in catalogis Romanorum Episcoporum nunquam Paulus, sed semper Petrus primo loco nominatur, ut ex dicendis apparebit (1).

ARTICULUS IV.

De Sessione Petri Romae.

§. 259.

Si Petro ab ipso Christo Primatus inter Apostolos collatus fuit, summi profecto momenti est, ut cognoscatur, in quanam Ecclesia sederit, et mortuus sit, quia ille, qui ipsi post obitum in eadem Ecclesia suffectus fuit, et non alius, eiusdem successor dici potest. Hoc autem privilegium soli Ecclesiae Romanae attribui potest. Non defuere autem inter Protestantes, qui pro suo exacerbato in Ecclesiam Romanam animo non solum negarent, Petrum in Cathedra Romana sedisse, verum etiam assererent, Petrum nunquam Romae fuisse. Opus ideo est, ut contra ipsos ostendatur, 1) Petrum *Romae fuisse*, 2) *in cathedra Romana ceu Episcopum sedisse*, et 3) *ceu Episcopum Romanum mortuum esse.*

§. 260.

I. Petrus Romae fuit.

Petrum Romam venisse, ibique commoratum esse, tum ex *ipsius Epistola prima*, tum ex *multis aliis testimoniis* abunde constat.

1. Primam enim Petri Epistolam Romae scriptam fuisse, ostendunt verba, quae consuetam Ecclesiae, ex qua scribitur, salutationem exhibent. Dicitur enim: *Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta, et Marcus filius meus* (2). Per Babylonem autem urbs Roma intelligitur: id testatur Eusebius (3) dicens: « Porro Marci mentionem fieri aiunt a Petro in priori epistola, quam *Romae scriptam esse contendunt.* » Ex quo prodit, Eusebium quoque agnovisse S. Petrum civitatem romanam verbi translatione *Babylonem* appellasse. Eadem fere habet *S. Hieronymus*, qui (4) loquens de Marco ait: « Meminit huius Marci et Petrus in Epistola sua prima, nomine Babylonis figuraliter Romam significans. » Dicta vero est urbs Roma Babylon tum ob summam eius potentiam et magnificentiam, tum ob vitiorum et idololatriae abominationem. Nolebat autem Petrus, uti putat *Natalis Alex.*, Romam proprio nomine appellare, ne cum recenter e carcere hierosolymitano elapsus esset, omnibus locus commoratio-

(1) Cf. Tournely de Ecclesia quaest. 5, art. 1. Perrone de locis theol. p. I, sect 2, cap. 1.

(2) I Petr. 5, 13. (3) Hist. Eccl. l. 2, c. 15. (4) De script. eccles.

nis suae innotesceret, atque ne causa daretur persecutionibus, si palam fieret, Romae multos Christianos adesse. — Non potest autem nomine Babylonis intelligi Babylon Assyriorum, quia de Ecclesia ibi tunc temporis fundata nullum vestigium habetur, et *Iosephus Flavius* testatur (1) omnes Iudaeos, qui erant in Babylone Assyriorum tempore Caii, vel expulsos, vel occisos esse; neque intelligi potest Babylon Aegyptiorum, quae tunc erat locus obscurus, et a *Strabone* (2) vocatur Castellum. Restat ergo, ut per Babylonem Roma intelligatur, quod et confirmatur ex eo, quia etiam Marcum, Petri comitem et discipulum, Romae Evangelium suum exarasse, testantur *Clemens Alex.* (3), *Eusebius* (4), *S. Hieronymus* (5), *S. Irenaeus* (6), *Tertullianus* (7), *S. Augustinus* (8) et alii.

2. Petrum Romae fuisse, ibi Evangelium praedicasse, et Ecclesiam fundasse, antiquissimi scriptores ecclesiastici testantur; ut *Clemens Rom.* Petri discipulus in prima sua ad Corinthios epistola, *Papias* (9), *S. Ignatius M.* qui ad Romanos (10) scribit: « Non praecipio vobis, sicut Petrus et Paulus vobis praeceperunt, » *S. Irenaeus* (11) testificans, « Petrum et Paulum Romae evangelizasse, et fundasse Ecclesiam; » *Tertullianus* (12), *S. Cyprianus* (13), *Caius* Presb. Rom., *Dionysius* Corinth. Ep., *Origenes*, quos citat Eusebius (14). *S. Athanasius* (15) ait: « Petrus qui metu Iudaeorum se absconderat, et Paulus, qui in sporta demissus sic evaserat, his auditis verbis: Oportet vos Romae martyrium subire, — profectum non distulere suum, imo potius gaudentes abierunt. » — Si autem Petrus et Paulus Romae Evangelium praedicasse dicuntur, non negatur, id longe prius praestitum fuisse a Petro: constat enim ex ipsa Pauli Ep. ad Rom. (16) Romae multos Christianos fuisse, antequam Paulus eo veniret. — Demum Petrum Romae Simonem Magum vicisse, testantur *Arnobius* (17), *Hegesippus* (18), *S. Cyrillus Hier.* (19), *S. Hieronymus* (20), *S. Ambrosius* (21), *S. Augustinus* (22).

Nota. Temeraria sententia eorum, qui Petrum unquam Romae fuisse negarunt, etiam inter ipsos Protestantes adversarios nacta est. Iam *Calvinus* (23) fassus est, negari propter consensum scriptorum non posse, Petrum Romae mortuum esse. *Hugo Grotius* (24) inquit: « Petrum Romae fuisse, nullus Christianorum negabit. » *Pearson* Episcopus Anglicanus speciali dissertatione probavit, Petrum Romae commoratum esse. « Petrum Romae fuisse, ait *Baratier*, magnus Criticus, est factum, quod tota antiquitas testatur: pudet fateri, aliquem ex Protestantibus illud in dubium traxisse. » *Schröck* (25) dicit, « nullum fortasse eventum esse in veteri historia ita extra quaestionem positum subsidio testimoniorum adeo consentientium antiquorum doctorum christianorum, uti istud, » (de Petri in urbem adventu) (26). —

(1) L. 18 antiq. c. 12. (2) L. 17,
(3) In l. Hypotip (4) L. c. (5) L. c.
(6) L. 3 adv. haer. c. 1.
(7) C. Marcion. l. 4, c. 5.
(8) De consens. Evang. l. 1, c. 1 et alii.
(9) Apud Euseb. l. c. (10) C. 4.
(11) L. 3 adv. haer. c. 1.
(12) De praescript. c. 32 etc. 36 de bapt. c. 4.
(13) Ep. 52 ad Antonian. et 55 ad Cornel.
(14) L. c. lib. 2 et 3.
(15) In Apologia de fuga sua.
(16) Cap. 1, 15. (17) L. 2.
(18) L. de excid. Hierosol (19) Catech. 6.
(20) Catal. Script. eccl. in Petro.
(21) Conc. de basil. haeret.
(22) De haer. c. 1.
(23) L. 4 instit., c. 6, 15.
(24) In I Petr. 5, 15.
(25) Hist. eccl. p. II, pag. 155.
(26) Cf. Stolberg 10. B. Abh. über den Vorrang des h. Petrus 1 Abh. Perrone loc. cit.

§. 261.

II Petrus fuit Episcopus Romae.

Petrum in Romana Cathedra sedisse, seu Romanum Episcopum fuisse ex *Catalogis Romanorum Episcoporum*, ex *SS. Patrum testimonio*, et ex *Romanae Ecclesiae, ac Romanorum Episcoporum denominatione* solidissime probatur.

1. Quotquot enim catalogi Romanorum Episcoporum, etiam antiquissimi inveniuntur, in horum serie ubique Petrus primo loco ponitur. Erant autem isti catalogi iam antiquitus frequentissimi publica auctoritate confecti, et in magno honore habiti. Ad ostendendam enim communionem ecclesiasticam nomina Episcoporum orthodoxorum *dyptichis* inserebantur, ex quibus nomina Episcoporum haereticorum, aut schismaticorum expungebantur (1).

2. Romanorum Episcoporum seriem a Petro incipiunt *S. Irenaeus*(2), *Caius* Presb. Rom. (3), *Tertullianus* (4). *Eusebius* (5) dicit: « Anno secundo Claudii Petrus Apostolus, cum primum Antiochenam fundasset Ecclesiam Romam proficiscitur, ubi Evangelium praedicans 25 annis eiusdem urbis Episcopus perseverat. » *S. Optatus Milev.* (6) ait: « Cathedra una est, quae est prima de dotibus... sedet prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens » etc. et (7) dicit: « Negare non potes, scire te, in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit, omnium Apostolorum Caput Petrus, unde et Cephas appellatus est. » *S. Hieronymus* (8) ait: « Petrus... Romam pergit, ibique 25 annis Cathedram sacerdotalem tenuit usque ad ultimum Neronis, quo anno Martyrio coronatus est: » *S. Augustinus* (9) scribit: « Petro successit Linus, Lino Clemens » etc.; et (10) ait: « Cathedra tibi quid fecit Ecclesiae Romanae, in qua Petrus sedit, in qua hodie Anastasius sedet? »

3. Ex universali persuasione, Petrum fuisse Episcopum Romanum, factum est, ut Romana Ecclesia iam antiquitus *Cathedra Petri* diceretur; sic *S. Cyprianus* de Fortunato et Felicissimo Romam proficiscentibus (11) scribit: « Navigare audent ad Petri cathedram, atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est. » Eodem modo Romani Pontifices Petri successores, Petri personam agentes etc. dicuntur, eorumque eminentior potestas, ut infra videbimus, a Petro petitur. Haec demum omnia confirmantur ex eo, quod usque ad saeculum decimum quartum nemo vel infensissimus Ecclesiae romanae hostis, ex tot haereticis, qui ab apostolica sede damnati sunt, nemo ex tot schismaticis, Graecis praesertim, quibus id commodum omnino accidisset, sibique, atque causae suae perutile, nemo unquam ex tot ambitiosis praesulibus, atque Ecclesiae Romanae aemulis in dubium vocavit, Petrum Ecclesiae Romanae Episcopum fuisse (12).

Nota. Haud difficile est difficultates solvere, quae propositioni probatae opponi solent.

Obi. 1. De Episcopatu Petri Romano nec verbum occurrit in S. Litteris. Nihil de eo commemorat Lucas in Actis Apostolorum, qui tamen plura de Petro enarrat, quae

(1) Cf. Schelstrate Antiq. Ecclae. Romae 1692, dissert. 5 de antiquis Rom. Pontif. catalogis.
(2) L. 3 adv. haer. c. 5.
(3) Ap. Euseb. l. 5, H. E. c. 28.
praescript. c. 32.
(5) In Chronico suo ad annum 44.
(6) L. 2 c. Parmen. (7) Ibid. Cap. 2.
(8) In catal. Script. eccles. in Petro.
(9) Epist. 165 ad Generosum.
(10) L. 2, c. Petil. c. 51. (11) Epist. 55.
(12) Cf. Perrone l. c. n. 535

minoris momenti sunt. Et Paulus in Epistola sua ad Romanos non salutat Petrum, quod tamen absque dubio fecisset, si Petrus Romanorum Episcopus fuisset.

Resp. Quae nobis obiiciuntur, non sunt nisi argumenta negativa; haec autem non infringunt positiva, quae iam ex testimoniis fide dignissimis allata fuerunt; praesertim cum etiam sufficiens silentii ratio assignari possit. Si enim Acta Apostolorum attente considerentur, facile cognoscitur, Lucam sibi non proposuisse, omnia enarrare, quae Apostoli peregerunt. Sed de omnibus Apostolis plura enarrat, quamdiu in Iudaea collecti fuerunt: postquam autem per orbem dispersi sunt, de reliquis silet, et solummodo Pauli, cuius individuus comes erat, gesta enarrat: mirum ergo non est, quod nil scripsit de iis, quae Romae a Petro gesta fuerunt. — Etiam ex omissa Petri salutatione in Epistola ad Romanos nil inferri potest contra Romanum Petri Episcopatum. Potuit enim Paulus scire, Petrum, qui saepe vel ad praedicandum Evangelium, vel ad visitandas Ecclesias itinera instituit, ab urbe absentem esse. Eadem porro salutatio Episcopi in aliis quoque Epistolis Pauli desideratur. Sic in Epistola ad Hebraeos non salutatur Iacobus, Hierosolymae Episcopus; imo nec in Epistola ad Ephesios salutatio legitur pro Timotheo, carissimo Pauli discipulo; nemo tamen ideo negat, illum Hierosolymae, hunc Ephesi Episcopum fuisse. Probabilius salutatio Episcopi vel per illum, qui Epistolam afferebat, nuntiabatur, vel exterius scripta erat, ne interius insertam ipse Episcopus publice praelegere cogeretur.

Obi. 2. Nullus Apostolorum peculiarem gessit Episcopatum: ergo inepte id asseritur de Petro. Secum enim pugnant Apostoli et Episcopi munera; Apostoli siquidem munus exigit nulli peculiari loco addictum esse, Episcopi autem certam sedem, et peculiarem gregem exposcit.

Resp. Omnino falsum est, nullum Apostolorum peculiarem gessisse Episcopatum. Universa siquidem antiquitas docet, S. Iacobum fuisse Episcopum Ecclesiae Hierosolymitanae. Quodsi reliqui Apostoli certam sibi sedem non elegerunt, uti sibi Petrus Romanam delegit, ideo est, quia in illis non extabat peculiaris illa ratio, qua Petrus ad suam eligendam debuit permoveri. Petrus enim praeter Apostolatum omnibus collegis suis communem, habuit Primatum in universam Ecclesiam, quem cum alii, dum ipse in vivis ageret, tradere non posset, debuit necessario certam eligere sedem, in qua primatus sibi divinitus collati relinqueret haeredem, cum ex Christi institutione perpetuus esse deberet. Neque inter Apostolatum et Episcopatum pugna datur, nam utrumque etiam S. Iacobus in se coniunxit. Sic optime potuit Petrus utrumque munus coniungere, Apostoli et Episcopi. Constituta enim semel Ecclesia Romana potuit Episcopatum per vicarium administrare, ac varias interea excursiones ipse facere. Ideo nonnulli cum Papebrochio ex antiquis monumentis ostendunt, a B. Petro adscitos fuisse ad Ecclesiae Romanae administrationem adiutores Linum et Clementem, quos ordinaverat Episcopos, ut se absente Romae episcopalia munera obirent.

Obi. 3. Non conveniunt Patres in tempore determinando, quo Petrus Romam venit, et per quod ibi Episcopatum gessit; ergo factum est incertum.

Resp. a) Multa facta dantur, quae certissima sunt, licet tempus, quo

contigerunt, non accurate determinari possit: sic e. g. non omnes consentiunt circa annum nativitatis Christi, quam tamen omnes ut factum certissimum admittunt. b) Communior sententia, auctoritati Eusebii et S Hieronymi innixa dicit, Petrum anno secundo Claudii Romam venisse, et per 25 annos Episcopatum gessisse. Multi autem putant, ab hac sententia recedendum esse, in qua vix chronologice coniungi possunt, quae de Petro leguntur, quem Paulus saepius Hierosolymis invenit, qui etiam concilio hierosolymitano interfuit, per 7 annos Antiochiae sedit, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bythinia praedicavit etc. Ideo contendunt, Petrum serius Romam venisse, et per brevius temporis spatium ibi Episcopatum gessisse (1). Sed difficultates istae tales haud esse videntur, ut a communi sententia recedendum sit, qua admissa sic Petri vita chronologice ordinari potest. Petrus nimirum mansit Hierosolymis annis quatuor circiter, quo tempore potuit eum videre illic Paulus anno a conversione tertio (quae anno post passionem Christi primo contigit). Deinde Petrus mansit Antiochiae annis septem, non quasi ibi alligatus, sed eo temporis intervallo Pontum, Galatiam etc. peragrans. Septimo autem anno nondum completo redit Hierosolymam, ubi fames erat, et Paulus iterum ad eum venit; eodem anno-undecimo a Passione Christi, et secundo Claudii Petrus ab Herode coniectus est in vincula et illis mirabiliter ereptus Romam perrexit. Deinde septimo sessionis Romae anno, Claudii nonc huius Imperatoris edicto pulsus venit Hierosolymam, ibique concilio de observantia legalium adfuit anno a passione Christi decimo octavo. Claudio e vivis sublato Romam rediit, ibique passus est anno decimo quarto, et ultimo Neronis, sessionis romanae vigesimo quinto. — Tali modo declarari potest, cur Petrus modo sub Claudio, modo sub Nerone Romam venisse legatur (2).

(1) Cf. Stolberg l. c.
(2) Cf. Billuart t. 7, diss. 4, art. 2.

§. 262.

III. Petrus Romae mortuus est.

Petrum in urbe Roma, cuius Episcopatum gessit, martyrium subiisse, solidissimis argumentis probari potest. Nam

1. Certum est ex praedictis, quod Petrus Romanam Ecclesiam fundaverit, eiusque sedem tenuerit, et nullibi legitur, quod post dimissam sedem Antiochenam alibi quam Romae sedem habuerit; ergo ad obitum usque sedem romanam tenuit.

2. SS. Patres unanimi consensu testantur, Petrum Romae mortuum esse. Sic *Tertullianus* (3) ait: « Orientem fidem Romae primus Nero cruentavit; tunc Petrus ab altero cingitur cum cruci adstringitur. » *Eusebius* (4) dicit Petrum Romae suffixum cruci. Idem testantur *Lactantius* (5), *Origenes*, *S. Athanasius* (6), *S. Hieronymus* (7) et alii.

3. Iure hic etiam affertur argumentum praescriptionis. Semper enim Ecclesia Romana gloriata est de martyrio Petri et Pauli. Nunquam autem alia Ecclesia hanc gloriam sibi vindicare ausa est, quod certe contigisset, nisi omnino certe constitisset, Petrum et Paulum Romae glorioso martyrio obiisse.

4. Romae demum, et non alibi, Petri et Pauli sepulcra ostenduntur ac venerantur. Ideo a remotissima antiquitate peregrinationes Romam ad sepulcra Apostolorum usu vene-

(3) Scorpiac. c. 15. (4) L. 2 H. E. c. 24.
(5) L. de morte persecut.
(6) L c. §. 260, n. 2. (7) L. c. §. 261.

runt. De his iam loquitur Eusebius, qui citat *Caium*, et addit (1): « Petri Paulique nomine insignita monumenta, quae in urbis Romae coemeteriis etiamnum visuntur. » Et S. *Hieronymus* (2), postquam huius crucifixionem a capite inverso retulit, subdit: « Sepultus Romae in Vaticano iuxta viam triumphalem totius urbis veneratione celebratur. »

ARTICULUS V.

De Primatu Romani Pontificis.

§. 263.

Licet inter Acatholicos non pauci, argumentorum pondere victi primatum Petro concessum a Christo admittant, omnes tamen in eo conveniunt, ut negent, primatum a Christo institutum in Romanis Pontificibus continuo perdurare. Ad hanc Catholicorum doctrinam impugnandam Graeci, Protestantes, Russi, Anglicani etc. nervos omnes contenderunt, atque contendunt. Eiusmodi enim primatu semel constituto actum plane de sectis omnibus, et conclamatum est. Aequum proinde est, ut et nos vires nostras ad eum propugnandum omni, qua par est, studio conferamus. Ideo contra omnis generis adversarios dicimus, sicut Petrum, ita etiam Romanum Pontificem omni tempore ex divina ordinatione primatum non solum honoris, vel auctoritatis, sed etiam iurisdictionis in universam Ecclesiam tenere. Id autem probatur 1. ex *iis, quae de Petro hactenus demonstrata sunt*, 2. ex *SS. Patrum consensu*, 3. *ex Ecclesiae perpetua persuasione, et praxi*, ac demum 4. *ex conciliis*.

§. 264.

I. Ex factis de Petro probatis.

Ex iis, quae in praecedentibus articulis de Ecclesiae potestate et de primatu ac sessione Petri dicta sunt, sequitur corollarium certissimum, Romano Pontifici primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam iure divino competere. Nam

1. Ex Christi ordinatione potestas Apostolorum debuit transire in successores, ut sacrum imperium semper perduret (3). Ergo etiam potestas eminentior Petri, seu primatus ex Christi ordinatione debuit transire in Petri successorem. Sed iuxta naturalem successionis legem in societate legali ibi successor quaeri debet, ubi antecessor moriens gradum suum dimisit. Atqui Petrus Romam venit, ibique Episcopatum gessit, et regendae ibidem Ecclesiae immortuus est (4). Ergo qui Petr mortuo in eadem cathedra, i. e. in Ecclesia Romana ut Episcopus succedit, est legitimus Petri successor, in quem eminentior potestas Petri, seu primatus iure divino transit (5).

2. Primatus a Christo institutus fuit, ut SS. Patres passim dicunt, ad unitatem Ecclesiae servandam. Primatus ergo non constituebat personale Petri privilegium, sed erat in bonum ac rectum regimen Ecclesiae institutus; ergo non poterat cum Petro interire, sed debuit perpetuo in Ecclesia perdurare, quia etiam Ecclesia ex Christi ordinatione perpetuo perdurare, et semper unitatem servare debet. — Imo post Apostolorum tempora multo magis necessaria fuit primatialis potestas, ut unitas, quam Christus in omnibus voluit, conservaretur: Apostoli enim Spiritu S. repleti in fide errare, aut diversa evangelizare non poterant: Episcopi autem, singillatim sumti, tanta praerogativa non gaudent; atque ideo aberrare, et in devia declinare possunt. Quis ergo dicet, Christum inter Apostolos in-

(1) H. E. l. 2 c. 25

(2) In catal. Script. eccles. in Petro.

(3) Cf. art. IV. (4) Cf. art III

fallibiles Primatum voluisse, et inter eorum successores fallibiles eundem non voluisse? — Certe etiam pro ipsa Ecclesiae amplitudine, et maiori inter varias gentes extensione, successu temporis futura, necesse fuit, ut unitatis centrum statueretur.

3. Dein — Christus Ecclesiam suam in Apostolis fundavit, et ut ex probatis liquet, ita constituit, ut adesset inter Ecclesiae rectores primatus: sed Christus hanc ipsam, et non aliam Ecclesiam voluit perpetuo duraturam; ergo nunc quoque in Ecclesia adest Primatus.—Adversarii deberent ostendere, Christum voluisse, ut Ecclesia in Apostolis fundata aliam constitutionem haberet, quam illa, quae in successoribus perdurare debet; tunc solum admitti posset, inter Apostolos adfuisse primatem, et inter successores illum non adesse. Sed id tum Graeci, tum Protestantes eo minus probare valent, quo magis illi, se antiquae fidei insistere, et hi, se verbis S. Scripturae inhaerere, contendunt. Omni ergo iure, imo necessario dicimus, Primatum Petri ad eius successores transiisse, qui alii non sunt, nisi Pontifices Romani.

4. Magni etiam momenti est, quod licet Petrus semper in maxima auctoritate fuerit, nemo tamen alius se Petri successorem dixerit, velut talis agnitus fuerit, nisi Episcopus romanus, cui soli tota antiquitas hoc privilegium adiudicavit. Ideo ipse solus iure divino est totius Ecclesiae Primas (1).

Nota. Adversarii varia argumentationi nostrae obiiciunt, ut negent primatum iure divino institutum.

Obi. 1. Paulus eccclesiasticae hierarchiae gradus recensens (2), nominat *Apostolos*, *Prophetas*, *Evangelistas* etc. sed non meminit unius summi Pontificis, quem tamen primo loco ponere debuisset, si esset institutionis divinae.

Resp. a) Inter Apostolos, quos Paulus nominat, etiam Petrus continetur, cuius eminentior potestas, si in istis locis reticetur, tamen non negatur, et iam in aliis locis clare asseritur; non enim omnia in omnibus Scripturae locis referuntur. b) Paulus (3) non agit de gradibus ecclesiasticae hierarchiae; enumerat enim in utroque loco Prophetas, Evangelistas, quibus in priori loco adiungit dona linguarum, gratias curationum etc. quae non pertinet ad ecclesiasticam hierarchiam: quae enim ad hanc spectant, permanenter in Ecclesia semper perseverant: sed agit de variis charismatibus et donis, quibus nascens Ecclesia a Spiritu Sancto sub his initiis ornabatur; ideo locus non erat disserendi de primatu.

Obi. 2. Paulus unitatem Ecclesiae repetit ab uno Deo, uno Christo, una fide, uno baptismate etc., non ab uno Primate, cuius nos meminit (4).

Resp. Paulus (5) motiva proponit, propter quae unitas inter fideles servanda sit, non autem de mediis loquitur, ad unitatem servandam a Christo institutis. Imo aliquo modo etiam primatus (6) indigitatur; Paulus enim (7) dicit Christianos constituere debere *unum corpus*, scilicet visibile; non potest autem unum esse corpus, nisi sit in eo unum caput, quod caeteris membris provideat. Si autem caput istud visibile hic non nominatur, non ideo negatur, sed iam in aliis Scripturae locis asseritur.

(1) Confer Pet. Coustant. Epist. Rom. Pont. t. I ad ann. 440.

(2) 1 Cor. 12, 28, et Ephes. 4, 11.
(3) Loc. cit. (4) Eph. 4, 5 etc.
(5) Loc. cit. (6) Loc. cit. (7) Eph. 4, 4.

§. 265.

II. Ex SS. Patrum consensu.

SS. Patres unanimi consensu docent, Episcopos Romanos esse legitimos Petri successores, et ideo Ecclesiae universalis primatum gerere. Sic *S. Irenaeus* (1) de Ecclesia Romana ait: « Maxima et antiquissima, et omnibus cognita est, a duobus gloriosissimis Apostolis Petro et Paulo Roma fundata.... Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem eius principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles. » *S. Cyprianus* (2) ait: « Ecclesia romana Ecclesiae radix est, et mater, et per communionem cum illa Ecclesiae catholicae unitas comprobatur. » *Tertullianus* in libro de Pudicitia (3) romanum Episcopum nominat « Summum Pontificem, et Episcopum Episcoporum: » praedictum librum equidem post lapsum in haeresin Montani exaravit, ac ideo Romanum Episcopum reprehendit, quod etiam adulteria absolvat, irrisorio modo dicens: « Summus autem Pontifex, et Episcopus Episcoporum dat veniam etiam moechis; » sed tamen his verbis testis est de denominatione, Romano Episcopo illo tempore dari solita. — *S. Athanasius* (4) scribit: « Ob id, vos, praedecessoresque vestros, Apostolicos praesules, in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere praecipit, ut nobis succurratis. » — *S. Basilius* in causa Athanasii ad Romanum Episcopum confugit; scribit enim (5): « Visum est consentaneum, scribere ad Episcopum Romanum, ut videat res nostras, et iudicii sui decretum interponat. » — *S. Gregorius Naz.* (6) ait: « Fides vetustae (Romae) recta erat iam antiquitus, et recta perstat nunc item, — nexu pio, quodcunque labens sol videt, devinciens, ut *universi mundi Praesidem* decet. » *S. Optatus Milevit.* ad confutandos Donatistas ad cathedram romanam provocavit, ex qua requisita unitas in fide procedit; ideo ait (7): « Cathedra una est..... ubi sedit omnium Apostolorum Caput, Petrus, in quo uno cathedrae unitas servaretur, ut iam schismaticus, atque peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedra una est... In ea sedit primus Petrus, cui succedit Linus, Lino Clemens etc. (et tandem) Damasus, qui hodie noster confrater est, quocum totus mundus, sicut et nos, commercio literarum formatarum communicat. » *S. Ambrosius* (8) inquit: « Non habent Petri haereditatem, qui Petri sedem non habent, quam impia divisione discerpunt. A Romana Ecclesia totius orbis romani capite in omnes venerandae communionis iura dimanant » (9). — *S. Augustinus* (10) scribit: « In Ecclesia Romana semper apostolicae cathedrae viguit principatus» (11). Porro (12) Romanum Episcopum vocat « Pastorem totius Ecclesiae, » et (13) eundem nominat « Pastorem pastorum. » *S. Hieronymus* (14) ad Damasum, quem circa fidei quaestionem consulit, scribit: « A pastore praesidium ovis flagito. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est, Cathedrae Petri, communione consocior, super illam petram aedificatam Ecclesiam scio, - - cum successore piscatoris et discipulo cru-

(1) L. 3 adv. haer. c. 3. (2) Epist. 43.
(3) Cap. 1. (4) Epist. ad Felicem Pap.
(5) Epist. 52 ad Athanas.
(6) In carm. de vita sua.
(7) L. II c. Parmen.
(8) Epist. 11 ad Grat. n. 4.
(9) Cf. l. I de Poenit. c. 7, n. 35.
(10) Epist. 53, n. 7. (11) Cf. Ep. 162.
(12) L. 2 c. Faust., c. 7.
(13) L. 4 cont. 2 Epist. Pelag., c. 12.
(14) Epist. 57.

cis loquor etc. etc. » — *S. Cyrillus Alex.* (1) Petrum appellat Apostolorum Principem, et caput, et eius successorem S. Caelestinum nominat « Archiepiscopum totius orbis, et Patriarcham magnae urbis Romae. » — *Theodoretus* (2) scribit: « Obsecro, ut sanctissimo Archiepiscopo Leoni persuadeas, ut apostolica utatur auctoritate, iubeatque ad vestrum concilium adire. Tenet enim sancta ista sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum. » — *S. Prosper Aquit.* (3) ait: « Sedes, Roma! Petri, quae pastoralis honoris facta caput mundi, quidquid non possidet armis, Religione tenet; » et (4) scribit: « Roma per sacerdotii principatum amplior facta est arte Religionis, quam solio potestatis.» — *Victor Utic.* (5) ait: « Ecclesia Romana est caput omnium Ecclesiarum. » *Cassiodorus* (6) scribit: « Vos speculatores christiano populo praesidetis, vos patris nomine universa dirigitis.... Nos decet custodire aliqua, vos omnia..... sedes illa toto orbe mirabilis.» — *S. Isidorus Hispal.* (7) inquit: « Dignitas potestatis, etsi ad omnes Catholicorum Episcopos est transfusa, specialius tamen Romano Episcopo, singulari quodam privilegio, veluti Capiti, caeteris membris altiori manet in aeternum. » — *S. Bernardus* (8) ad Eugenium P. sic loquitur: « Quis es? sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, tu haeres Apostolorum... dignitate Aaron... potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii coeli ianitores et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius prae caeteris nomen haereditasti. Habent illi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus: nec modo ovium, sed et pastorum omnium tu unus pastor. Unde id probem, quaeris? — ex verbo Domini Petro dicentis: *Pasce agnos meos, pasce oves meas* » (9).

Nota. 1. Inter ipsos Protestantes eruditi negare nequeunt, SS. Patres dignitatem eminentiorem Ecclesiae Romanae attribuere; contendunt autem, Patres praerogativam Episcoporum Romanorum non ex iure divino, sed ex iure ecclesiastico repetere, ac si ideo tantum his maior auctoritas ab Ecclesia concessa fuerit, quia Ecclesia Romana a gloriosissimis Apostolis Petro, et Paulo fundata fuit, et quidem in Urbe, quae primis temporibus magnificentia, potestate et opulentia omnes alias urbes longe superabat. — Haec autem adversariorum sententia admitti nullatenus potest. Nam a) probari nequit, ex allatis titulis ab Ecclesia Romanis Episcopis eminentiorem potestatem, seu primatum traditum fuisse; neque id asserunt SS. Patres. b) Si constitisset, nonnisi Ecclesiam libere Romanis Pontificibus primatum tradidisse, potuisset hic in aliam Ecclesiam transferri, quod et certe pro nota Graecorum aemulatione factum fuisset, quia iam tempore Constantini magni gloria antiquae Romae imminuta, et magnificentia novae Romae, seu Constantinopolis valde aucta fuit. c) SS. Patres docent, Petrum immediate a Christo primatum accepisse (§ 258), Romanum vero Episcopum ut legitimum successorem Petri venerantur, et ideo ratio patet, cur eminentiorem potestatem Romano Episcopo adscribant; saltem indirecte illam ab ipsa Christi ordinatione re-

(1) Hom. Encom. in S. Deipar.
(2) In Epist. ad Renat. (3) L. de ingrat.
(4) L. 2 de vocat. gent.
(5) L. II de persec. Vandal.
(6) L. 11 Epist. 2 ad Ioann. Pap.
(7) Ad Eugen. Episc. Toletan.
(8) L. 2 de consid. c. 8.
(9) Cf. Stolberg l. c. 2. Abth

petunt, licet id non semper expressis verbis dicant. d) Neque enim alias plurima Patrum effata intelligi possunt; e. g. dum dicunt cum *Irenaeo*, « necesse esse, ut ad hanc Ecclesiam omnes Ecclesiae conveniant, » cum *Cypriano*, per communionem cum illa Ecclesiae catholicae unitatem probari, cum *Ambrosio*, ibi Ecclesiam esse, ubi est Petrus i. e. R. P. (1), cum *Hieronymo*, « Christi esse, qui adhaerent Romano Episcopo, » cum *Augustino* Sedem romanam Petram illam esse, super quam aedificavit Christus Ecclesiam suam (2). e) Neque loca desunt, in quibus Romani Pontificis primatus a Dei institutione repetitur; sic e. g. *Augustinus* docet, « Romano Pontifici in persona Petri a Christo pascendum fuisse traditum universum gregem suum (3). »

Nota. 2. Solent etiam ex Patribus loca adduci, quae Romani Pontificis primatui adversari videntur.

Obi. 1. *S. Cyprianus* haud obscure petit Stephanum, dum (4) dicit: « Neque enim quisquam nostrum se Episcopum Episcoporum constituit. » Imo et docet, Episcopos a solo Deo iudicandos esse.

Resp. Ex Episcopis Africanis nullus poterat se Episcopum Episcoporum constituere: et esto his verbis suggillaret Romanum Pontificem, nullius sunt momenti, quae tunc in illum subiratus effutiit. Quae de iudicandis Episcopis dicit, intelligit de internis, et de occulta cordis intentione, quae a solo Deo iudicari potest. Generatim haec omnia Cyprianus protulit, dum in errorem fidei contrarium prolapsus erat.

Obi. 2. Patres saepius Episcopos omnes - Apostolorum successores vocant. Imo *S. Basilius* (5) ait: « omnium Ecclesiarum curam pertinere ad Episcopos omnes. »

Resp. a) Episcopos omnes esse Apostolorum successores, etiam Catholici asserunt: sed Petri successor est solus Romanus Pontifex; hic ideo inter Episcopos, sicut Petrus inter Apostolos primatum tenet. b) Omnes Episcopi cum Primate constituunt Ecclesiam docentem, cuius est, curam habere de Ecclesia universa: ergo dictum S. Basilii Primatui non adversatur.

Obi 3. *S. Hieronymus* (6) scribit: « Si auctoritas quaeritur, Orbis maior est Urbe. Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? Ubicunque fuerit Episcopus sive Romae, sive Constantinopoli, sive Alexandriae etc. eiusdem meriti est, et eiusdem Sacerdotii. »

Resp. Non loquitur S. Doctor de auctoritate summi Pontificis, sed de auctoritate consuetudinis urbis Romae, quam dicit esse minorem, quam auctoritatem totius Ecclesiae; agit enim contra consuetudinem a Diaconis Romae introductam, qui cum pauci essent, et thesauro ecclesiastico essent praepositi, se Presbyteris praeponebant contra ius, et antiquum totius orbis morem. Quod addit, Episcopos esse eiusdem meriti et sacerdotii, intelligendum est de potestate Ordinis, non de potestate iurisdictionis.

Obi. 4. *S. Gregorius M.* (7) detrectavit nomen Episcopi oecumenici, seu universalis: ergo primatum sibi non adiudicavit.

Resp. Tempore Gregorii M. Ioannes Ieiunator, Patriarcha C. P. sibi arrogavit nomen Episcopi oecumenici, quod soli totius Ecclesiae primati, i. e. Romano Episcopo convenit. Aegre id tulit Gregorius M.,

(1) In Ps. 30, n. 30.
(2) In Psalm. c. partem Donati etc.
(3) Plura loca adducit Cl. Perrone, qui l. c. n. 585 etc., et n. 593 etc. fusius huiusmodi difficultates solvit.
(4) In conc. Carthag. (5) Ep. 22.
(6) Epist. ad Evagr. (7) L. 5, Epist. 20.

arrogantem Praesulem reprehendit, et ut fastum huius reprimeret, recusato nomine Episcopi universalis, se appellavit *Servum Servorum Dei*, quale nomen melius convenit cum praecepto Christi: *Qui maior est inter vos, fiat sicut minor* (1). Non ergo primatum sibi denegavit, sed melius et securius expressit.

§. 266.

III. Ex Ecclesiae perpetua persuasione et praxi.

In Romano Pontifice primatum iurisdictionis semper, et ubique agnitum fuisse apparet ex plurimis et celeberrimis factis, in quibus non solum Episcopi occidentales, sed etiam Episcopi orientales (quorum R. P. nec ut Metropolita, nec ut Patriarcha considerari potuit) imo et Patriarchae Orientis causas maioris momenti ad Romanum Pontificem detulerunt, ut illas suo iudicio decerneret. Et revera-sicut Petrus inter Apostolos (§ 257), sic etiam Romani Pontifices inter universi orbis Episcopos iura primatialia semper exercuerunt. — Sic iam exeunte *saeculo I*, cum Corinthiis dissidia orta essent, res delata fuit Romam, ut apparet ex duabus Epistolis, quas *Clemens* R. P. rescripsit. Quare autem ad Sedem romanam recursus factus est, cum tamen viri egregii, et apostolici etiam in sedibus orientalibus invenirentur, nisi ex persuasione, ad Episcopum Romanum omnium Ecclesiarum curam pertinere? — *Saeculo II* celebris est controversia in Asia exorta de Paschatis celebratione. Ad hanc controversiam componendam iam *S. Polycarpus* ad *Anicetum* R. P. venerat, et postea *Polycrates* ad *Victorem* R. P. accessit. Victor autem non alia certe de causa, nisi quia ipsi universalis Ecclesiae cura propter primatus dignitatem incumbebat, in Polycratem, aliosque Asiaticos Episcopos, contendentes, Pascha die 14 Lunae Martii celebrandum esse, comminata, vel forte reipsa lata, excommunicatione animadvertit. In hac vero controversia se pacis sequestrem interposuit S. Irenaeus, Victoremque rogavit, « ne propter rem disciplinarem integras Ecclesias a communione abscinderet (2), » ex quibus verbis apparet, S. Irenaeum in Romano Pontifice potestatem agnovisse, iurisdictionem suam etiam in Asiaticos Episcopos exercendi. *Saeculo III* cum inique depositus fuisset a sede Carthaginensi *Caecilianus*, ipsius causa statim delata fuit ad *Melchiadem* R. P. qui eum sedi suae restituit. — Eodem saeculo *Stephanus* R. P. ad se pertinere arbitratus est, errorem evellere, qui circa baptismum ab haereticis collatum in Africa et in Asia serpebat, cui proinde strenue se opposuit; et si *Cyprianus* cum suis asseclis *Stephano* non obtemperavit, culpa non vacavit. Haud multo post *S. Dionysius* Alexandrinus ob haeresis suspicionem apud *S. Dionysium* R. P. accusatus fuit, et ab hoc, teste S. Athanasio, re diligenter perpensa ceu innocens et vere orthodoxus declaratus est. *Saeculo IV* cum *Athanasius* Alexandrinus, *Paulus* Constantinopolitanus, *Marcellus* Ancyranus et alii catholici Episcopi iniuste fuissent ab Arianis exauctorati, omnes confugerunt ad *Iulium* R. P. « qui, ut inquit *Socrates*, ex Romanae Ecclesiae praerogativa liberioribus literis communitos in Orientem remisit, singulisque suam Ecclesiam restituit; » vel, ut loquitur *Zozomenus* (3), « Cum propter sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam sedem restituit; » — *Saeculo V*

(1) Luc. 22. (2) Ap. Euseb. l. 5. H. E. c. 24. (3) L. 3. H. E. c. 8.

S. *Chrysostomus* P. C. cum in conciliabulo sub Theophilo, Patriarcha Alexandrino, habito iniuste depositus fuisset, ad *Innocentium* I R. P. confugit, eique haec memoratu digna verba scripsit: « Obsecro te, ut scribas, quod haec tam inique facta non habeant robur, illi autem, qui inique egerunt, poenae ecclesiasticarum legum subiiciantur. » Similia exempla plurima in omnibus Ecclesiae saeculis occurrunt; praecipue talia exhibet haeresum historia, quia tum haeretici damnati, tum Catholici hos damnantes ad Sedem romanam confugerunt, ut constat ex historia Pelagianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Monothelitarum etc. Undique elucet, Romanum Pontificem ceu supremum Iudicem, seu Primatem habitum fuisse, eumque primatialia iura constanter exercuisse (1).

Nota. Ius appellandi ad Sedem romanam semper agnitum fuisse in tota Ecclesia, tum praedicta, tum millena alia exempla ostendunt. Si autem hincinde ius istud restrictum fuit, id factum est, tum ne ordo violetur, et iudicum inferiorum auctoritas obscuretur, tum ne Sedes romana nimia negotiorum mole obruatur, tum ut alii abusus praecaveantur. Ideo, et in hoc sensu tantum *Concilium Milevitanum* Presbyterorum, Diaconorum, et inferiorum Clericorum appellationes ad Sedem romanam reprobavit. Ideo *Damasus* R. P. causam Maximi P. C., ad se appellantis, recusavit cognoscere absque Orientalibus, sed tantum, his auditis, iudicavit, eundemque communioni restituit. Ideo etiam *S. Bernardus* Eugenium R. P. monuit, ne in admittendis appellationibus nimis facilis sit.

(1) Cf. Stolberg l. c. et Hist. Rel. I. Ch., uti etiam continuatorem Fr. de Kerz.
(2) In Epist. synod. ad Iulium Papam.

§. 267.

IV. Ex Conciliis.

Romanum Pontificem ut totius Ecclesiae Primatem creditum fuisse, iam exinde apparet, quia semper ipsi, et non alii, legitima potestas adiudicata fuit Concilia oecumenica convocandi, hisce praesidendi, eiusque decreta confirmandi (§ 226). Ast praeterea conciliorum tum particularium, tum generalium effata citari possunt, quae luculentissime fidem de Romani Pontificis primatu ostendunt. Sic Concilium *Sardicense* (2) dicit: *Hoc optimum, et valde congruentissimum videbitur, si ad Caput, id est, Petri Apostoli Sedem de singulis quibusque provinciis referant Domini Sacerdotes.* Concilium *Constantinopolitanum* I statuit, *Constantinopolitanam Sedem habere primatus honorem post Romanum Episcopum.* — In concilio *Ephesino* (3) Patres dicunt, se a Romano Pontifice coactos fuisse, et (4) Philippus Sedis apostolicae Legatus, nullo reclamante, dixit: *Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod B. Petrus, Apostolorum Princeps et Caput, fidei columna, et Ecclesiae catholicae fundamentum a D. N. I. Christo claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, quae ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit, et iudicium exercet.* — In concilio *Chalcedonensi* (5) Paschasinus Romanae Sedis Legatus ait: *Beatissimi et apostolici viri Papae urbis Romae, quae est Caput omnium Ecclesiarum, praecepta habemus prae manibus* etc. Patres (6) dixere, *omnem quidem Primatum, et honorem praecipuum secundum Canones antiquae Romae Dei amantissimo Archiepiscopo conserva-*

(3) Act. I.
(4) Act. III.
(5) Act. I.
(6) Act. XVI.

ri. Tandem Patres Chalcedonenses S. Leonem rogant, ut suo consensu confirmare dignetur, quae statuerunt: *Rogamus*, inquiunt in relatione Synodi ad eundem Leonem, *et tuis decretis nostrum honora iudicium, et sicut nos capiti in bonis adiecimus consonantiam, sic et Summitas tua filiis, quod decet, adimpleat*. In Concilio generali VI, CP. III, Patres (1) sic Agathonem R. P. alloquuntur: *Tibi, ut primae Sedis Antistiti universalis Ecclesiae, quid gerendum sit, relinquimus, stanti super firmam fidei petram*. — Concilium *Florentinum* communi Graecorum et Latinorum consensu definivit, *Sanctam apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem successorem esse B. Petri, principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, et in sacris Canonibus continetur* (2).

Nota. 1. Non obstantibus his clarissimis Conciliorum effatis, quibus Romani Pontificis primatus, iure divino institutus asseritur, nonnulli tamen iisdem abutuntur ad divinam R. P. primatus institutionem impugnandam. Conantur enim ostendere, concilia Romano Pontifici eminentiorem auctoritatem, et primatialem potestatem tribuisse; ad quod probandum citant in primis Canonem VI Concilii Nicaeni, ubi Romano Pontifici sola potestas in ecclesias *suburbicarias* tribuitur, et Canonem XXVIII Concilii Chalcedonensis, in quo privilegia, antiquae Romae a *Patribus* propter Sedis dignitatem concessa, iterum confirmantur. Sed notandum est, disputari de utriusque canonis authentia; nam in versione Concilii Nicaeni facta a Dionysio Exiguo nulla fit mentio Ecclesiarum suburbicariarum, et Canon XXVIII Conc. Chalc. a Leone M. confirmatus non fuit. — Sed admissa etiam utriusque authentia, haud difficilis est responsio, dummodo attendatur, iam ante Concilium Nicaenum I ab Ecclesia Patriarchas, et Metropolitas institutos fuisse, pro quibus ab Ecclesia determinandum erat, quousque se eorum iura Patriarchalia et Metropolitana extendant. Cum autem Romanus Pontifex, qui ex divina institutione est totius Ecclesiae Primas, et urbis Romae Episcopus, etiam ex humana institutione fieret Patriarcha et Metropolita, ad ordinem servandum, ipso consentiente, limites Patriarchatus, et Metropolitanatus etiam pro ipso determinati sunt (3).

Nota. 2. Quaesitum etiam est, an Primatus cum Ecclesia Romana sit inseparabiliter coniunctus, an ab illa seiungi, et in alium locum transferri possit. Sed gravissimae rationes illorum sententiam confirmant, qui dicunt, primatum inseparabiliter Romanae Ecclesiae ita annexum esse, ut in aliam Ecclesiam transferri non possit. Nam: a) primatus descendit per successionem a Petro, qui Romae sedit, et mortuus est; hoc autem factum Petri est immutabile: sicut ergo nullus alius, nisi Episcopus Romanus, successor est Petri, sic etiam nullus alius potest esse Primas. b) Dein semper, ubique, et ab omnibus ut fidei dogma habitum est, Romanum Pontificem esse totius Ecclesiae Primatem: dogmata autem immutabilia esse, omnes Catholici norunt. c) Porro Ec-

(1) In Ep. Synod.
(2) Cf. Conc. Trident. Sess. 14, c. 17.
(3) Cf. Sirmondi tom. 4, edit. Paris. 1696. Paul. Riegger dissert. peculiari

clesia non dedit Romae Primatum, qui ex divina institutione, et ex voluntate Petri, vel ex impulsu divino, vel proprio consilio Romam ut sedem suam eligentis, est repetendus; ergo Ecclesia eum a Roma auferre non potest. — d) Denique per octodecim saecula post multa irrita molimina - Romae viget Primatus, atque ideo historia testis est, primatum a Roma haud posse avelli. Si Ecclesiae Primates per aliquod tempus Avenione sederunt, non cessarunt esse Romani Episcopi. Quodsi Roma devastaretur, aut ab infidelibus occuparetur, nihilominus successores Petri continuari possent, sicut perpetuo dantur Episcopi in part. infid.

ARTICULUS VI.

De reliquis ad Hierarchiam ecclesiasticam spectantibus.

§. 268.

Praeter Episcopos et Primatem, dantur in Ecclesia docente etiam alii inferiores gradus, nimirum Presbyteri, Diaconi etc. quos nosse oportet, ut de Ecclesiae constitutione perfecta notio habeatur. Ideo disserendum est 1. de *presbyteris*, 2. de *diaconis*, ac demum 3. de *hierarchia Ecclesiae in genere.*

§. 269.

I. De Presbyteris.

Presbyteri, qui etiam simpliciter *Sacerdotes* vocantur, sunt Episcopis inferiores ex institutione divina tum quoad potestatem Ordinis, tum quoad potestatem Iurisdictionis. Cum enim Episcopi ordinarium ius habeant Sacramenta omnia administrandi, Presbyteri Sacramenta Confirmationis, et Ordinis conferre non possunt. Et cum Episcopo competat potestas iurisdictionis tam in foro interno, qua ligat, vel absolvit a peccatis, quam in foro externo, qua regit Ecclesiam, dogmata definit, disciplinam sancit, refractarios coërcet etc., haec per se non competit Presbytero, et quamvis in sua ordinatione accipiat potestatem absolvendi in foro interno, usum tamen huius potestatis non habet nisi dependenter ab Episcopo, qui eam denegare, restringere, vel suspendere potest, ut non possit Sacerdos valide illa uti. — — Hanc doctrinam catholicam iam saeculo IV negavit *Aërius*, eandemque impugnarunt *Wiclefitae*, *Waldenses*, et plerique saeculi XVI Novatores, exceptis Episcopalibus in Anglia. Contra illos ergo probandum est, Presbyteros esse Episcopis inferiores, seu quod idem est, Episcopos esse Presbyteris superiores ex institutione divina. Id autem tum ex *S. Scriptura*, tum ex *Traditione* probatur.

1. Ex ipsis Evangeliis discimus, quod Christus plures discipulos habuerit, quos ad praedicandum (1) et ad baptizandum (2) misit: ex his autem duodecim, quos *Apostolos nominavit*, elegit (3), hos maiori potestate insignivit (Art. I), iisque promisit sessionem super sedes duodecim ad iudicandas duodecim tribus Israël (4). — Porro unanimis pene est Patrum sententia, Episcopos successores esse Apostolorum, quemadmodum Presbyteri dicti ab iisdem sunt successores 72 discipulorum, qui in inferiori gradu a Christo constituti sunt. — Episcopos superiores esse Presbyteris, haud obscure colligitur ex iis, quae Paulus ad Timotheum scribit. Ipsi enim iniungit, ut in magno honore habeat Presbyteros, qui officium suum rite adimplent, et ut pro his curam gerat; ait enim: *Qui bene praesunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in*

(1) Luc. 10, 1. (2) Io. 4, 2 (4) Luc. 22, 29.

verbo, et doctrina. Dicit enim Scriptura... dignus est operarius mercede sua (1). Statim autem etiam monitum addit: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus* (2). Hac ergo cautela observata potuit Timotheus etiam adversus Presbyterum accusationem recipere, et testes audire, utique non alia ex ratione, nisi ut ipsum iudicet, et si reus fuerit, puniat, adeoque veram iurisdictionem exerceat. Quis igitur neget, Timotheum caeteris Presbyteris superiorem fuisse? — Demum S. Ioannes in Apocalypsi in Ecclesiis eminentioribus unum nuncupat *Angelum*, ad quem Epistola dirigitur. Dubitari autem haud potest, in Ecclesiis istis iam praeclaris plures Sacerdotes extitisse, quod ex dictis constat de Ecclesia Ephesina, quae est etiam una ex septem in Apocalypsi commemoratis. Cur autem unus per antonomasiam *Angelus*, seu nuntius Dei nominatur? Quomodo intelligi potuisset, ad quem epistola directa sit, si omnes Presbyteri sibi aequales fuissent? nonne ipsa monita, in Epistolis contenta, irrita fuissent, si per Angelum non unus in Ecclesia Episcopus, Presbyteris eminentior intelligeretur? — .

2. Discrimen inter Episcopos et Presbyteros in Ecclesia semper et ubique agnitum fuit. Constans haec traditio apparet: a) ex *SS. Patribus*. Nam *S. Clemens Rom.* (3) ait: « Summo Sacerdoti sua munia tributa sunt, et Sacerdotibus locus proprius assignatus est, et Levitis sua munia incumbunt. » — Id quod analogice ad ordinem hierarchicum N. T. applicatur. *S. Ignatius M.* (4) ait: « Omnes Episcopum sequimini ut Iesus Christus Patrem, et presbyterium ut Apostolos, Diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum. » Et (5) scribit: « Decet singulos vestrum, et praecipue Presbyteros, refocillare Episcopum in honorem Patris Iesu Christi, et Apostolorum. » Et (6) inquit: « Hortor vos, ut hoc sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere, Episcopo praesidente Dei loco, et Presbyteris loco senatus apostolici, et Diaconis, mihi suavissimis, quibus commissum est ministerium I. Christi. » Iuxta S. Ignatium ergo Episcopus in Ecclesia praesidet Presbyteris, sicut Christus in terra praesidet Apostolis. — *Clemens Alex.* (7) ait: « In Ecclesia progressiones sunt Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum. » — *Tertullianus* (8) ait: « Dandi baptismum ius habet summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri et Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate. » *S. Chrysostomus* (9) loquens de potestate ordinis inquit: « Inter Episcopos et Presbyteros non multum interest; sola ordinatione superiores illi sunt. » Idem dicit *S. Hieronymus*, qui (10) scribit: « Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod non faciat Presbyter? — omnes Apostolorum successores sunt » (scilicet in reliquis Sacramentis conferendis, quia in Oriente Presbyteri etiam ad dandam Confirmationem delegati sunt). Alibi tamen S. Hieronymus potestatem confirmandi solis Episcopis adiudicat: ait enim (11): « ad eos, qui per Presbyteros, et Diaconos baptizati sunt, Episcopus manum impositurus excurrat. » Idem S. Doctor (12), agens de mansione sexta

(1) I Tim. 5, 17 et 18. (2) Ib. v. 19.
(3) In Ep. I ad Corinth.
(4) In Epist. ad Smyrn. c. 8.
(5) In Epist. ad Trallianos c. 12.
(6) In Epist. ad Magnes. c. 6.
(7) L. 6. Strom. (8) L. de bapt. c. 17.
(9) Hom. 11 in I Tim.
(10) Epist. ad Evangelum.
(11) Dial. c. Lucif.
(12) Epist. 78 ad Fabiolam.

Israëlitarum in deserto in Elim, exponit, nomine 12 fontium significari 12 Apostolos, et per 70 palmas 70 discipulos, scribens: « Nec dubium, quin de duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus derivatae aquae totius mundi siccitatem rigant. Iuxta has aquas septuaginta creverunt palmae, quos et ipsos secundi ordinis Sacerdotes intelligimus praeceptores. » — b) *Ex condemnatione haeresis Aërii* eadem fides Ecclesiae probatur. Cum enim Aërius insurgeret, et discrimen inter Episcopos et Presbyteros negaret, statim catholici Episcopi, duce potissimum *S. Ambrosio*, ipsius doctrinam condemnarunt. *S. Augustinus* (1) ipsum haereticis adnumeravit, et *S. Epiphanius*, eiusdem haeresin recensens, ait: «Erat Aërius homo furiosus, quia non perveniebat ad Episcopatum, et dicebat: Episcopus non differt a Presbytero, — in hoc multos decepit, fugabatur autem ipse ab Ecclesia.» c) Ex *conciliis*, quoque elucet, praefatum discrimen semper agnitum fuisse. Sic Concilium *Eliberitanum* anno 305 (2) dicit: *Episcopi, Presbyteri, et Diaconi a locis suis negotiandi causa non discedant: Carthaginense* IV anno 398 inquit (3): *Episcopi sine consilio Presbyterorum Clericos non ordinent*; et (4): *Altiorem Episcopus inter Presbyteros sedem teneat*, et (5): *Presbyteri, qui per dioeceses Ecclesias regunt, non a quibuslibet Episcopis, sed a suis chrisma petant. Hispalense II* anno 619 (6) dicit: *Comperimus, Presbyterum quemdam iniuste olim a Pontifice suo deiectum, ideo decrevimus - - Episcopus sacerdotibus, et ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest.* Iure ergo Concilium *Tridentinum*, antiquae traditioni insistens (7), definivit: *Si quis dixerit, Episcopos non esse superiores Presbyteris... anathema sit.*

Nota. Adversarii varia congesserunt ex S. Scriptura et Traditione ad doctrinam catholicam impugnandam, quae autem dogma catholicum infringere haud possunt.

Obi 1. Vocat ad se Paulus (8) *Presbyteros*, illos autem (9) appellat *Episcopos*. Idem (10) ordinandi potestatem *Presbyteris* adiudicat. Praecipit Tito (11) ut ne temere *Presbyteros* constituat, sed eos, qui sunt *sine crimine*, addita ratione: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse*. Petrus quoque se nominat *Presbyterum aliis similem* (12).

Resp. Ad hanc obiectionem varia responsa dari solent: a) *Dion. Petavius* dicit, primis Ecclesiae temporibus, omnibus, aut saltem plerisque Presbyteris dignitatem quoque episcopalem traditam fuisse, ut omnia sacramenta administrare, et praecipue alios iterum ordinare possent; ideo Presbyteros etiam dictos esse Episcopos, et hinc inde in civitatibus maioribus plures Episcopos adfuisse, qui communi consilio Ecclesias gubernabant. b) Alii cum *S. Chrysostomo* (13) et aliis contendunt, nomen Presbyterorum (seniorum) commune fuisse tum Episcopis, tum inferioris generis sacerdotibus, non autem dignitatem et potestatem aequalem. Porro - cum nonnisi Presbyteri ad dignitatem episcopalem, eleventur, per quam sacerdotium, seu presbyteratum non amittunt, sed eius plenitudinem accipiunt, ideo omnes Episcopi possunt dici Presbyteri, licet non omnes Presbyteri possint dici Episcopi. Neque hoc fit in S. Scriptura. Nam (14) Paulus non

(1) L. de haeres., c. 53. (2) Can. 19.
(3) Can. 22. (4) Can. 23. (5) Can. 56.
(6) Can. 6. (7) Sess. 23, can. 7.
(8) Act. 20, 17. (9) V. 28.
(10) I Tim. 4, 14. (11) Cap. 1, 5.
(12) I Petr. 5, 1.
(13) Hom. 1 in Epist. ad Philipp. n. 1.
(14) Act. 20

e sola civitate Ephesina, sed etiam ex finitimis Ecclesiis convocavit Episcopos et Presbyteros, et in decursu sermonis ad priores (1) verba direxit. Id testatur S. Irenaeus (2): «In Mileto, ait, convocatis Episcopis, et Presbyteris, qui erant ab Epheso, et a reliquis proximis civitatibus, quoniam ipse festinaret Hierosolymam, Pentecosten agere, multa testificans eis » etc. I Tim. IV, 14 non Presbytero, sed *presbyterio*, i. e. coetui Presbyterorum, in quo etiam Episcopus adest, ordinandi potestas adiudicatur: imo per presbyterium coetum Episcoporum intelligunt S. *Chrysostomus*, *Theophilactus*, *Oecumenius*, et alii. Titum Paulus monet, ut non temere Presbyteros constituat, quia omnes, sed praecipue Episcopi sine crimine esse debent. Petrus nominando Sacerdotium, quod cum aliis commune habebat, gradum suum altiorem; et potestatem sublimiorem non negavit, sed humilitatem suam ostendit.

Obi. 2. Paulus Epistolam ad Philipp. I, 1 inscribit Episcopis, et Diaconis, nulla facta Presbyterorum mentione; et I Tim. III officia praescribit Episcopis, et *Diaconis:* si distincti fuissent ab Episcopis Presbyteri, etiam his sua praescripsisset.

Resp. a) Haec sunt argumenta negativa, quae non infringunt positiva; b) teste *Epiphanio* primis temporibus ob ministrorum penuriam multis in locis non fuerunt ulli Presbyteri, sed Episcopi solum cum Diaconis. c) Quae Paulus praescripsit Episcopis, praescripsit etiam Presbyteris, qui pleraque officia cum illis communia habebant, et ideo inutiliter omnia repetita fuissent, specialia praecepta pro Presbyteris proponendo. d) Omnis sane difficultas penitus evanescit, si sententia Petavii adoptetur.

(1) V. 28. (2) L. 3 adv. haeres. c. 3.

Obi 3. *S. Hieronymus* discrimen inter Episcopos et Presbyteros omnino negavit. Ait enim (3): «eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos; in remedium schismatis factum esse, ut unus caeteris praeponeretur; Alexandriae a Marco Evangelista usque ad Heraclam, Presbyteros unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominasse, eo modo, quo exercitus imperatorem facit, aut ex diaconis archidiaconus fit; Episcopos magis consuetudine, quam dispositionis Dominicae veritate Presbyteris esse maiores. » Similia habet in comment. ad Titum.

Resp. Fuerunt nonnulli, qui cum *Medina* putarent, S. Hieronymum consensisse cum Aërio. Sed ab huius errore facile vindicatur. Nam in citatis iam locis aperte profitetur, potestatem ordinandi et confirmandi solis Episcopis competere. Idem (4) scribit: «Ecclesiae salus in summi Sacerdotis dignitate pendet; cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes. Inde venit, ut sine chrismate et Episcopi iussione neque Presbyter, neque Diaconus ius habeant baptizandi. » Epistolam ad Evangelum S. Doctor gravissimis his verbis absolvit: « Et ut sciamus traditiones apostolicas desumptas de V. T. quod Aaron, et filii eius, atque Levitae in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi et Presbyteri, et Diaconi vindicent in Ecclesia. » Quis porro neget, Aaron divino iure sacerdotibus praecelluisse? Similiter ergo de Episcopis statuendum est auctore Hieronymo. — Cum ergo S. Doctor in eadem Epistola eminentiorem Episcoporum potestatem ab humana, vel ecclesiastica institutione repetere videtur, loquitur de sola electione Episcopi, eiusque suffectio-

(3) Ep. ad Evangel.
(4) In Dial. adv. Lucifer., n. 9.

ne immediata in locum Episcopi defuncti. Haec autem electio in Ecclesia Alexandrina ex solo Presbyterorum collegio fieri consueverat ad turbas vitandas, et ab ipsis Presbyteris, secus ac consuetudo obtinebat in aliis Ecclesiis per eam aetatem. Porro Episcopus electus et Episcopi appellationem et iurisdictionem statim ab electione adipiscebatur, deinde statuto tempore consecrabatur, ut ex certissimis documentis constat, quae collegit *Witasse* (1). Atque ex his etiam solutio patet difficultatis, quae petitur ex duplici similitudine a S. Doctore desumpta ex militibus, qui eligunt imperatorem, et ex diaconis, qui sibi praeficiunt archidiaconum. Referuntur enim hae similitudines ad electionis modum.

§. 270.

II. De Diaconis.

Presbyteris inferiores sunt Diaconi, qui potestate conficiendi corpus Christi non gaudent, sed quorum munus est ministrare ad altare, baptizare et praedicare. Divinam esse Diaconorum institutionem ex *S. Scriptura* et *Traditione* probatur.

1. Apostolos a primo statim Ecclesiae ortu Diaconos instituisse, legitur (2). — Quod autem Diaconi non mensarum tantum ministerium acceperint, sed tanquam veri Ecclesiae ministri divino cultui, et sacris ministerii fuerint addicti, ex variis colligitur, quae de ipsis in S. Litteris dicuntur. Electi enim fuerunt in Diacons viri pleni Spiritu S. et sapientia (3), et inaugurati ab Apostolis per manuum impositionem et orationem (4), quo ritu generatim etiam superioris ordinis ministri sacri constituti sunt (5), et Spiritus S. gratia collata fuit (6), quae autem ex sola institutione Christi repeti potest. Ideo etiam Diaconi ab Apostolis electi munera sacra vere obierunt. Nam Stephanus evangelium praedicavit (7), et Philippus Samaritanos baptizavit (8), Paulus (9) Diaconos Episcopo coniungit.

2. Diaconi in Ecclesia semper, et ubique ut ministri sacri, divinitus instituti considerati fuerunt. Praeter loca (§ praec.) citata, alia quoque ad id probandum adduci possunt. *S. Ignatius* (10) scribit: « Oportet et Diaconos ministros existentes mysteriorum Iesu Christi secundum omnem modum omnibus placere; non enim ciborum, et potuum sunt ministri, sed Ecclesiae Dei. » — *S. Cyprianus* (11) Diaconos vocat Episcopatus et Ecclesiae ministros, et (12) docet, eos ad Altaris ministerium ab Apostolis assumtos fuisse. Similia his inveniuntur apud *Clem. Alex.* (13), *Tertullian.* (14), *Origenem* (15). Et licet *S. Hieronymus*, ut nonnullorum Diaconorum arrogantiam reprimeret, ex officio ignobiliori eos nominet « mensarum, et viduarum ministros (16), ipsis tamen ministerium sacrum haud denegat. » Nam (17) ministerii sacri « tertium gradum Diaconum » vocat; affirmat (18) eos partem esse Cleri; scribit (19) Diaconos esse in Ecclesia, quod Levitae erant in Synagoga, et (20) docet, iubente Episcopo Diaconum baptisma conferre. — Constat etiam ex plurimis monumentis antiquis, Diaconos semper ad obeunda sacra ministeria adhibitos fuisse, sic e. g. per ipsos

(1) De Ord. P. 2, art. 2 ad 5.
(2) Act. 6. (3) V. 3. (4) V. 6. Act. 13, 2 etc. Act. 14, 22.
(6) I Tim. 4. I Tim. 1, 6.
(7) Act. 6, 9. (8) Act. 8, 12.
(9) Philipp. 1, 1; I Tim. III, 8.
(10) Ep. ad Trallenses. (11) Ep. 65.
(12) Ep. 68. (13) L. 6 Strom. (14) L. de bapt.
(15) Lib. 2 in Ep. ad Rom. c. 6.
(16) Epist. ad Evang.
(17) In Epist. ad Heliodor. n. 14.
(18) L. II adv. Iovin.
(19) Epist. ad Evangel.
(20) Adv. Lucif.

Eucharistia ad absentes mittebatur, etc. Memoratu dignus est canon 14 Concilii *Nicaeni*, in quo dicitur: *Neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi* (diaconi), *qui offerendi sacrificii non habent facultatem, his, qui offerunt, corpus Christi porrigant. — Sed* Diaconi *accipiant secundum ordinem post Presbyteros ab Episcopo, vel a Presbytero S. Communionem. Quodsi non fuerit in praesenti vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferant, et edant.* Eodem modo in aliis Conciliis plurimis Diaconi Episcopis, et ministris iunguntur, et ipsis ministerium sacrum attribuitur. Iure ergo Concilium *Tridentinum* definivit (1): *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat Episcopis, Presbyteris, et Ministris, anathema sit.* Sub ministris autem comprehendit ad minus Diaconos Presbyteris proximiores. De fide ideo non est, Subdiaconatum et Ordines minores esse institutionis divinae (2).

Nota. Synodus Quini-sexta, seu Trullana equidem declaravit, septem primis Diaconis concreditum non fuisse ministerium sacrum. Sed haud magni ponderis est huiusce synodi auctoritas nunquam a Romana Sede approbatae, et tum in aliis, tum in hac quoque re ab antiquiori traditione deflectentis.

§. 271.

III. De Hierarchia in genere.

Ex his, quas hucusque recensuimus, sacris personis, videlicet Episcopis cum eorum Primate, Presbyteris et ministris constare definierunt Tridentini Patres (3). Est autem *Hierarchia*, nomen si spectes, sacer principatus, significatque hoc loco ministerium sacrum, certis inter se gradibus distinctum, praeditumque potestate a Christo concessa, ad obtinendum finem necessaria, ad quem divinitus est institutum. — Uti vero potestas Ecclesiae duplex est, una, quae ad administranda sacra, et alia, quae ad regendos fideles ordinatur, ita etiam hierarchia alia est *ordinis*, et alia *iurisdictionis*. In utraque varii gradus dantur vel *divinae*, vel *humanae* institutionis.

1. Hierarchia ordinis divina ordinatione constituta consistit ex *Episcopis*, *Presbyteris* et *Diaconis*. De *Subdiaconis* disputatur, an sint divinae, vel humanae, seu ecclesiasticae institutionis; hisce inferiores gradus, Ordines minores dicti, nimirum *Acolythi*, *Exorcistae*, *Lectores*, et *Ostiarii* humanae institutioni communiter attribuuntur.

2. Hierarchia iurisdictionis divinitus instituta consistit ex *Primate*, et ex *Episcopis*. Sed ex humana, seu ecclesiastica institutione inter Primatem et Episcopos gradus intermedii dantur, nimirum *Metropolitae*, seu Archiepiscopi, quibus Episcopi suffraganei subsunt, *Primates nationum*, quorum auctoritas super omnes tum Archiepiscopos, tum Episcopos eiusdem nationis eminet, et *Patriarchae*, quibus etiam variarum nationum Episcopi subiici consueverunt (4).

Nota. In exposito hactenus Ecclesiae statu nihil est, quod Protestantes offendat. Omnia enim, quae de Ecclesiae potestate et constitutione dicta sunt, habent fundamentum in S. Scriptura sicut in perpetua et universali traditione; et omnia conducunt ad finem Ecclesiae promovendum. Ex omnibus ideo etiam elucet sapientia, bonitas et potentia Christi (5).

(1) Sess. 23, can. 6.
(2) Klüpfel t. II, lit. II, §. III.
(3) Sess. 23, can 6.
(4) Cf. Moehler Symb. §. 45.
(5) Dobmayr t. 4, §. 16. Cf. Klee t. 1,

CAPUT IV.

DE ECCLESIAE VISIBILITATE, EIUSQUE MEMBRIS.

§. 272.

Momentum doctrinae.

Protestantes, ducibus Luthero, Zwinglio, Calvino, aliisque, non ex alia ratione se ab Ecclesia Romano-catholica separarunt, nisi quia contendebant, hanc a doctrina Christi defecisse, atque factam esse synagogam satanae. Ideo clamitabant, Reformatione opus esse, ex qua iterum vera Christi Ecclesia prodiret. Cum autem Catholici omni iure ipsis reponerent, veram Christi Ecclesiam nunquam deficere posse, quia regni Christi non erit finis (1), quia portae inferi nunquam praevalebunt adversus Ecclesiam (2), quia Christus se semper cum Ecclesia docente futurum esse spopondit (3), etc. etc., Protestantes, ut vim invicti huius argumenti effugerent, cum aliam visibilem Christi Ecclesiam praeter Romano-catholicam assignare neque possent, neque vellent, statuerunt, dari Ecclesiam prorsus invisibilem, quam constituant iusti signis externis non conspicui, sed interna recta fide et caritate animati; in hac autem Ecclesia invisibili, quae semper, licet non conspicuo modo, perdurat, promissiones divinas verificatas fuisse, asseruerunt. Ad inane hoc effugium adversariis penitus praecludendum, ostendere oportet, Ecclesiam a Christo institutam necessario visibilem esse, et hanc solam esse illam, in qua promissiones Christi verificari debent. Ideo de *Ecclesiae visibilitate*, et de *ipsius membris* agendum est.

ARTICULUS I.

Ecclesiae visibilitas probatur.

§. 273.

Ecclesiam a Christo ita institutam esse, ut necessario sit visibilis, et conspicua, solidissimis argumentis probari potest, ex *genuina Ecclesiae notione*, ex *S. Bibliis*, ex *constanti Traditione*, et ex *ratione theologica* petitis.

§. 274.

I. Ex genuina Ecclesiae notione.

Iuxta Catholicos Ecclesia vera Christi est coetus hominum eiusdem christianae fidei professione, et eorundem Sacramentorum participatione colligatus, sub regimine legitimorum pastorum a Christo institutus. — Si haec definitio genuina, vera, recta est, necessario Ecclesia est visibilis, quia tunc consistit ex hominibus, signis externis, seu visibilibus coniunctis; nam fidei professio auditur, Sacramentorum, utpote signorum externorum, participatio conspicitur, et subiectio fieri non potest, nisi Rectores suos subditos, et subditi suos Rectores manifeste cognoscant. — Sed tradita definitio Ecclesiae genuina, vera et recta, i. e. institutioni Christi omnino conformis est. — Nam Christus non solum homines visibiles (4) ad Ecclesiam suam vocavit, neque solum internam fidem (5) exegit, sed voluit etiam ac praecepit, ut omnes triplici externo ac visibili vinculo inter se colligentur. Christus enim externam praecipit fidei professionem; ait enim: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo* (6): et: *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum* (7). Ideo etiam Paulus (8) scribit: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit*

(1) Luc. 1, 33. (2) Matth. 16. (3) Matth. 28. (4) Matth. 28, 19. (5) Io. 3, 15 etc. (6) Matth. 10, 32. (7) Luc. 9, 26. (8) Rom. 10, 10.

ad salutem. Christus etiam *baptismum* praecipit (1), sine quo *nemo potest introire in regnum Dei* (2), imo et visibilem coenam, seu Eucharistiam instituit, quae continuo celebrari (3) et de qua omnes participare debent (4). Christus denique instituit magisterium authenticum (Cap. II.) et imperium sacrum (Cap. III.) cui omnes ita se subiicere tenentur, ut si illud non audierint, inter Ethnicos et Publicanos sint recensendi. — Tradita ergo Ecclesiae definitio genuina, vera et recta, i. e. institutioni Christi plane conformis est, et ideo Ecclesiae a Christo institutae visibilitas omni iure adstruitur.

Nota. Societas ex hominibus consistens necessario visibilis est. Possunt equidem dari societates occultae, dum earundem membra se per externa signa nullo modo manifestant, quod plerumque fit, si contra societatem publicam et potentiorem mala molimina suscipiuntur. Sed et huiusce generis membra saltem inter se externis et visibilibus signis uniri debent, ut veri nominis societatem constituant. Quis autem dicet, huius generis societatem instituisse Christum, qui Apostolis dixit: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, praedicate super tecta, et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* etc. (5)?

§. 375.

II. Ex S. Bibliis.

Ecclesiam Christi visibilem, et omnibus conspicuam esse, clarissime tum ex *vaticiniis V. T.*, tum ex *effatis Christi*, tum ex *dictis S. Pauli* elucet.

(1) Matth. 28, 19. (2) Io. 3, 5.
(3) Luc. 22, 19 (4) Io. 6, 54.
(5) Matth. 10, 27. (6) Isa. 2, 2.
(7) Tr. 2 in Ep. Io. (8) Epist. 106.

1. Isaias Ecclesiam a Messia instituendam praedicens ait: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes* (6). Ecclesia ergo Messiae comparatur monti, super colles elevato, atque ideo ita conspicuo, ut omnes illam agnoscere, et in illam ingredi possint. Ps. XVIII, 5 de Messia dicitur: *In sole posuit tabernaculum suum*, i. e. in manifesto, ait *S. Augustinus* (7). Idem S. Doctor (8) scribit: « Ipsa est Ecclesia in sole posita, hoc est, in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terrae. »

2. Christus ipse Ecclesiam suam rebus externis et visibilibus comparavit. Sic Apostolos, quos ad docendum misit, luci mundi, seu soli, Ecclesiam autem, per ipsos congregandam, civitati supra montem positae, et hac de causa omnibus conspicuae aequiparavit; ait enim (9): *Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi super montem posita. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt;* quibus verbis Christus perspicue declaravit se ideo Ecclesiam per Apostolos congregandam visibilem velle, ut omnes illam agnoscere, et ingredi possint. Ideo *S. Augustinus* (10) ait: « Extat Ecclesia cunctis clara, atque perspicua, quippe civitas, quae abscondi non potest super montem constituta. » — Similiter Christus regnum coelorum i. e. Ecclesiam suam comparavit *agro* (11), *convivio nuptiali*, ad quod publica fit invitatio (12), *decem virginibus, lampades accipientibus* (13), ergo rebus externis, et visibilibus, cum quibus societas oc-

(9) Matth. 5, 14 etc.
(10) L. 2 c. Crescon., c. 56.
(11) Matth. 13, 24 etc. (12) Matth. 22, 2 etc.
(13) Matth. 25, 1 etc.

cultа, et invisibilis nonnisi ineptissime comparari posset.

3. Visibilitas Ecclesiae etiam clarissime proponitur a Paulo dum (1) scribit: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Itaque Ecclesia non solum corpori visibili comparatur, sed expresse etiam docetur, in hoc corpore varia membra adesse, quae varios actus habent. Haec autem apertissime Ecclesiae invisibili opponuntur, in qua omnia membra eundem actum, i. e. rectam fidem et caritatem habent. — Praeterea Paulus inculcat non solum unitatem internam, quae in recta fide et caritate consistit, sed etiam unitatem externam, ut fideles sicut unum spiritum, ita etiam unum corpus constituant, inquit enim (2): Estote *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae, unus Dominus, una fides, unum baptisma:* ergo non solum in unitate fidei, et spiritus, sed etiam in unitate corporis, et baptismatis vera efformatur Ecclesia Christi, ad quam non spectat, qui unitate corporis, et baptismatis ei non alligatur. Demum Ecclesia a Paulo etiam *domui*, i. e. iterum rei visibili comparatur, eademque columna et firmamentum veritatis dicitur.

Nota. Protestantes ex iisdem S. Bibliis, e quibus Ecclesiae visibilitatem evicimus, contrarium eruere tentant, male divina eloquia exponentes. Eadem fere obiicere solent falso mysticismo addicti, ac ideo externa et visibilia spernentes.

Obi. 1. Christus loquens de Ecclesia sua, inquit: *Non venit regnum Dei cum observatione, neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est* (3); negatur ergo, Ecclesiam visibiliter advenire, et expresse dicitur, regnum Dei in nobis esse, scilicet per fidem et caritatem.

Resp. Ex hac citati loci expositione magnum absurdum sequitur. Verba enim Christi ad Pharisaeos directa sunt; hisce ergo, qui nec fidem in Christum, nec caritatem habuerunt, Christus dixisset: Regnum Dei, i. e. Ecclesia mea in vobis est. Ex adiunctis recta huius loci interpretatio hauritur. Pharisaei enim, qui Messiam ut regem temporalem, et valde magnificum exspectabant, Christum interrogarunt: *Quando venit regnum Dei?* — et Christus reposuit, regnum Dei per Messiam instituendum non advenire cum signis mundanis, non cum magnifica pompa, ex qua reges temporales dignosci, et quasi digito monstrari solent, sed *regnum Dei*, Messias, actu iam advenit, et *intra vos*, non in cordibus vestris, sed in terra, et quidem in regione vestra *est*, non invisibili, sed visibili modo, quia Christus visibili modo adventum regni annunciavit (4), se a Patre missum dixit, discipulos collegit etc.

Obi. 2. Petrus fidelibus scribit: *Et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias* (5). Ergo Ecclesia dicitur *domus spiritualis*, i. e. invisibilis, in qua *hostiae spirituales*, i. e. invisibiles per fidem et caritatem offeruntur.

Resp. Petrus Ecclesiam rei materiali et visibili comparat; vocat enim illam *domum*, si autem hanc *spiritualem* nominat, id non ideo fit, quia invisibilis, sed quia finis eius spiritualis est. Ex eadem ra-

(1) Rom. 12, 4 etc. (2) Eph. 4, 2 etc. (3) Luc. 17, 20 etc. (4) Matth 4, 17 etc (5) I Petr. 2, 5.

tione etiam conventus Religiosorum domus spirituales nominari solent, an ideo invisibiles sunt? Spirituales profecto hostiae per fidem et caritem in Ecclesia offerendae sunt, sed a membris, quae visibiliter-sicut lapides domui-Ecclesiae uniuntur.

Obi. 3. Iam in V.T. praedictum est, Ecclesiam Messiae prorsus spiritualem et invisibilem fore: nam in Ieremia Deus dicit: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi mihi erunt in populum* (1). Cum vaticinio isto consonant verba Christi: *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate* (2). Denique Paulus dicit: *Non accessistis ad tractabilem montem* (3), *sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis* (4); quibus verbis Ecclesia Christi aperte tractabili monti, seu visibili societate opponitur.

Resp. a) In loco citato Ieremiae non stricte de Ecclesia agitur, sed de lege nova comparative ad veterem, et significatur, quod lex nova sit lex gratiae et caritatis, seu ipsa gratia, et caritas scripta et diffusa in cordibus; lex vetus autem sit lex timoris, multis externis caeremoniis onusta; ex quo sequitur, non quod Ecclesia sit invisibilis, sed quod plura invisibilia contineat, nempe virtutes et dona Spiritus S. b) Christus in citatis verbis tum cultus mosaici abolitionem, tum novi cultus excellentiam docet, qui totus in id tendit, ut virtute corroboremur per spiritum in interiorem hominem (5). Adoratio autem in spiritu et veritate externum Dei cultum non excludit (§ 47), neque Ecclesiam reddit invisibilem, alias sequeretur, destruenda esse templa, et removendos ritus omnes et caeremonias. — — c) Paulus nullatenus negat visibilitatem Ecclesiae, quam *Sion montem*, et *civitatem* nuncupat. Comparationem ergo instituit inter montem et montem, Ecclesiam mosaicam et Ecclesiam christianam, utramque visibilem, sed quoad modum existendi, internam naturam, praecepta, gratias, ritus etc. diversam. Notandum porro est, multos cum S. Thoma locum Pauli citatum non de Ecclesia militante, sed de triumphante exponere, quia (6) dicit: *Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Ierusalem coelestem, et multorum millium Angelorum frequentiam*, etc.

(1) Ierem. 31, 33. (2) Io. 4, 23.
(3) Hebr. 12, 18. (4) Ibid. 22.
(5) Eph. 3. (6) V. 22.
(7) L. 5 adv. haer. c. 20, n. 1.

§. 276.

III. Ex constanti Traditione.

Ecclesiam Christi semper ut societatem visibilem habitam fuisse, tum ex *SS. Patribus*, tum ex *historia*, tum ex *ipsis adversariis* apparet.

1. SS. Patres passim Ecclesiae visibilitatem adstruunt. *S. Irenaeus* (7) de Ecclesia dicit: « Haec est lucerna Christi baiulans lucem, » ex quo concludit, per Ecclesiam omnes facile rectam viam videre, et fidei veritates cognoscere posse. *Origenes* (8) ait: « Ecclesia plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem; » et (9) « Ecclesiam visibilem esse » dicit. *S. Cyprianus* (10) inquit: « Ecclesia Domini luce perfusa est, per totum orbem radios suos porrigit. » *S. Chrysostomus* (11) ait: « Facilius est solem extingui, quam Ecclesiam deleri. » — *S. Hieronymus* de Ecclesia intelligit, et exponit citata verba Is. II, eamque

(8) Hom. 30 in Matth.
(9) L. 2 c. Cels.
(10) De unit. Eccl. n. 4
(11) Hom. 4 in Isa 6

ideo omnibus conspicuam esse probat.—*S. Augustinus* (1) ait: « Christum non vidimus, hanc (Ecclesiam) videmus, de illo credamus. Apostoli e contra illum videbant, de ista credebant... Videmus nos Ecclesiam, credamus in Christum, quem non videmus, et tenentes quod videmus, perveniemus ad eum, quem nondum videmus. » Idem (2) scribit: « Nonne ille lapis (Ecclesia Christi) crevit, et factus est mons magnus, et implevit universum orbem terrarum? nonne digito ostendimus istum montem?... nonne Christi Ecclesia aperta est? nonne obtinuit omnes gentes? — Ecce civitas, de qua dictum est: *Non potest civitas abscondi supra montem posita*, et: *erit in novissimis diebus, inquit* Isaias, *praeparatus mons domus Domini manifestus, paratus in cacumine montium.* Quid tam manifestum, quam mons? — Sed sunt et montes ignoti, quia in una terrarum parte positi sunt (haeretici, Donatistae etc.)..... ille autem mons non sic... mons est super cacumina montium. » Ideo inferius contra Donatistas, qui Ecclesiae visibilitatem negarunt, ut affirmare possent, se invisibili modo ubique dilatatos esse, et iure catholicos dici, egregie dicit: « In tenebris ambulant, et nesciunt quo eunt, quia tenebrae excaecaverunt oculos eorum; montem (veram Ecclesiam) non vident; non mireris; oculos non habent: unde oculos non habent? quia tenebrae excaecaverunt eos. » — Demum *S. Gregorius M.* (3) ait: « Quia a bonis malisque haec vita communiter ducitur, nunc Ecclesia ex utrorumque numero visibiliter congregatur. » —

2. Ipsa Ecclesiae christianae historia eiusdem visibilitatis testis est. A Christo enim usque ad nos Ecclesiae fata, persecutiones, incrementa, et decrementa etc. enarrantur. Anne societatis invisibilis et occultae historia sic describi potest? — — In omni quoque tempore fideles cognoverunt suos pastores, et pastores cognoverunt suos subditos, quos docuerunt, quibus Sacramenta administrarunt, leges promulgarunt etc. Haec autem omnia, cum nonnisi in Ecclesia visibili contingere potuerint, perpetuam et universalem de Ecclesiae visibilitate persuasionem ostendunt.

3. Protestantes practice Ecclesiis suis visibilitatem adscribunt, quia earundem quoque fata, incrementa et decrementa etc. describunt. Theoretice equidem de Ecclesiae visibilitate inconstantissime loquuntur, et nonnunquam Ecclesiae nomine coetum electorum intelligunt, qui prorsus est invisibilis; saepe tamen, rei evidentia coacti, Ecclesiam visibilem admiserunt, quam Ecclesiam vocatorum nominant. Plura eorum testimonia referunt doctiss. fratres Wallenburgici (4). Sic confessio Saxonica (5) ait: « Non igitur de Ecclesia tanquam de idea Platonica loquimur, sed Ecclesiam monstramus, quae conspici, et exaudiri potest. »— Et nobilis inter Lutheranos Phil. Melanchton in locis communibus de Ecclesia ait: « Quotiescunque de Ecclesia cogitamus, intueamur coetum vocatorum, qui est Ecclesia visibilis, nec alibi electos ullos esse somniemus, nisi in hoc ipso coetu visibili. »

§. 277.

IV. Ex ratione theologica.

Christus in mundum venit, ut omnes homines rediméret, et omnibus salutis aditum aperiret (6). Ut autem homines aeternam salutem

(1) Serm. 138, n. 5. (2) Tr. 1 in Ep. Ioan.
(3) L. 31 Mor. n. 98.

(4) L. 1 de unit. Eccl. c. 5. (5) Art. 12
(6) Lc. 3, 16. Rom. 8, 32. 1 Tim. 2, 4.

consequantur, ceu conditio requiritur, ut per baptismum Ecclesiam ingrediantur, et in ipsa permaneant per fidem, quae per caritatem operatur (1). Idcirco Christus Apostolis suis praeceptum dedit, omnes Gentes docendi et baptizandi, atque sic Ecclesiae suae aggregandi (2). Ex hac autem Christi ordinatione necessario sequitur, non invisibilem ab eo institutam esse Ecclesiam, sed visibilem, et ita visibilem, ut insigni quadam claritate splenderet, et omnibus esset conspicua. Alias magnum absurdum sequeretur, scilicet quod homines praeceptum divinum haberent, quod adimplere non possint, et quod salutis via ipsis patefacta sit, quam tamen invenire non valeant. Omnia ergo, quae Dei voluntatem omnes homines salvandi, et quae Dei praeceptum, veram Christi Ecclesiam ingrediendi probant, huius quoque visibilitatem evincunt.

Nota. Adversarii ex ipso symbolo, quod recitamus, difficultatem contra Ecclesiae visibilitatem moverunt. Dixerunt enim: id, quod creditur, non videtur; atqui Ecclesia creditur, quia in symbolo dicimus: *Credo sanctam Ecclesiam catholicam;* ergo Ecclesia non videtur. — Ad hanc obiectionem e medio tollendam, propositio maior distinguenda est. Concedendum enim omnino est, id, quod creditur, non videri ex ea parte, ex qua est obiectum solius fidei; id autem non impedit, quominus ex alia parte, et sub alio respectu videri possit. Hoc in omnibus illis rebus occurrit, in quibus est aliquid apertum, quod oculis subiicitur, et aliquid occultum, quod fide apprehenditur: sic baptisma videtur, quatenus est ablutio; quatenus autem est sacramentum, gratiam conferens, creditur: Apostoli videbant humanitatem Christi, sed divinitatem, quam non videbant, credebant et adorabant. — Eodem modo Ecclesiam ut coetum hominum, eiusdem fidei professione, eorundem Sacramentorum participatione, et subiectione ad legitimos Pastores coniunctorum videmus, et eandem visibilibus notis insignitam cognoscimus, idcirco autem eam esse veram Christi Ecclesiam, esse in ea veram fidem, eam regi a Spiritu S. etc. credimus.

(1) Io. 3, 5. Gal. 4, 6.

(2) Matth. 28, 19.

(3) Io 3, 3.

ARTICULUS II.

De membris Ecclesiae.

§. 278.

Ut quis Ecclesiae membrum constituat, duae conditiones requiruntur. Requiritur enim 1. ut per baptismum Ecclesiam ingrediatur, quod Christus ipse (3) asseruit; ideo Act. II, 41 legitur: *Qui receperunt sermonem eius, baptizati sunt, et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia*, i. e. tria millia hominum, rectam fidem amplectentium, per baptismum Ecclesiae apposita, seu istius membra facta fuerunt. Passim hac ex ratione baptismus a SS. Patribus ianua Ecclesiae nominatur. Requiritur autem 2. ut idem in Ecclesia permaneat per eiusdem fidei professionem, per eorundem Sacramentorum participationem, et per subiectionem ad legitimos Pastores: id enim ex genuina Ecclesiae definitione (§. 274) iure deducitur. Omnes ergo, in quibus istae duae conditiones inveniuntur, sunt vera Ecclesiae membra: illi vero, in quibus aliquid de istis conditionibus deest, membra Ecclesiae dici non possunt. — His statutis facile est, varias quaestiones solvere, quae de membris Ecclesiae moveri solent.

§. 279.

I. Quinam sunt membra Ecclesiae?

Ecclesiae membra sunt non solum *iusti*, sed etiam *peccatores*, qui per baptismum Ecclesiam ingressi rectam fidem profitentur, et legitimis pastoribus subsunt. Illi sunt membra Ecclesiae viva, isti sunt membra Ecclesiae mortua, illi efficiunt Ecclesiam internam, hi cum illis efficiunt Ecclesiam externam, seu, ut alii dicunt, illi constituunt animam Ecclesiae, hi cum illis constituunt corpus Ecclesiae.

1. Iustos, qui non solum exterius rectam fidem profitentur, de Sacramentis participant, et legitimis pastoribus subiecti sunt, sed etiam interius viva fide et caritate animantur, esse vera Ecclesiae membra, nemo est, qui dubitat.

2. Peccatores vero membris Ecclesiae adnumerari posse, Saeculo IV negarunt *Audiani*, idemque fere Saeculo III senserant *Novatiani* et *Montanistae*. Facile autem est probare, etiam peccatores in vera Christi Ecclesia inveniri. a) Cum enim isti, licet gratia sanctificante destituti, tamen conditiones ad membrum Ecclesiae requisitas in se habeant, non est, cur ex numero membrorum Ecclesiae excludantur. b) Christus ipse sat clare indicavit, in Ecclesia sua praeter iustos, etiam peccatores futuros esse: ideo enim Ecclesiam suam comparavit *agro* (1), in quo cum tritico zizania crescunt; *sagenae* (2) missae in mare, et ex omni genere piscium congreganti, bonorum aeque ac malorum; *convivio* nuptiali (3), in quo comparuerat homo non indutus veste nuptiali, i. e. gratia sanctificante non ornatus; *decem virginibus* (4), ex quibus quinque sunt prudentes, et quinque fatuae. c) Praeterea Christus (5) praecipit, ut peccator privatim correptus, et non emendatus, denuntietur Ecclesiae, quam si non audierit, ab ea eiiciatur; ergo supponit peccatores in Ecclesia. Ideo etiam Apostolis, eorumque successoribus potestatem remittendi peccata dedit (6), et Sacramentum poenitentiae instituit, quo peccatores in Ecclesia resurgerent et sanarentur. d) SS. Patres quoque docent, Ecclesiam ex iustis et peccatoribus constare. Sic *S. Cyprianus* (7) ait: « Si videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut caritas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia semper cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus: nobis tantummodo laborandum est, ut frumentum esse possimus. » *S. Chrysostomus* (8) dicit: « Alioquin nec ex perfectis solum universa constat Dei Ecclesia; sed habet eos etiam, qui otio et socordiae se dedunt, mollemque et dissolutam vitam amplectuntur, et libenter serviunt voluptatibus: et quoniam est unum corpus tanquam ex una persona haec illa (Ecclesia) pronuntiat: *comprehenderunt me iniquitates meae*, etc. (9).» *S. Hieronymus* (10) ait: « Arca Noë Ecclesiae typus fuit... ut in illa omnium animalium genera, ita et in hac universarum et gentium et morum homines sunt; ut ibi pardus et hoedi, et lupus et agni, ita et hic iusti et peccatores, i. e. vasa aurea et argentea cum ligneis et fictilibus commorantur. » *S. Augustinus* (11) ait: « Nam et istos (graves peccatores) esse in domo (nempe in Ecclesia) negare non possumus, dicente Apostolo: in magna autem domo non solum aurea vasa sunt, vel argentea, sed et

(1) Matth. 13, 24. (2) Ibid. v. 47.
(3) Matth. 22, 11. (4) Matth. 25, 1.
(5) Matth. 18, 17. (6) Io. 20, 23.
(7) Ep. 50 ad Maximum.
(8) In Ps. 39. (9) Ps. 39, 16.
(10) In Dial. c. Lucif. (11) L. 7 de bapt. c. 51

lignea et fictilia (1). » Idem (2) inquit: « Nos fatemur, in Ecclesia bonos et malos esse, sed tanquam grana et paleas. » — *S. Gregorius* M. (3) dicit: « In Ecclesia nec mali sine bonis, nec boni sine malis esse possunt. »

Nota 1. Si Ecclesia dicitur Sponsa Christi, non habens maculam aut rugam, id intelligendum est vel de Ecclesia militante quoad fidei et morum doctrinam, quae corrumpi non potest, vel potius de Ecclesia triumphante, sicut sentit *S. Augustinus*, qui (4) scribit: « Ubicunque in his libris commemoravi Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, non sic accipiendum est, ac si iam sit, sed quae praeparetur, ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. » — Et dum Patres peccatores ab Ecclesia seiungere videntur, negant solum, ipsos ad Ecclesiam internam spectare (5).

Nota 2. Wicleffitae, et ex parte etiam Lutherani et Calviniani dixerunt, omnes et solos praedestinatos Ecclesiam Christi efficere. Id autem prorsus falsum est. Nam non omnes praedestinati semper Ecclesiae membra sunt; multi enim sunt, aut saltem esse possunt praedestinati, qui ad tempus nec ad animam, nec ad corpus Ecclesiae pertinent: sic. e. g. Saulus, dum dire Ecclesiam persecutus est, eius membrum non fuit. — Nec soli praedestinati sunt Ecclesiae membra; nam contingere potest, ut aliqui ad tempus sint viva Ecclesiae membra, et postea deficiant, labantur et reprobentur, sicut Iudas ex coetu Apostolorum defecit et reprobatus fuit.

(1) II Tim. 2, 20. (2) Tract. 6 in Ioan.
(3) Hom. 38 in Evang.
(4) L. 2 Retract. c. 18.
(5) Cf. Perrone tom. 8, 73.
(6) I Cor. 5, 12.
(7) V. Liebermann t. II, pag. 196. Perrone t. I, n. 196.
(8) V. Billuart t. VII, diss. III, art. II, § IV.

§. 280.

II. Quinam non sunt membra Ecclesiae?

Membra Ecclesiae non sunt, qui eidem se nullo modo adiunxerunt, vel qui ab eadem iterum recesserunt, vel qui auctoritate legitima ex illa electi sunt. Itaque membra Ecclesiae non sunt *Infideles*, *Haeretici*, *Schismatici*, et *Excommunicati*.

1. *Infideles* dicuntur illi, qui nunquam Ecclesiam per baptismum ingressi sunt, nec christianam fidem profitentur, nec de Sacramentis participant, nec subsunt legitimis pastoribus. Cum ergo omnes conditiones ad Ecclesiae membrum constituendum in infidelibus desint, dubium esse nequit, ipsos Ecclesiae membra non esse. Ideo S. Paulus (6) scribit: *Quid mihi de illis, qui foris sunt, iudicare?* nempe infideles vocat illos, qui foris, i. e. extra Ecclesiam sunt.

2. *Haeretici* vocantur illi, qui ab Ecclesiae fide recedunt, et in perversa sententia, spreta Ecclesiae docentis auctoritate, pertinaciter perseverant. Hi vocantur haeretici *formales*, ut distinguantur ab haereticis *materialibus*, qui omnino inculpabiliter errorem fidei oppositum tenent. Haeretici formales, seu culpabiliter, et pertinaciter aberrantes sunt vel *publici*, ab Ecclesia solemni iudicio declarati, aut visibiliter alienae sectae adhaerentes, vel *occulti*, qui visibiliter ab Ecclesia seiuncti, aut expulsi non sunt. Iam — haereticos materiales esse vera Ecclesiae membra Theologi communiter sentiunt. Imo graves Theologi docent, etiam haereticos formales occultos, sicut peccatores, non quidem ad animam, sed tamen ad corpus Ecclesiae spectare (7), licet alii aliter sentiant (8): — — Sed de haereticis formalibus publicis certum est, ipsos Ecclesiae membra nullatenus esse. Nam a)

cum rectam fidem non profiteantur, neque subsint legitimis pastoribus, duae essentiales conditiones ad membrum Ecclesiae constituendum ipsis aperte desunt. b) Id ex ipsa S. Scriptura non obscure infertur. Nam Christus ipse in Apocalypsi acriter obiurgat Angelum, seu Episcopum Pergami, eoquod pateretur in sua Ecclesia quosdam *tenentes doctrinam Nicolaitarum*, et idcirco ipsi poenitentiam iniungit (1). Paulus (2) anathema dicit iis, qui docerent diversam doctrinam ab illa, quam ipse iis tradiderat. Ioannes (3) cum dixisset: *Omnis, qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet*, addit (4): *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis; qui enim dicit illi Ave, communicat operibus eius malignis.* c) Patres haereticos a corpore Ecclesiae separatos pronuntiant. *Tertullianus* (5) ait: « Ecclesia in arca Noë et Petri navicula figurata est, a qua veluti per spiritualem mortem separantur haeretici — non credendo, quod Christianos facit, et rescindendo, quod antea crediderunt (6). » *S. Hieronymus* (7) ait: « Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non a Domino Iesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses, etc. scito, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. » *S. Augustinus* (8) ait: « Qui non credunt, Christum in carne venisse, etiamsi per omnes terras inveniantur, per quas est Ecclesia, non utique sunt in Ecclesia, quia ipsum caput Ecclesiae non tenent, quod est Christus Iesus. » d) Idem senserunt Concilia oecumenica. Sic Nicaenum I (9) iubet, impositione manuum recipi Novatianos, *ad Ecclesiam catholicam redire cupientes:* an forte ad Ecclesiam iam pertinebant, qui ad eam redire cupiebant? — Neque alia mens fuit concilii secundi oecumenici, cum haereticos omnes ea conditione admitti ad Ecclesiam decernit, ut profiteantur, *se omnem detestari haeresin, quam sancta, catholica et apostolica damnat Ecclesia.* Idem manifestum erit, omnes synodos tum generales, tum particulares percurrenti.

3. *Schismatici* dicuntur, qui penitus et pertinaciter sese subducunt ab obedientia et subiectione erga legitimos Pastores. Hi quoque ideo desinunt esse Ecclesiae membra. a) Deest enim ipsis ultima conditio, ad membrum Ecclesiae constituendum requisita. b) Ad Schismaticos certe (sicut etiam ad haereticos) pertinent verba Christi: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus* (10). c) Patres quoque de Schismaticis, sicut de haereticis idem iudicium ferunt. *S. Cyprianus* (11) scribit: « Frustra sibi blandiuntur, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt; » nam (12) « Episcopus in Ecclesia est, et Ecclesia in Episcopo, et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non est. » *S. Hieronymus* (13) ait: « Schismatici separant deceptam multitudinem ab Ecclesia Dei, et rudes animas, quae nuper Christi concepere sermonem, abrumpunt et dividunt. » *S. Augustinus* (14) ita disserit: « Haeretici de Deo falsa sentiendo, ipsam fidem violant: Schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna caritate dissiliunt,

(1) Apoc. 2, 15. (2) Gal. 1, 6.
(3) II Ep. ad Electam. (4) V. 10 et 11.
(5) L. de bapt. c. 8.
(6) De carne Christi c. 2.
(7) In dial. c. Lucif.
(8) L. de unit. Eccl. c. 4.
(9) Can. 8. (10) Matth. 18.
(11) Ep. 51. (12) Ep. 69.
(13) In cap. 1 Amos.
(14) fid. et symb. c. 10.

quamvis ea credant, quae credimus. Quapropter nec haereticus pertinet ad Ecclesiam, quae diligit Deum, nec Schismaticus, quoniam diliget proximum etc. » S. *Fulgentius* (1) ait: « Firmissime tene, Haereticos, atque Schismaticos, qui extra Ecclesiam catholicam praesentem finiunt vitam, in ignem aeternum ituros. » —

4. *Excommunicati*, uti ipsa vox innuit, a corpore Ecclesiae abscinduntur, seu a Communione Ecclesiae excluduntur, et ideo membra Ecclesiae non amplius manent. Intelligendum id autem est de excommunicatione, quam maiorem dicunt. Caeterum iam antea probatum est, hanc poenam infligendi potestatem a Christo Apostolis traditam fuisse (§. 247), eamque ad Apostolorum successores transiisse (§. 250).

Nota. Quaestio mota est, an *Catechumeni* sint Ecclesiae membra, vel non: in utramque partem hac de re disputatum est in scholis. Quia Catechumeni per baptismum Ecclesiam ingressi non sunt, ideo plerique Theologi docuerunt, illos Ecclesiae membra nondum esse. Quia vero Ecclesia pro Catechumenis ante baptismum mortuis orasse, et sacrificasse legitur, e. g. pro Imperatore Valentiniano, cum tamen pro suis tantum membris orare et sacrificare soleat, ideo alii Theologi Catechumenos ad membra Ecclesiae referendos esse censuerunt. — Klüpfel (2) sequentibus verbis controversiam dirimere tentat. « Arbitramur, ait, rem omnem facile componi, si habeatur prae oculis distinctio inter Ecclesiam visibilem et invisibilem. Affirmandum videlicet est, ad Ecclesiam invisibilem pertinere Catechumenos, si sincere credunt, atque ex animo Christo, ut par est, adhaerent; at non pertinere ad Ecclesiam visibilem, cui nemo adscribitur ceu membrum, seu civis, nisi baptizatus etc. » Sed haec responsio admitti nullatenus potest, quia iuxta doctrinam catholicam nemo ad Ecclesiam internam seu invisibilem pertinet, nisi etiam ad externam et visibilem pertineat. Praeterea absonum est, Catechumenos Ecclesiae invisibili, non autem visibili Ecclesiae adnumerare, cum tamen externo et visibili modo ingressum in Ecclesiam, et baptismum petant, et ideo publice circa fidei doctrinam instruantur. — Alio ergo modo controversia dirimenda est. Dicendum nimirum est, Catechumenos utpote non baptizatos per se Ecclesiae membra non esse. Sed tamen, quia baptismus fluminis per baptismum flaminis, seu desiderii suppleri potest, asserendum est, Catechumenos ita comparatos, ut ardenti, sincero et efficaci baptismum suscipiendi desiderio animarentur, eo ipso Ecclesiam visibilem ingressos, huiusque membra constitutos fuisse. Et quia Ecclesia tale desiderium in Catechumenis, ante baptismum mortuis, praecipue si perspicua illius signa in vita ediderint, supposuit, ideo pro illis oravit et sacrificavit. Hoc in sensu S. Augustinus (3) ita Catechumenos alloquitur: « Nondum quidem adhuc per baptismum renati estis, sed per crucis signum in utero s. matris Ecclesiae iam concepti estis. » —

(1) L. de fide ad Petr. c. 38.

CAPUT V.

DE NOTIS VERAE ECCLESIAE.

§. 281.

Momentum doctrinae.

Christus, ut ex dictis patet, Ecclesiam instituit, in qua tum magisterium authenticum et infallibile, tum imperium sacrum fundavit, ut homines in illa rectam fidem tenen-

(2) T. II, lib. II, §. 115, not. 1.
(3) L. 2 de Symb.

les, moresque suos huic conformantes aeternam salutem consequantur. Maximi idcirco momenti est, ut homines hanc veram Christi Ecclesiam cognoscant, in qua ex summa Dei bonitate ad salutem via ipsis patefacta est. — Sed variae dantur religiosae societates, quae de nomine verae Christi Ecclesiae gloriantur. Se veram esse Christi Ecclesiam dicit Ecclesia Romano-catholica; idem sibi vindicare student Ecclesiae Protestantium, Lutherana, Calviniana, Anglicana etc. idem sibi attribuere tentat Ecclesia schismatica Graeca. — Ast - sicut veritas una est, ita etiam nonnisi unica Ecclesia vera, i. e. institutioni Christi plane conformis esse potest. Quomodo vero haec dignosci, et a qualibet falsa secerni potest? id fit per characteres, seu per notas, quae verae Ecclesiae ita competunt, ut eam a qualibet falsa satis clare et certe distinguant. Dubitari enim non potest, Christum, qui vult, ut omnes homines salvi fiant, et ad agnitionem veritatis veniant (1), qui ideo in terram descendit (2) et atrocissimam mortem subiit, etiam hac ex parte hominibus subvenisse, ne in re tanti momenti aberrent. Imo si ipsam christianam revelationem sedulo et absque partium studio perpendamus, facile invenimus, Christum Ecclesiam veram, a se institutam, talibus notis insignivisse, ut a qualibet Ecclesia falsa secerni possit. Quamobrem summi omnino momenti est, ut investigemus, quibusnam notis Christus Ecclesiam suam insignitam esse voluerit, et cuinam Ecclesiae istae notae competant. Ideo primo *theoria de verae Ecclesiae notis statuenda*, ac dein *variis, quae existunt, Ecclesiis applicanda est*, ut sic unice vera Christi Ecclesia dignoscatur.

(1) I Tim. 2, 4. (2) Io. 3.

ARTICULUS I.

Theoria de Notis verae Ecclesiae.

§. 282.

Notae verae Ecclesiae, ut fini suo satisfaciant, et hanc a qualibet falsa secernant, debent esse 1. *certae*, i. e. certo constare debet, eas in vera Ecclesia ex ipsa Christi institutione et ordinatione necessario inveniri; 2. *publicae*, seu visibiles et conspicuae, ita ut ab omnibus cognosci possint; 3. *propriae* verae Ecclesiae, ita ut saltem collective omnes ipsi soli, et non alii Ecclesiae competere possint. Tales notas in Ecclesia Christi inveniri, negant Remonstrantes Limborchius et Episcopius. Lutherani et Calviniani iam admittunt, Christi Ecclesiam notis aliquibus insignitam esse debere. Duas autem tantummodo assignant, nimirum puram verbi divini praedicationem, et legitimam Sacramentorum administrationem. Cum vero in qualibet Ecclesia, quae se Christi esse dicit, verbum divinum praedicetur, et Sacramenta, saltem Baptismus et Eucharistia administrentur, nova quaestio oritur, in quanam Ecclesia praedicatio verbi divini sit pura, et Sacramentorum administratio legitima. Ad id autem diiudicandum aliis notis opus est. — Ideo omni iure Catholici alias notas statuunt, per quas vera Ecclesia a qualibet falsa secernatur. — Equidem etiam inter hos circa notarum numerum non omnes consentiunt; alii enim quindecim, alii septem etc. assignant: communior tamen Catholicorum sententia quator statuit Ecclesiae notas, quae sunt *Unitas*, *Sanctitas*, *Catholicitas* et *Apostolicitas*. Istae notae verae Christi Ecclesiae iam in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano attribuuntur, in quo professio fidei legitur: *credo... in unam, sanctam,*

catholicam, et apostolicam Ecclesiam. Atque ipsum Christum voluisse, ut vera ipsius Ecclesia hisce notis insignita sit, et per istas a qualibet falsa secerni possit, ex dicendis apparebit. Id enim de qualibet nota singillatim facile probatur.

Nota. Si Protestantes nihil aliud vellent, quam in vera Christi Ecclesia puram semper conservari verbi Dei praedicationem ac legitimum Sacramentorum usum, quo tendere videntur omnia, quae coacervant S. Scripturae, et SS. Patrum testimonia, nulla prorsus nobis esset cum iis controversia: nos enim ipsi Ecclesiam definientes eam constitui docuimus per verae fidei professionem, ac legitimum Sacramentorum usum. Verum hic non quaeritur, in quo sita sit Ecclesiae natura, sed potius quomodo possit certis signis cognosci. Absurdum autem videtur, talia verae Ecclesiae signa constitui, quae vix a doctis Theologis, ab aliis vero fidelibus, qui maximam partem constituunt ne vix quidem cognosci possunt. Ut enim cognosceretur, ubinam pura sit verbi Dei praedicatio, oportet diligentissimo atque accurato examine singula praedicationis verbi Dei et Sacramentorum administrationis puncta perpendere, ea cum S. Litteris et cum Traditione conferre, adversariorum difficultates audire et dispungere, aliaque huius generis non pauca examinis media adhibere, quae rudibus impossibilia, et sapientibus quoque perdifficilia sunt. At vero omnes, nemine excepto, debent veram Dei Ecclesiam cognoscere, eique interius exteriusque coniungi, ut possint in ea salutem aeternam consequi: alia igitur quaerenda sunt verae Ecclesiae signa, quorum ope quilibet possit eam certo cognoscere, atque a falsis communionibus discernere. Sicuti autem duae a Protestantibus assignatae notae publicae non sunt, ita ut ab omnibus cognosci possint, ita nec certae sunt, quia neque in S. Scriptura neque in Traditione ut characteres proponuntur, ex quibus vera Christi Ecclesia dignoscenda sit; quod clarius apparebit, si argumenta Protestantium, pro sententia sua allata, examinentur et refellantur.

Obi. 1. In S. Scriptura sincera verbi Dei praedicatio, et legitimus Sacramentorum usus ut notae verae Ecclesiae proponuntur. Christus enim Io. X, 27 ait: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me.* Luc. XI, 28 dicit: *Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt.* Io. XV, 3 discipulos suos ita alloquitur: *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis:* at illa est vera Ecclesia, quae munda est coram Deo. Marc. XVI, 16 legitur: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit*, et Ephes. V, 27 Christus dicitur *mundans eam* (Ecclesiam) *lavacro aquae in verbo vitae:* quibus verbis praedicatio verbi, et Sacramentorum usus tanquam characteres Ecclesiae assignantur.

Resp. Ut aliquid sit Ecclesiae nota, non sufficit, illud in vera Ecclesia revera inveniri, et essentialiter illi competere, aut demum per illud eam a Satanae synagogis distingui, sed requiritur ulterius, ut illud in omnium oculos incurrat, ut facile quilibet possit eius ope veram Ecclesiam invenire. Talis autem nota in citatis S. Scripturae textibus non assignatur. Nam primo loco (1) Christus ostendit, quinam sint electi, non autem quae sit vera Ecclesia, et ubinam sit illa. Sunt scilicet electi, ut exponit *S. Augustinus*, qui corde perseveranter audiunt, et retinent verbum Christi; cum autem nemo scire pos-

(1) Io. 10, 27.

sit, quinam corde audiant, et vere sint praedestinati, non potest haec esse visibilis Ecclesiae nota, per quam ab aliis dignosci possit. Idem dicendum est de altero textu (1). Dein dicuntur genuinae oves, quae *vocem Christi*, et beati qui *verbum Dei* audiunt; ergo semper quaestio manet, in qua Ecclesia vere vox Christi resonet, et genuinum verbum Dei audiatur. Etiam in tertio textu nota Ecclesiae non assignatur (2), quia mundatio illa Ecclesiae, quae fit per verbum Dei, est per se invisibilis, adeoque probat tantum, Ecclesiam mundam esse coram Deo, sed non coram hominibus, ac consequenter hac ratione fieri manifestam Deo non hominibus. In duobus postremis textibus salvari dicun ur, qui credunt omnia, quae Apostoli praedicarunt, et mundari, qui verbum vitae audiunt, et baptismum recipiunt: at exinde inferri nequit, in qua Ecclesia integra Apostolorum doctrina, seu verbum vitae praedicetur.

Obi. 2. *S. Chrysostomus* (3) ait: « Antea multis modis ostendebatur quae esset Ecclesia Christi, et quae gentilitas; nunc autem nullo modo cognoscitur, quae sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas. » *S. Augustinus* (4) scribit: « In Scripturis discimus Christum, in Scripturis discimus Ecclesiam: » et (5) ait: « Nolo humanis documentis, sed divinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari: » et (6) Donatistas provocat, « ut, utrum ipsi Ecclesiam teneant, nonnisi de divinarum Scripturarum canonicis libris ostendant. » Ita etiam reliqui Patres censent, ex pura verbi Dei praedicatione cognoscendam esse Ecclesiam.

(1) Luc. 11. (2) Io. 15, 3.
(3) Hom. 49 op. imp. in Matth.
(4) Epist. 105, al. 166, n. 14.

Resp. Opus imperfectum in Matthaeum non esse genuinum foetum *S. Chrysostomi*, sed ignobilis auctoris, imo haeretici Ariani, Critici solide probaverunt. Ex textibus *S. Augustini* id tantum colligitur, quod nullae sint verae Ecclesiae notae, quae non habeant testimonium a Scriptura, et eius auctoritate non fulciantur. Nam S. Doctor in locis citatis probat veram Ecclesiam, non ex pura verbi Dei praedicatione, ac legitimo Sacramentorum usu, ut adversarii contendunt, sed potius ex notis, quas nos constituimus, ac praecipue ex nota Catholicitatis, seu ex eo, quod vera Dei Ecclesia debeat esse toto orbe terrarum diffusa, prout in S. Scripturis V. et N. T. promissum fuit. Id patet ex lib. de unit. Eccles. in quo (7) ita prosequitur: « Si enim S. Scripturae in Africa sola designarunt Ecclesiam... non tenent Ecclesiam nisi Donatistae... Si autem Christi Ecclesia canonicarum Scripturarum divinis et certissimis testimoniis in omnibus gentibus designata est, » recte inferebat S. Doctor, Donatistarum sectam in sola Africae parte conclusam, non esse veram Ecclesiam. Ex Scripturis igitur *S. Augustinus* demonstrabat veram Ecclesiam, non ex iis probando veritatem doctrinae in Ecclesia praedicatae, sed probando Ecclesiae promissam esse diffusionem per totum mundum, seu ex nota Catholicitatis. Sic communiter Patres potius ab Ecclesia esse veram verbi Dei praedicationem desumendam edocent, quam ex pura verbi Dei praedicatione cognoscendam Ecclesiam. Ita *S. Irenaeus* (8) ait, in quaestionibus fidei oportere « in antiquissimas recurrere Ecclesias, et ab iis sumere

(5) Lib. de unit. Eccl. cap. 4, n. 6.
(6) Cap. 20, n. 50. (7) L. c.
(8) Lib. 3, c. 2.

de praesenti quaestione, quod certum et liquidum est. » *Tertullianus* (1) inquit: « quid Christus revelaverit, - non aliter probari, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt. » *S. Augustinus* (2) in verba, *erraverunt a ventre*, de haereticis dicit: « In ventre Ecclesiae veritas manet. Quisquis ab hoc ventre Ecclesiae separatus fuerit, necesse est ut falsa loquatur. »

Obi. 3. Per veram doctrinam distinguitur a nobis verus Christianus a falso. Ergo etiam per veram doctrinam dignoscenda est vera Ecclesia a falsa.

Resp. Verus Christianus ille est, qui profitetur doctrinam a Christo revelatam, et a vera Christi Ecclesia propositam. Haec ergo iam cognosci debet, ut de recta fide Christiani legitimum iudicium feratur. Qui errat in cognoscenda Ecclesia, errat quoque in diiudicanda fide Christiani. Ideo Protestantes eos veros esse Christianos putant, qui doctrinam Lutheri aut Calvini sequuntur. Ergo imprimis vera Ecclesia investiganda est, quae per visibilia tantum, et publica signa dignosci potest.

§. 283.

I. De Nota Unitatis.

In vera Christi Ecclesia requiritur *Unitas*, tum *interna* quae in eo consistit, ut omnes ad unam eandemque fidem tenendam, et ad mutuam caritatem obligentur, tum *externa*, quae exigit, ut omnes per eiusdem fidei professionem, per eorundem Sacramentorum participationem, et per subiectionem ad legitimos pastores, ac praecipue ad unitatis centrum, i. e. Primatem, in unum corpus coalescant. Hanc unitatem in vera Christi Ecclesia ut essentialem notam requiri, ex *verbis Christi*, ex *dictis Apostolorum*, ex *sententiis SS. Patrum*, et ex *rationibus theologicis* probatur.

1. Christus enim iussit Apostolos *docere omnes gentes*, et quidem *docere omnia, quae mandavit* (3) ac *praedicare Evangelium*, integram salutis doctrinam, *omni creaturae* (4), quibus praeceptis sine discrimine, vel exceptione adiungit: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* (5). Ergo unam ab omnibus exigit fidem, sicut et unam omnibus praecipit caritatem (6). Ad hanc unitatem inter suos obtinendam, Christus orationem ad Patrem fudit, dicens: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos* (7); et paulo post (8) rogat, ut haec Ecclesiae suae unitas in fide et caritate perpetuo duratura sit; ait enim: *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Haec autem Unitas Ecclesiae in fide et caritate iuxta mentem Christi exurgere potest et debet praecipue ex mutuo Ecclesiae docentis et discentis nexu quo illa huic nonnisi vera et recta proponit, et haec illi per fidem et subiectionem adhaeret. Christus ergo inter suos non solum internam, sed etiam externam unitatem exposcit. Ideo Ecclesiam suam comparavit *uni agro* (9), *uni convivio* (10), *uni domui*, eidem petrae insistenti (11), *uni ovili:* Christus enim, omni discrimine inter Iudaeos et Gentiles

(1) De praescr. c. 21.
(2) Enarr. in Ps. 56, n. 6.
(3) Matth. 28, 20. (4) Marc. 16, 15.
(5) Ibid. v 16
(6) Matth. 22, 39; 23, 8. Io. 15, 34 etc.
(7) Io. 17, 11. (8) V. 20, etc.
(9) Matth. 13, 24. (10) Matth. 22, 14.
(11) Matth. 16, 18.

sublato, omnes in unam visibilem societatem congregare voluit; ait enim (1). *Ego sum Pastor bonus... et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.* Tanti Christus hanc unitatem fecit, ut pro illa mortem subire non dubitaverit. Nam mortuus dicitur, *ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum* (2).

2. Apostoli, doctrinae magistri sui inhaerentes, nihil magis fidelibus inculcarunt, quam unitatem, et nihil minus tolerarunt, quam schismata et dissensiones. a) Sic Paulus (3) ait: *Impete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem arbitrantes.* — Classicus est eiusdem locus Ephes. IV, 3. Hortatur enim Apostolus fideles (4), ut digne ambulent vocatione, qua vocati sunt, — *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis: unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, et Pater omnium.* Unitatem ergo externam et internam ex unitate spei deducit: addit autem *unus Dominus*, Iesus, Religionis et Ecclesiae institutor, *una fides*, quam Christus a nobis exigit, *unum baptisma*, qu ad Ecclesiam associamur, *unus Deus, et Pater omnium*, qui nos a unam familiam convocat; quibus motivis aliud ex unitate coenae alibi addit, dicens: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus* (5). Itaque Paulus unitatem fidelium non solum ex unitate De, Christi et salutis, sed etiam fidei, baptismi et coenae urget, ac proin unitatem internam et externam asserit. Ideo idem Apostolus coetum fidelium, seu Ecclesiam saepe *unum corpus* nominat: *Multi unum corpus sumus in Christo* (6). *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive Gentiles, sive servi, sive liberi* (7). b) Sicut Paulus unitatem commendat, sic dissensiones et schismata damnat; ait enim: *Obsecro vos per nomen D. N. I. C., ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia... Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo: ego vero Cephae: ego autem Christi. Divisus est Christus?* etc. (8). His, aliisque (9) ostendit, ex diversitate ministrorum non exurgere diversitatem Christianorum, neque horum unitatem scindi posse. — Idem acrius reprehendit Galatas, qui contra Apostolorum doctrinam circumcisionem ad salutem necessariam putabant; ait enim (10): *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi in aliud Evangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos, aut Angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit:* et inferius emphatice pronuntiat (11): *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit,— evacuati estis a Christo, qui in lege iustificamini: a gratia excidistis*, — et paucis interiectis prosequitur: *Currebatis bene, quis vos impedivit, veritati non obedire?*

(1) Io. 9, 14-16. (2) Io. 11, 52. (7) I Cor. 12, 13. (8) I Cor. 1, 10. etc.
(3) Phi 2, 2. (4) V. 1, etc. (9) I Cor. 5, 4-7. (10) Gal. 1, 6 etc.
(5) I. Cor. 10, 17. (6) Rom. 12, 5. (11) Gal. 5, 2 etc.

persuasio haec non est ex eo, qui vocat vos. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis: qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicunque est ille. Denique operibus carnis, maximisque criminibus, quae excludunt a regno Dei (1), annumerat etiam (2) *dissensiones, et sectas.* Quid de dissentiente in fide, seu de haeretico sentiendum sit, Paulus etiam ostendit, scribens ad Titum (3): *Haereticum hominem post unam, et secundam correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Idem fere habetur I ad Tim. (4) ubi Paulus scribit: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Tandem S. Ioannes (5) ait: *Omnis, qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet.*

3. SS. Patres, doctrinae Christi et Apostolorum inhaerentes, unitatem ceu necessariam Ecclesiae notam tradunt. Sic *Clemens Rom.*, ut Corinthios dissentientes ad unitatem revocaret (6), dicit: « Nobis unus est Deus, et unus Christus, et unus Spiritus gratiae, qui effusus est super nos, et una vocatio in Christo: cur distrahimus membra Christi? » *S. Ignatius M.* (7) docet, « Christianos sive Iudaeos, sive Gentiles esse in uno corpore Ecclesiae: » et (8) ait: « Sicut Ecclesia Christo, et Christus Patri, ita omnes per unitatem consentiant. » *S. Irenaeus* per unitatem fidei, quae in vera Ecclesia viget, haereticos sui temporis refellit, dicens: « Hanc fidem Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, et similiter credit iis quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat, et docet, et tradit, quasi unum possidens os. » — Eodem argumento contra haereticos utitur *Tertullianus* (9). *S. Cyprianus* in egregio libro de unit. Eccles. inter alia dicit: « Hanc unitatem, qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris, et Filii fidem, et veritatem non tenet ad salutem. » *S. Ambrosius* (10) dicit: « Credimus, Ecclesiam esse Congregationem, quae in unum connexum corpus atque compactum, unitate fidei et caritatis assurgit. » *Clemens Alex.* (11) ait: « in unius naturae sortem coptata Ecclesia, quae est una, quan conantur haereses in multas abscndere. » *S. Augustinus* speciale opus de Ecclesiae unitate exharavit, ac in illo (12) scribit: « Totus Christus caput e corpus est. Caput unigenitus Dei filius, et corpus eius Ecclesia, sponsus, et sponsa, duo in carne una, — quicunque le ipso capite Scripturis S. consentiunt, et unitati Ecclesiae non communicant, non sunt in Ecclesia, qui de Christi corpore, quod est Eccleia, ab ipsius Christi testificatione disentiunt. »

4. Ipsa ratio, per revelationem illustrata, unitatem in sensu exposito ceu verae Ecclesiae notam agnoscit. a) Christus enim, Religionis christianae auctor, nonnisi unum symbolum, unum codcem, unum hierarchicon omnibus proposuit: ergo illa sola Ecclesia vera, seu ad Christi Religionem conservandam et propagandam recte comparata est, quae omnibus unum sym-

(1) V. 21. (2) V. 19. (3) C. 3, v. 10.
(4) C. 6, 20 etc. (5) II Ep. v. 9.
(6) Ep. I, c. 46.
Ep. ad Smyrn. c. 1.
(8) Ep. ad Ephes. c. 5.
(9) L. de praescr. c. 21.
(10) L. 3 de offic. c. 3.
(11) L. 7 Strom. (12) Cap 5.

bolum, unum codicem, unum hierarchicon proponit, seu quae unitatem internam et externam exigit. — b) Christus in Ecclesia sua instituit magisterium authenticum et imperium sacrum. Illud recte exigit fidem quoad ea, quae docet; hoc subiectionem quoad ea, quae mandat; exinde autem unitas tum interna, tum externa necessario exurgit. Magisterium vero, quod pro suis effatis fidem non poscit, eoipso declarat se authenticum non esse: et imperium, quod subiectionem non exigit, ostendit, se legitima auctoritate carere. — Quo magis ergo Ecclesia ab unitate interna et externa recedit, eo clarius manifestat, se veram Christi Ecclesiam non esse: Ecclesia autem, quae unitati tum internae, tum externae inhaeret, certo et conspicuo veritatis charactere insignita est. —

Nota 1. Unitas, quae tanquam nota verae Ecclaesiae asseritur, ea concernit, quae a Christo circa fidem et mores, ritus et hierarchiam stabilita sunt. Id vero non impedit, quominus circa alia, quae a Christo statuta non sunt, in vera Ecclesia varietas et multiplicitas detur. — Egregie disserit hanc in rem *S. Augustinus* (1) scribens: « Sacramenta doctrinae in linguis omnibus variis. Alia lingua afra, alia syra, alia graeca, alia hebraea, alia illa, et illa, faciunt istae linguae varietatem vestis reginae huius; quomodo autem omnis varietas vestis in unitate concordat, sic et omnes linguae ad unam fidem. In veste varietas sit, scissura non sit. Ecce varietatem intelleximus de diversitate linguarum, et vestem intelleximus propter unitatem. In ipsa autem varietate aurum quod est? ipsa sapientia. Quaelibet sit varietas linguarum, unum aurum praedicatur, non diversum aurum, sed varietas de auro. Eandem quippe sapientiam, eandem doctrinam, et disciplinam omnes linguae praedicant; varietas in linguis, aurum in sententiis (2). »

Nota 2. Cum notae per quas vera Ecclesia exterius manifestatur, et omnibus conspicua redditur, ex ipsa Ecclesiae indole, haec autem ex ipsa immutabili et sapientissima Christi institutione petenda sit: hinc, ut ipsa unitas notam Ecclesiae constituat, non sufficit, ut habeatur eadem fidei professio, idem Sacramentorum usus, et mutua membrorum communicatio, sed requiritur praeterea, ut in ipsa Ecclesia tale principium immobile existat, per quod unitas interna ac externa conservetur, et dissensiones in fide praecaveantur; requiritur nempe principium auctoritatis, ex qua sola in omnibus eadem fidei professio oritur, principium inquam, divinitus institutum, visibile et efficax, quod in Ecclesiam universam influat, illamque regat ac moderetur, ut exurgat vera ac intima connexio inter caput et membra, per quam unus spiritus et unum corpus constituantur. Ideo sane Christus, ut ex probatis constat, magisterium infallibile, et imperium sacrum, ac imprimis Primatem instituit, atque subiectionem omnibus tanto cum rigore praecepit, ut (3) diceret: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus*. Merito igitur illa tantum pro vera Christi Ecclesia agnoscitur, in qua principium auctoritatis conspicitur, ad unitatem servandam a Christo institutum. — His praenotatis facile est, obiectiones refellere, quae doctrinae nostrae de unitatis nota opponuntur.

(1) Enarr. in Ps. 44, n. 24.

(2) Cf. S. Bernard. Epist. 229, n. 8.
(3) Matth. 18, 17.

Obi. 1. Unitas doctrinae inepte proponitur ut signum distinctivum verae Christi Ecclesiae; talem enim in dogmatibus unitatem habent etiam Mahumedani, Iudaei et Haeretici: imo et de sectatoribus Antichristi Apoc. XVII, 3 dicitur: *Hi unum consilium habent, et virtutem, et potestatem suam bestiae tradent.* Per talem unitatem certe veritas doctrinae non probatur.

Resp. Ad hanc obiectionem tollendam nonnulli respondent, unitatem fidei non esse notam positivam, quae veram Christi Ecclesiam commonstret, sed solum notam negativam, ex cuius defectu falsae et spuriae Ecclesiae dignoscantur. Sed tali distinctione nota unitatis valde obscuratur, quae certe notam positivam constituit, cum in vera Ecclesia principium auctoritatis ostendat, vi cuius unitas interna et externa labefactari nunquam possit. Tale autem principium auctoritatis neque apud Mahumedanos, neque apud Iudaeos, neque apud Haereticos invenitur. Falsum proinde est, unitatem doctrinae apud ipsos inveniri; cum ex historia constet, tum apud Mahumedanos, tum apud Iudaeos, tum apud haereticos plurimas sectas et dissensiones dari. In Apocalypsi praedicitur, sectatores Antichristi consensuros esse in impio consilio iustos persequendi, inde tamen inferri nequit, eos consensuros esse Antichristo in omnibus doctrinae articulis; contrarium potius S. Scriptura testatur dicens (1): *Non est pax impiis.*

Obi. 2. Requisita inter Christianos unitas exurgit ex eadem in unum Christum fide, et ex huius fidei professione. Haec vero unitas non scinditur ex eo, quod quilibet coetus christianus peculiaria quaedam dogmata, et proprias formas habeat. Omnes tamen coetus per fidem in unum Christum interne et externe colliguntur, et unam societatem, seu unam Ecclesiam constituunt.

Resp. Si ita esset, Ecclesia Christi foret ad instar turris Babel cum confusione linguarum. Coalesceret enim non solum ex diversis, verum etiam ex heterogeneis, et plane contradictoriis veritatibus, quod est absurdum. Ecclesia tempore Apostolorum coagulisset ex Apostolis, et ex Nicolaitis, Simonianis, Cerinthianis, Ebionitis, etc. quos tamen ab Ecclesia Apostoli repulerunt. Ita semper creditum est, haereticos, veritatem a Deo revelatam, et ab Ecclesia definitam non credentes, et schismaticos, debitam subiectionem recusantes, ad Ecclesiam non pertinere, ut supra probatum fuit. Ceterum falsitas obiectionis clarius apparebit, cum inferius tolerantismus confutabitur.

Obi. 3. Antiquitus haud credebatur, per errorem fidei contrarium aut per subiectionis defectum unitatem Ecclesiae scindi. Nam Ecclesiae Asiaticae, in celebratione Paschatis ab aliarum Ecclesiarum consuetudine, et a sententia Papae deviantes, a communione ecclesiastica semotae non sunt. Etiam regni millenarii defensores, ut *Papias*, *Iustinus*, etc. ut Catholici habiti sunt. Cum in Africa sub Cypriano plures Ecclesiae baptismum ab haereticis collatum invalidum pronuntiarunt, Romani Pontifices se ab illarum communione non segregarunt. Ergo tunc creditum est, etiam dissentientes in fide unam Ecclesiam constituere.

Resp. Ecclesia semper in hac fuit persuasione, a communione sua excludi haereticos formales, qui culpabiliter errant in dogmate iam definito, non autem haereticos materiales, qui inculpabiliter in fide er-

(1) Is. 48, 22

rant, aut veritatem negant, nondum definitam. Ideo Quartadecimani tolerati sunt, donec ab Ecclesia universali lege tempus celebrandi Pascha statueretur. Ideo etiam defensores regni millenarii ut haeretici haud prius habiti sunt, quam ab Ecclesia iste error publice damnatus fuit. Ideo etiam communio cum Cypriano eiusque asseclis interrupta non fuit, quia aberravit in dogmate nondum ab Ecclesia solemniter definito. Ergo ex his factis nihil inferri potest contra propugnatam a nobis theoriam de Ecclesiae unitate.

Obi. 4. In magno schismate occidentali tres erant Pontifices, et tres obedientiae. Omnino ergo defuit illa unitas, quae ex subiectione uni Primati praestita exurgit, sed sicut tria capita ita etiam tria corpora aderant. Nihilominus autem omnes ut Catholici habiti sunt, cuicunque ex tribus Pontificibus adhaeserint. Ergo tunc creditum est, unitatem externam, ex subiectione erga unum Primatem provenientem, Ecclesiae necessariam et essentialem non esse.

Resp. In dicto schismate unus tantum legitimus Pontifex erat, et qui isti adhaeserunt, absque dubio unam et veram Ecclesiam constituerunt. Ast etiam qui Antipapis adhaeserunt, materialiter tantum, non autem formaliter erraverunt; singulae enim obedientiae in tanta rerum perturbatione probabilibus rationum momentis innixae, putabant sincera fide, se legitimo Pontifici subiici. Omnes porro in eo conveniebant, se centro unitatis oportere coniungi, ut ad veram Christi Ecclesiam possent pertinere; error si quis erat, versabatur circa personam. Una propterea Ecclesia absque interruptione permansit.

Obi. 5. Absonum est, unitatem ut notam verae Ecclesiae statuere; nam spectata hominum infirmitate, qui in varias ubique sententias abire solent, unitas in fide conservari nequit sine speciali Dei auxilio, quod non omnibus promissum est.

Resp. Fatemur, unitatem in fide conservari non posse sine magisterio authentico et infallibili: hoc autem posito, cui omnes se subiicere tenentur, et tuto acquiescere possunt, facile unitas in fide conservatur. Qui autem magisterio infallibili ex arrogantia spiritus, et perversitate cordis se non submittunt, merito ab Ecclesia eiiciuntur. Cum porro Ecclesia indefectibilis sit, tale ei divinum auxilium promissum est, ut, sicut Ecclesia docens nunquam errare, ita etiam tota Ecclesia discens nunquam deficere possit.

§. 284.

II. De Nota Sanctitatis.

Sanctitas verae Christi Ecclesiae omnino competere debet. Sancta enim est Ecclesia ab ortu suo et genere, quia ab eo originem habet, qui omnis sanctitatis fons est. Talibus ideo nominibus in S. Bibliis Ecclesia insignitur, quae sanctitatem eius clarissime ostendunt. Dicitur enim passim *regnum coelorum*, *corpus Christi* (1), *sponsa Christi* (2), *templum sanctum*, *habitaculum Dei* (3), *domus Dei* (4), *civitas Dei* (5). Iisdem nominibus Ecclesia a SS. Patribus frequenter insignitur, et iam symbolum apostolicum *sanctam Ecclesiam* credendam proponit. — Sanctitas autem haec, quatenus verae Ecclesiae ceu nota inservit, per quam a qualibet falsa secernatur, tria importat: vera enim Christi Ecclesia illa sola dici, et esse potest, quae *doctrinam sanctam*, i. e. ad sanctita-

(1) Col. 1, 15 etc. Eph. 1, 22 etc.
(2) Eph. 5, 25 etc. II Cor. 11, 2.
(3) Eph. 2, 19 etc. (4) I Tim. 3, 15.

tem obligantem et ducentem proponit, quae *media sanctitatis* exhibet, et *membra sancta* in se continet. In hoc sensu dicitur, veram Ecclesiam sanctam esse debere in *doctrina*, in *mediis*, et in *membris*, quod facile probatur.

1. Christus, Filius Dei, sanctitas ipsa, absque dubio doctrinam sanctam proposuit, i. e. talem, quae homines ad summam perfectionem moralem, seu ad maximam sanctitatem obliget (1), et ipsis viam ad illam perveniendi commonstret. Vera Ecclesia autem solummodo illa est, quae genuinam Christi doctrinam tradit; ergo vera Christi Ecclesia ex eo dignoscitur, si doctrinam proponit, quae homines ad maximam sanctitatem tum obligat, tum ducit. — Si vero societas quaedam religiosa ea doctrina instructa non sit, quae ad sanctitatem homines informet, multoque magis, si talem doctrinam profiteatur, quae sanctitati adversetur, quaeque bona opera minime promoveat, aut etiam excludat, absque alio indicio evidens est, eam hac nota sanctitatis esse destitutam, nec proinde veram esse Christi Ecclesiam.

2. Si Christus homines infirmos et corruptos ad sanctitatem obligavit, cum impossibilia non iubeat, certe ipsis etiam media suppeditavit ad illam perveniendi. Id Christum actu praestitisse, ex variis S. Scripturae locis patet. De Christo enim legitur: *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (2); *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret* (3); *Elegit nos, — ut essemus sancti, et immaculati in conspectu eius in caritate* (4); *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* (5). In vera ergo Ecclesia media sanctitatis adesse debent, a Christo instituta; et illa sola Ecclesia vera esse potest, quae pro omni hominum infirmitate, statu et conditione sufficientia sanctitatis media exhibet, et ideo cum divino suo fundatore cunctis acclamare potest: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos* (6).

3. Ad veae Christi Ecclesiae characterem nullatenus requiritur, ut omnia illius membra sancta sint. Nam in illa etiam peccatores inveniri, iam (§ 279) probatum est. Sed tamen in illa membra sancta semper existunt. Nam si in *agro* adsunt zizania, adest quoque triticum; si in *convivio* apparet homo veste nuptiali destitutus, alii hac veste ornati conspiciuntur; in *sagena* praeter malos etiam boni pisces reperiuntur, inter *decem virgines* quinque sunt prudentes. Ipsi ideo Apostoli Christianos sanctos appellare non dubitaverunt, quia inter ipsos, qui omnes ad sanctitatem vocantur, semper etiam sancti existunt; sic Paulus scribit: *Omnibus qui sunt Romae, dilectis Dei, vocatis sanctis* (7). *Ecclesiae Dei, quae est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu* (8). *Omnibus sanctis, qui sunt Ephesi* (9). Illa ergo vera Christi Ecclesia est, quae semper membra sancta in se continet. Haec autem nota tunc vel maxime conspicua fit, et veritatis sigillum Ecclesiae imprimit, si omni tempore tales homines exhibet, qui non solum per exercitium virtutum omnium, et consiliorum etiam evangelicorum in summo gradu, seu, uti vocant, heroico eminuerunt, sed etiam per ex-

(1) Matth. 5, 48. (2) Io. 1, 12. (3) Eph. 5. 25. (4) Eph. 1, 5. (5) Tit. 2, 14. (6) Matth. 11, 28. (7) Rom. 1, 7. (8) I Cor. 1, 2. (9) Eph. 1, 1.

traordinariorum affluentiam charismatum, praesertim per miracula et vaticinia suae sanctitatis certum testimonium divinitus acceperunt. Imo cum Deus maxime liberalis fuerit in elargiendis Spiritus S. charismatibus, et in signis et prodigiis edendis ab initio Ecclesiae, ut infideles de Religionis christianae veritate ac divinitate persuaderentur, omni iure infertur, Deum etiam in Ecclesiae progressu nunquam penitus denegare extraordinaria charismata, signa, miracula etc., ut dissentientes, seu haeretici veram Ecclesiam clare cognoscant. Verum sane semper sit, oportet, quod Paulus dicit: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, - - et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem* etc. (1).

Nota. Veram Christi Ecclesiam sanctam esse Protestantes non diffitentur, quamvis sanctitatem istam tanquam Ecclesiae notam statuere recusent, et doctrinam nostram impugnare conentur.

Obi. 1. Inepte statuitur sanctitas doctrinae pro nota Ecclesiae; illa enim conspicua non est, ut facile cognosci possit, quia rudis homo ad cognoscendam sanctitatem doctrinae deberet omnes articulos illius doctrinae examinare, quod plane ipsius vires superat.

Resp. Ad sanctitatem alicuius doctrinae cognoscendam non opus est docta inquisitione, neque magno eruditionis apparatu, quia lex moralis, sculpta in cordibus nostris, satis clare cuilibet sanae mentis homini dictat, malum fugiendum, bonum faciendum, Deum colendum et super omnia amandum esse. Ipsa sana ratio igitur cuilibet homini dicit, doctrinam eo sanctiorem esse, quo perfectius et efficacius a peccatis retrahit, ad bona opera et virtutum exercitia excitat, ad amorem Dei et proximi impellit etc. Sic etiam rudis homo, sine praeiudiciis examen instituens, facile cognoscit, in quanam Ecclesia doctrina vere sancta, seu ad sanctitatem impellens proponatur.

Obi. 2. Ex sanctitate membrorum nunquam exurgere potest nota Ecclesiae. Nam sanctitas interna est invisibilis, externa autem saepe tantum simulatur. Dantur enim hypocritae, qui sancti videntur, et non sunt. Ergo ex membrorum sanctitate vera Ecclesia dignosci nequit.

Resp. Sanctitas interna exterius se manifestare debet, tum quia externa quoque fidei professio requiritur, tum quia Christus (2) dicit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona* etc. Dantur quidem hypocritae, seu sanctitatis simulatores, qui bona opera et virtutes exercent, ut ab hominibus videantur, aestimentur, et laudentur. At isti quoque pro sanctitate Ecclesiae testimonium ferunt, quia talis hypocrisis non exercetur nisi in societate, in qua bona opera et virtutes magni aestimantur. Ceterum sicut falsa numismata a genuinis, ita hypocritae a veris sanctis dignosci possunt; unde Christus ipse (3) de falsis Prophetis ait: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Plena autem certitudine sanctitas servorum Dei cognoscitur, si ab ipsis virtute divina in vita, aut post mortem miracula patrantur.

Obi. 3. Paulus (4) clare docet miracula non propter fideles, sed propter infideles patrari; ait enim: *Linguae in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus*: ergo miracula

(1) I Cor. 12, 4 etc (2) Matth. 6, 26 (3) Matth. 7. (4) I Cor. 14 22.

a nonnullis Ecclesiae membris patrata, falso pro nota statuuntur, ex qua fideles veram Ecclesiam dignoscant.

Resp. Paulus inquit, dona linguarum et miraculorum Apostolis concessa esse ad infidelium conversionem promovendam, non autem ideo negat, Deum etiam in bonum fidelium miracula patrare posse, sicut in V. T. multa miracula patravit per Prophetas, quos ad populum suum israëliticum misit. Credere profecto non licet, gratias gratis datas in novo foedere parcius, quam in veteri distribui. His accedit quod falsae sectae adhaerentes veram Christi Ecclesiam non audiant, et ideo habendi sint ut Ethnici et Publicani (1). Ergo iuxta ipsam Pauli sententiam a verae Ecclesiae membris miracula fieri debent, ut aberrantes veram Ecclesiam agnoscant, et ad eam reducantur (2).

§. 285.

III. De Nota Catholicitatis.

Catholicitas iuxta vocis etymologiam non est nisi Universalitas. Ecclesia vera Christi semper dicta est *Catholica*, ut a qualibet alia falsa secernatur. Iam in symbolo apostolico iubemur credere *sanctam Ecclesiam Catholicam*. — Hoc nomine iam antiquitus Christiani ostenderunt, se legitimos esse, et rectam fidem tenere. Notum est illud *Paciani*, qui (3) dicit: « *Christianus* mihi nomen, *Catholicus* vero cognomen. » Ipsi haeretici, ut spurias Ecclesias suas vindicarent, Ecclesiae catholicae nomen illis attribuere studuerunt. Egregie in rem loquitur *S. Augustinus* (4), qui ait: « Tenenda est nobis christiana religio et eius Ecclesiae communicatio, quae catholica est, et catholica nominatur non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolintve ipsi quoque haeretici et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud, quam catholicam vocant. Non possunt enim intelligi, nisi hoc eam nomine discernant quo ab universo orbe nuncupatur. » — Haec autem Catholicitas, si ut Nota verae Ecclesiae distinctiva spectetur, bifaria sumi potest et debet. Verae enim Ecclesiae Catholicitas competit tum quoad *locum*, quia est universalis quoad extensionem, tum quoad *tempus*, quia est universalis quoad durationem, i. e. deficere nunquam potest. Sub utroque respectu Catholicitas optime inservit ad veram Ecclesiam Christi a qualibet falsa secernendam.

§. 286.

A. Catholicitas quoad locum.

Vera Christi Ecclesia Catholica debet esse quoad locum, seu universalis quoad extensionem, et ambitum, quem occupat. Id autem non ita intelligendum est, ac si omnes homines totius orbis terrarum ad illam spectare, et ipsius membra constituere debeant. Christus enim ipse praedixit, praedicationem Apostolorum non ab omnibus recipiendam esse (5); Paulus dicit: *Non omnes obediunt Evangelio* (6), et: *Oportet et haereses esse* (7). Catholicitas quoad locum sic accipienda est, quod vera Christi Ecclesia ita per universum orbem terrarum diffusa sit, ut ubique eius nomen cognoscatur, ubique eius membra inveniantur, et eius extensio cuiuslibet alterius Ecclesiae ambitum superet. — Catholicitatem hanc esse no-

(1) Matth. 18, 17.
(2) Cf. Io. 14, 12. Marc. 16, 17.
(3) Ep. 1 ad Sempron. p. 2.
(4) De vera Relig. c. 7.
(5) Matth. 10, 14 etc. 10, 16-21.
(6) Rom. 10, 16.
(7) 1 Cor. 11, 19.

tam verae Ecclesiae distinctivam ex *S. Literis* tum *veteris* tum *novi Testamenti*, et ex *Traditione* probatur.

1. Iam in V. T. praedictum fuit, regnum Messiae, seu Ecclesiam Messiae, i. e. Christi, ad omnes gentes extendi debere. Ps. II, 8 Deus ad Messiam dicit: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* Ps. XVIII, 4 dicitur: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum*, quae verba a S. Paulo (1) praeconibus Evangelii seu Apostolis applicantur. — Ps. XXI, 29 etc. post enarratas Messiae aerumnas et persecutiones, eiusdem exaltatio describitur his verbis: *Convertentur ad Dominum universi fines terrae, et adorabunt in conspectu eius universae familiae gentium, quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.* Ps. LXXI, 8 etc. potentia Messiae et amplitudo regni eius graphice exprimitur: *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, - - adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei.* Idem praedicit Isaias: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes* (2). Ergo iuxta vaticinia V. T. regnum Messiae, i. e. Ecclesia Christi ad omnes gentes propagari debuit. Cum autem oracula divina certissime adimpleantur, illa sola vera Christi Ecclesia dici potest, quae ad omnes gentes propagata, atque ideo quoad extensionem universalis, seu catholica est.

2. Christus doctrinam salutis, quam attulit, non ad solos Iudaeos restringere, sed ad omnes gentes extendere, et Ecclesiam suam universalem, seu vere catholicam esse voluit. Ideo Apostolis suis dixit: *Euntes docete omnes gentes* (3); — *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae* (4); *Eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae* (5). Apostoli autem hoc Christi mandatum strenue executi sunt; nam *illi - profecti praedicaverunt ubique* (6). Ideo Paulus dicit: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum;* et ad Colossenses scribit: Evangelium *pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit, sicut in vobis* (7); *quod praedicatum est in universa creatura, quae sub coelo est* (8). Per hanc autem Evangelii praedicationem Ecclesia Christi talem statim amplitudinem nacta est, ut S. Ioannes in laudem Christi dicat: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum* (9). Igitur vera Ecclesia iuxta ordinationem Christi ab Apostolis per totum terrarum orbem propagata est, et ideo haec universalis, seu catholica, et non alia ceu vera Christi Ecclesia haberi potest.

3. SS. Patres unanimi consensu Ecclesiae a Christo institutae Catholicitatem attribuunt, et ex hac illius veritatem probant. *S. Cyprianus* (10) ait: « Una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa est. » *S. Cyrillus Hier.* (11) inquit: « Catholica vocatur Ecclesia, et quia per universum orbem terrarum est diffusa, et quia docet catholice: i. e. universaliter, et absque defectu. » — *Origenes* (12) dicit: « Christiani non

(1) Rom. 10, 18.
(2) Is. 2, 2. Cf. Is. 49, 6; Os. 1, 10; Dan. 2, 44 et 7, 27; Mich. 4, 1 etc; Zach. 9, 10.
(3) Matth. 28, 19. (4) Marc. 16, 15.
(5) Act. 1, 8. Cf. Luc. 24, 47.
(6) Marc. 16, 20. (7) Coloss. 1, 6.
(8) Ibid. 23. (9) Apoc. 5, 9.
(10) Ep. 52. (11) Catech. 18.
(12) In Rom. l. 8, n. 1.

est una gens, sed ex omnibus gentibus unus est populus... si ita dici potest, omnium gentium gens. » — *S. Hieronymus* (1) ait: « Nolite exire, nolite credere, quod Filius hominis vel in deserto gentium sit, vel in penetralibus haereticorum, sed quod ab oriente in occidentem fides in Catholicis Ecclesiis fulgeat. » — *S. Augustinus* (2) haec habet: « Nemo tibi fabulas vendat, non latret rabies haereticorum de angulo. Toto orbe terrarum diffusa est Ecclesia, omnes gentes habent Ecclesiam. » — Idem (3) Donatistas, qui dicebant, se veram Christi Ecclesiam constituere, licet in una tantum Africae parte essent, ita alloquitur: « Itane lapidem de monte abscissum sine manibus, et montem factum, et implentem mundum vestris creditis inclusum antris? Et ne hic quidem immorandum. Ipsa opinio refugit publicari suo contenta susurro. Habet, et semper habebit integram Christus haereditatem suam, et possessionem suam terminos terrae. Se potius subtrahunt huic magnae haereditati, qui Christo illam conantur detrahere. » — Eodem argumento contra Donatistas pugnavit *S. Optatus Milev.* (4). — Sic etiam *S. Pacianus* redarguit Novatianos (5), scribens: « Ecclesia plenum est corpus, et solidum, et toto iam orbe diffusum: sicut civitas, inquam, cuius partes in unum; non ut vos estis, Novatiani, quaedam insolens portiuncula, tuberque collectum, et a reliquo corpore segregatum. » — *Theophilactus* (6) Ecclesiam veram eam esse dicit, « quae per totum terrarum orbem dispersa est, cuius corpus ex omnibus passim Ecclesiis constat. »

Nota 1. Ecclesiam Christi universalem esse debere, seu catholicam quoad extensionem, tam certum est, ut etiam Protestantes id publice confessi sint, licet hanc catholicitatem ceu notam characteristicam verae Ecclesiae agnoscere recusarint (7). Sed si certum est, veram Christi Ecclesiam Catholicam esse, necessario sequitur, eam Ecclesiam, quae catholicitate caret, non veram, sed reiiciendam et damnandam esse, prout in confess. Helvet. (8) ob defectum Catholicitatis damnantur Donatistae.

Nota 2. Contra notam Catholicitatis sequentia opponuntur:

Obi. 1. Christus ipse praenuntiavit, Ecclesiam suam non ex multis, sed ex paucis constare; ait enim (9): *Multi sunt vocati, pauci vero electi;* et (10): *Arcta est via, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Ideo Christus Ecclesiam suam pusillum gregem nominat dicens (11): *Nolite timere pusillus grex.* Non potest ergo Catholicitas, seu magna per orbem terrarum extensio Ecclesiae notam constituere.

Resp. Christus in prioribus textibus loquitur non de numero membrorum Ecclesiae, sed de numero hominum salvandorum, qui in comparatione cum reprobis pauci sunt; quia ex ipsis verae Ecclesiae membris multi damnandi sunt; unde *S. Augustinus* (12) ait: « Ipsi boni, verique Christiani, qui per seipsos multi sunt, in comparatione malorum, falsorumque itidem pauci sunt. Sic multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum. » Ceterum verae Ecclesiae multos ex omnibus mundi partibus aggregandos esse, Christus ipse adseverat (13)

(1) In Matth. 24, 26. (2) Serm. 238, n. 3.
(3) In Cantic. Serm. 66, n. 8.
(4) De schism. Donat. l. 2, n. 1.
(5) Ep. 3 ad Simp. n. 4 (6) In I Cor. 12.
(7) Cf. Confess. Helvet. I. c. 17. Belgic. c. 27. Bohem. art. 8 etc.
(8) Loc. cit. (9) Matth. 20, 16.
(10) Matth. 7, 14. (11) Luc. 12, 32
(12) L. 3 adv. Cresconium cap. 66.
(13) Matth. 8 12

dicens: *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno coelorum.* « Pusillum gregem electorum, ait V. *Beda* (1), vel ob comparationem maioris numeri reproborum; vel potius ob humilitatis devotionem nominat, quia videlicet Ecclesiam suam quantalibet numerositate iam dilatatam, tamen usque ad finem mundi humilitate vult crescere, et ad promissum regnum humilitate pervenire. » Deinde Christus haec verba ad apostolos direxit, qui vere pauci erant, et pusillum gregem constituebant.

Obi. 2. Nota talis esse debet, ut eius ope vera Ecclesia quovis tempore agnosci queat: ast in Ecclesiae primordiis nota haec Christi societati nondum aptari potuit, quia nondum catholica seu ubique diffusa erat: ergo Catholicitas nequit pro Ecclesiae nota haberi.

Resp. Quamvis ab initio rei christianae nondum Ecclesia materialiter ubique diffusa fuisset, attamen cum ex Christi institutione ordinata esset ad hanc universalem diffusionem, quam ipse voluit (2), et futuram praedixit (3), iure merito dici poterat, et natura sua erat catholica. Ipsa sana ratio dictat, hanc notam ita concipiendam esse. Deus enim in S. Scriptura loqui dignatur more hominibus consueto. Sicut ergo homines, dum ex. gr. signa distinctiva, folia, fructus ecc. arborum describunt, id non intelligunt de arboribus modo plantatis, sed de illis, quae ad iustam mensuram excreverunt: ita etiam promissa Catholicitas intelligenda est de Ecclesia, quam Apostoli per praedicationem suam propagarunt. His addi potest, ab initio rei christianae necessariam non fuisse hanc notam, prout signum externum est, ad veram discernendam Ecclesiam, cum nullae adhuc sectae prodiissent, cum quibus comparari posset. Cito vero ubique diffusa est, ut iam probatum fuit, et tunc exortis sectis illico ex hac nota deprehendebatur vera Ecclesia.

(1) L. 4 in Luc. c. 54. (2) Matth. 28, 19. (5) Matth. 8, 12

§. 287.

B. Catholicitas quoad tempus.

Catholicitas quoad tempus in perpetua Ecclesiae duratione consistit. Vera enim Ecclesia nunquam deficere potest, sed a Christo usque ad consummationem saeculi semper perdurabit. — Illa ergo sola est vera Christi Ecclesia, cuius perpetua existentia manifesta est. Hanc autem catholicitatem quoad tempus verae Christi Ecclesiae competere, seu veram Christi Ecclesiam nunquam deficere posse, ex *vaticiniis V. T.*, ex *promissionibus Christi*, ex *sententiis SS. Patrum*, et ex *ratione theologica* probatur.

1. Synagogam, seu Ecclesiam mosaicam aliquando, adveniente nimirum Messia, cessaturam esse, in V. T. praedictum fuit (4). Aliter autem Prophetae de regno Messiae, seu de Ecclesia ab ipso instituenda loquuntur. — Huic perpetuam durationem attribuunt. Sic Messias dicitur *Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis*, et deinde additur: *multiplicabitur eius imperium et pacis non erit finis, super solium David, et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in iudicio, et iustitia amodo, et usque in sempiternum: zelus Domini exercituum faciet hoc* (5). — *Suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur — et ipsum stabit in aeternum* (6). *In novissimo dierum erit mons domus*

(4) Cf. P. II, Sect. II, C. III. 9, 6 etc. (6) Dan. 2, 44.

Domini praeparatus in vertice montium, et sublimis super colles, et fluent ad eum populi (1).... *et regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nunc, et usque in aeternum* (2). Deus de Messia dicit: *Semel iuravi in Sancto meo, si David mentiar: semen eius in aeternum manebit, et thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis* (3). Ergo iuxta oracula Prophetarum spirituale Messiae regnum, seu Ecclesia ab ipso instituenda perpetuo perdurare debet, et nunquam deficere potest. Quae autem Deus praedixit, certissime verificantur. Sermonem autem esse de Ecclesia visibili, ex duobus vaticiniis ultimo loco citatis clare elucet.

2. Ecclesiam, a Christo instituendam, perpetuo duraturam esse, iam Angelus Gabriel praedixit, de Christo Mariae annuntians: *Regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis* (4). — Christus ipse de Ecclesia a se aedificanda dixit: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (5). Ergo Ecclesia a Christo supra firmam petram aedificata nunquam perire, nunquam deficere potest, sed semper immobilis stat, quia etiam tota inferorum potestas contra eam praevalere nequit. Idem clarissime ex eo elucet, quia Christus promisit, se cum Ecclesia sua semper futurum esse; ait enim: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (6). Eodem modo perpetuam Spiritus S. mansionem in Ecclesia Christus pollicitus est, dicens: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis* (7). Utraque autem promissio non verificaretur, si Ecclesia aliquando deficeret: Ecclesiae enim non existenti assistentia praeberi nequit; imo assistentia iam prius deficere deberet, ut Ecclesia destrui, et finem habere possit. — Ipsi Apostoli, promissionibus Christi nixi, de perpetua Ecclesiae duratione non dubitarunt. Ideo Paulus (8) Eucharistiam *donec* Christus ad iudicandum *veniat*, celebrandam dicit, et (9) finem oeconomiae christianae cum fine mundi coniungit, ac (10) perenne evangelium temporariae legi Mosis opponit, et inde praerogativam religionis christianae prae mosaica infert. Demum ut Hebraeos conversos ad constantem fidem excitet, et a doctrinis variis et peregrinis abducat, ait: *Iesus Christus, heri, et hodie, ipse et in saecula* (11).

3. SS. Patres unanimi consensu Ecclesiae indefectibilitatem contestantur. *S. Irenaeus* (12) ait: « Vera fides a Spiritu Dei tanquam praeclarum depositum, et commissum Dei donum in Ecclesia ceu in bono vase custoditur, in quo nunquam deterioratur, neque vas deteriorari permittit... nam Spiritus pignus est indefectibilitatis, et confirmatio fidei. » — *Origenes* (13) inquit: « Ex quo constituta est Ecclesia in nomine Christi, ad consummationem usque perseverat... et plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem. » *S. Cyprianus* (14) dicit: « Ecclesia, quae in Christum credit, et quae semel id, quod agnovit, tenet, nunquam ab eo omnino discedit, et ii sunt Ecclesia, qui in domo Dei permanent. » *S. A-*

(1) Mich. 4, v. 1. (2) Ibid. v. 7.
(3) Psalm. 88. 35 etc. — Cf. Ps. 44, 19 etc.; Ierem 33, 14-18; Dan. 7, 27; I Reg. 7, 11-16.
(4) Luc. 1, 33 etc. (5) Matth. 16 16.
(6) Matth. 28, 20. (7) Io. 14, 16 etc.
(8) I Cor. 11, 26. (9) I Cor. 15, 24.
(10) II Cor. 3, 11. (11) Hebr. 13, 9
(12) L. 3 adv. haer. c. 24.
(13) Hom. 30 in Matth.
(14) Ep. ad Cornel.

thanasius (1) in verba: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam* (2), ita loquitur: « Fidelis sermo, et non vacillans promissio ; nam Ecclesia invicta res est, etiamsi infernus ipse commoveatur » (3). — *S. Ambrosius* variis in locis idem contestatur : « Ecclesia tempora sua habet persecutionis et pacis; nam videtur deficere, sed non deficit: tunditur fluctibus, sed non obruitur; caeditur, sed non labefactatur; — spectat aliorum naufragia, ipsa immobilis et exors periculi (4). » Idem (5) ait : « Ideo regnum Ecclesiae manebit in aeternum, quia individua fides, corpus unum. » — *Eusebius Caes.* ait : « Christus Ecclesiam nullis unquam viribus expugnandam, ac ne ab ipsa quidem morte superandam; at penitus inconcussum illius robur mansurum esse praenuntiavit, utpote quae vi eius et potestate sic tanquam immoto, ac nullis omnino machinis perrumpendo scopulo altis defixa radicibus niteretur (6). » *S. Chrysostomus* (7) ait : « Ecclesiam vincere nulla vis poterit; nam Deus est cum Ecclesia, qui est omnibus fortior : Quomodo, impie diabole, Ecclesiam putas te deiicere posse, qui trementes parietes deiicere non valuisti ? » — *S. Hieronymus* (8) dicit: « Ex quo intelligimus, Ecclesiam usque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti; tentari, non superari; et hoc fiet, quia Dominus Deus omnipotens, sive Dominus Deus eius, i. e. Ecclesiae, se facturum esse pollicitus est, cuius promissio lex naturae est. » — *S. Augustinus* (9) ait : « Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, nec cedet quibuslibet tentationibus donec veniat huius saeculi finis. » Et alibi (10) haec habet: « Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra omnes haereses pugnans; pugnare potest, expugnari tamen non potest. Haereses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite praecisa; ipsa autem manet in radice sua, in caritate sua; portae inferorum non vincent eam. »

4. Christus in mundum venit, ut omnes homines omnium locorum et temporum aeternam salutem consequi possint; ut autem huius participes fiant, veram Ecclesiam ingredi iubentur, extra quam, ut inferius probabitur, salus non patet. Si autem vera Ecclesia non semper existeret, homines non semper divinum praeceptum adimplere, nec semper salutem suam consequi possent. Deus ergo aliquando impossibilia praeciperet, et alicuius temporis homines salvare non vellet, quod utrumque non minus absurdum, quam blasphemum est. Dubitari ergo non potest, veram Ecclesiam semper existere, ex quo sequitur, illam veram Ecclesiam nullatenus esse, de qua constat, ipsam non in omni tempore extitisse.

Nota 1. Antiquissimi Patres maximi hanc notam fecerunt ad omnes haereticos confundendos. Tritum est dictum Tertulliani, quo sui temporis haereticos refutavit dicens : « Heri non fuistis. » Iisdem armis usus est *S. Irenaeus*, qui (11) dicit : « Omnes enim ii (haeretici) valde posteriores sunt, quam Episcopi, quibus Apostoli tradiderunt Ecclesias. » — Ipsi etiam Protestantes diffiteri non potuerunt, iuxta oracula Prophetarum, et Christi promissiones Ecclesiam perpetuo perdurare debere: sed haec omnia ad Ecclesiam invisibilem re-

(1) Orat. de Christo Deo.
(2) Matth. 16, 18.
(3) Cf. eundem in Ps. 86, 28.
(4) Hexaem. l. 4, c. 2, et de Abrah. c. 3.
(5) In Luc. l. 7, n. 91.
(6) Praep. evang. l. 1, c. 3.
(7) Hom. de sui expuls.
(8) In Isa. l. 17, c. 60. (9) En. in Ps. 60.
(10) Serm. 1 de symb. ad Catech. c. 6, n. 15.
(11) L. 3 adv. haer. c. 90, n. 1.

ferebant. Ast - tum loca S. Scripturae, tum SS. Patrum dicta clarissime Ecclesiam visibilem indigitant, quae sola vera Christi Ecclesia dici potest.

Nota 2. Etiam reliquae difficultates, quae a Protestantibus contra indefectibilitatem Ecclesiae proponuntur, facile solvuntur.

Obi. 1. Promissio a Christo Ecclesiae facta de eius perpetuitate non est absoluta, sed conditionata, si nimirum fideles officio suo non defuerint, quae conditio clare exprimitur, dum Christus (1) dicit: *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis; et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Ergo cum purificatio huius conditionis sit valde incerta, et Christiani saepe per peccata se assistentiae divinae indignos efficiant, ex S. Scripturis solide probari nequit absoluta Ecclesiae perpetuitas.

Resp. Verba Christi non ad discipulos, nec ad universam Ecclesiam, sed ad particulares quosdam Iudaeos directa erant, qui fidem in Christum conceperant, sed titubantes, vel saltem in defectionis periculo erant: istos monet Christus, eos tunc tantum liberandos esse, si constantes manserint in fide. Eodem modo Catholici docent, particularia membra Ecclesiae deficere posse, eaque tantum sub conditione salvari, si manserint in sermone Christi, dogmata revelata credendo, et mandata divina observando. Ast promissiones Ecclesiae factae nullam prorsus conditionem exprimunt; talis enim conditionis neque in S. Scriptura, neque in traditione vestigium invenitur: promissiones ergo absolutae sunt, et nunquam fieri potest, ut effectum non sortiantur, siquidem ipsi Dei veracitati et fidelitati innituntur. Christus ipse praedixit, peccatores semper in Ecclesia futuros esse, sed his non obstantibus assistentiam suam usque ad consummationem saeculi promisit. Apostoli quoque nihil de indigitata conditione cognoverunt; ordinarunt enim in symbolo, ut sicut semper *in Spiritum*, ita etiam semper in *sanctam Ecclesiam*, et in remissionem peccatorum, quae in Ecclesia obtinetur, credatur.

Obi. 2. Eadem promissio, quae facta est Ecclesiae Christi, facta est etiam Sinagogae et Templo Salomonis. Ergo cum Synagoga repudiata fuerit, et templum lapsu temporis eversum, promissio illa non intelligenda est de perpetuitate stricte tali, sed de duratione tantum per multa saecula.

Resp. Quod Deus Synagogae perpetuitatem stricte talem non promiserit, patet tum ex eventu, tum etiam ex eo, quia praedixit, populum hebraicum dispersum iri per universas mundi plagas (2), cessaturum esse sacrificium, et hostiam (3), novam legem promulgandam esse a Messia (4). At vero neque ex verbo Dei scripto, neque ex traditio habetur promissionem Ecclesiae factam intelligendam esse de perpetuitate minus stricte et improprie sumpta: imo contrarium ostendunt verba Scripturae, quae expresse inculcant perpetuitatem Ecclesiae stricte talem, et universalis Patrum et Doctorum Ecclesiae consensus.

Obi. 3. Ecclesia tempore Antichristi deficiet; nam Christus (5) ait, se tunc non inventurum esse fidem in terra, et Paulus inquit omnimodam tunc discessionem futuram (6). In Apoc. (7) mulier, seu Ecclesia dicitur in solitudinem fugere: ergo deficiet, et invisibilis fiet.

(1) Io. 8, 31.
(2) Deut. 24. (3) Dan. 9.
(4) Ierem. 31. (5) Luc. 18, 8.
(6) II ad Thess. 2, 3.
(7) C. 12, v. 2. 6

Resp. Haec verba SS. Patres semper ita intellexere, quod in multis fides, praecipue viva et efficax, defectura sit, quod multi ab Antichristo seducti ab Ecclesia discedent, vel saltem in solitudinem fugient. Ecclesia vero non deficiet; alioquin cum post Antichristi cladem gentes omnes, et Iudaei ipsi convertendi ad Christum sint, veram Ecclesiam nulla ratione internoscere amplius possent.

§. 288.

IV. De Nota Apostolicitatis.

Christus Ecclesiam suam per Apostolos fundavit, in quibus tum magisterium authenticum et infallibile (Cap. II), tum imperium sacrum (Cap. III) instituit. Necesse ergo omnino est, ut vera Ecclesia Apostolica dicatur. Fideles ideo Eph. II, 20 dicuntur *superaedificati super fundamentum Apostolorum*, et Apoc. XXI, 14, ubi Ecclesia civitati comparatur, dicitur: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum.* Ut autem Ecclesia vere Apostolica dici possit, requiritur, ut *omnem, et solam doctrinam Apostolorum teneat, successores Apostolorum habeat,* et *de legitima pastorum suorum missione gaudeat.*

1. Christus enim tum per se, tum per Spiritum S. (1) integram salutis doctrinam Apostolis tradidit, iisdemque praecepit, ut docerent omnia, quae ipse mandavit, seu revelavit (2). Hoc Christi praeceptum etiam impigre Apostoli executi sunt, *nihil subtrahentes utilium - - omne consilium Dei annuntiantes* (3). Doctrina ergo Christi ex hac solummodo Apostolorum praedicatione repetenda est; nimirum ea sola, et ea omnia, quae Apostoli locuerunt, uti a Christo revelata assumenda sunt. Quamobrem illa tantum dici potest vera Ecclesia Christi, quae omnem, et solam doctrinam Apostolorum tenet.

2. Christus porro etiam imperium sacrum in Ecclesia sua instituit, quod Apostolis ita tradidit, ut inter illos unus, scilicet Petrus, Primatum teneret (Cap. III). Hoc autem imperium, quod in Ecclesia perpetuo adesse debet, nonnisi per successionem ab Apostolis repeti potest. Vera ergo Ecclesia Christi illa esse non potest, quae non habet successores Apostolorum, ac praesertim successorem Petri. Caret enim tunc necessaria ad dirigendos fideles potestate, imo ne legitimam quidem ad docendum missionem sibi vindicare valet. Hinc factum est, ut iam antiquissimi Patres per hanc Apostolicitatis notam tum veram Ecclesiam probarent, tum falsas haereticorum Ecclesias confutarent. Sic *S. Irenaeus* (4) dicit: « Nos (Catholici) habemus enumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos; » id deinde in specie ostendit de Ecclesia Romana, ac demum concludit, per hanc successionem haereticos omnes confundi. — *Tertullianus* (5) haereticis acclamat: « Edant origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctoritatem, et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae apostolicae census suos deferunt. Sicut Smyrnaeorum Ecclesia habens Polycarpum a Ioanne collocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit. Proinde utique et caeterae exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatu institutos

(1) Io. 16, 13. (2) Matth. 28
(3) Act. 20, 20 etc.
(4) Contra Valentin. etc. l. 3 adv. haer. c. 3.
(5) L. de Praescript. c. 52.

apostolici seminis traduces habent. » *S. Hieronymus* (1) dicit, « in illa esse Ecclesia permanendum, quae ab Apostolis fundata usque ad diem hunc durat. » *S. Augustinus* (2) « Ecclesia ab Apostolorum temporibus per Episcoporum successiones certissimas usque ad nostra, et deinceps tempora perseverat, et immolat Deo in corpore Christi sacrificium laudis.

3. Legitimam Pastorum missionem necessariam esse, ac veram Apostolicae Ecclesiae notam constituere, certissimum est. Nam neque in veteri, neque in novo Testamento ullus unquam fuit legitimus Pastor, qui non fuerit a Deo missus: in veteri quidem nullus nisi qui foret ex stirpe Aaron sacris se immiscere debebat, ac severe punitus fuit quicunque extraneus thuribulo manum admovere ausus fuit, ut exemplis Dathan, et Core, et Oziae compertum est; in novo Testamento S. Paulus (3) sic pronuntiat: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron: sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Si autem Christus ipse non sine missione Patris munus propheticum et sacerdotale exercuit, etiam novi foederis Pastores non sine legitima missione dictis muneribus fungi possunt. Hinc Rom. X, 14 etc. dicitur: *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante? quomodo vero praedicabunt nisi mittantur?* Hac de causa Ephes. IV, 11 Christus dicitur: *quosdam Apostolos, quosdam Prophetas - alios autem pastores, et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii* posuisse. Inde est, quod qui sine missione honorem sibi arrogare praesumpserunt, schismatici habiti sunt, ac ex numero eorum, de quibus (4) Deus dicit: *Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant; non loquebar ad illos, et ipsi prophetabant.* De iisdem Christus (5) inquit: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro.* De iisdem loquitur *Tertullianus* (6), haereticis acclamans: « Quid estis? quando, et unde venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique, Marcion, iure sylvam meam caedis? qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? qua potestate, Apelles, limites meos commoves? — Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ipsis auctoribus, quorum fuit res. » Idem sentit *S. Irenaeus*, dum (7) scribit: « Eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt. Reliquos vero, qui absistunt a principali successione, et quocunque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi haereticos, et malae sententiae, vel quasi scindentes, et elatos, et sibi placentes. » *S. Cyprianus* (8) ait de haereticis: « Hi sunt, qui se ultro apud temerarios convenas sine divina dispositione praeficiunt, qui se praepositos sine ulla ordinationis lege instituunt, qui nemine Episcopatum dante Episcopi sibi nomen assumunt. » Omnino igitur necesse est, ut pastores legitima gaudeant missione. Haec quidem extraordinaria esse potest, uti fuit in prophetis, qui a Deo ad reformandos populi mores missi sunt, et aucto-

(1) C. Lucif. cap. ult.
(2) C. adv. leg. et Proph. I, n. 30.
(3) Hebr. 5, 4. (4) Ier. 23, 21.
(5) Io. 10, 1. (6) De Praescript. c. 37.
(7) L. 4, c. 26, al. 43 (8) L. de unit. Eccl.

ritatem suam divinam per miracula ostenderunt. Sed in N. T. alia hac in re oeconomia servatur; nam, ut ex his, quae de imperio sacro a Christo instituto, et de unitatis nota dicta sunt, manifestum est, ex voluntate Christi omnes Ecclesiae pastores unum tantum corpus constituere, per partes suas mire connexum et compactum: ideo Pastores inferiores, nempe Presbyteri et Diaconi, Pastoribus superioribus, seu Episcopis, atque hi iterum Primati subiici, et ita omnes sub unius capitis imperio contineri, ac in eo tanquam centro colligi debent; atque propterea Presbyteri et Diaconi munere suo fungi nonnisi Episcopo, et Episcopi nonnisi Primate assentiente, et provinciam eis decernente possunt, seu missione necessario indigent. Non potest ergo vera esse Christi Ecclesia, in qua Pastores legitima missione destituuntur.

Nota 1. Difficultates, quae contra notam Apostolicitatis ab adversariis moventur, facile solvuntur.

Obi. 1. Pura verbi divini praedicatio est prorsus idem cum doctrina apostolica. Ergo si prior, ut Catholici clamitant, non est nota verae Ecclesiae Christi, neque posterior erit; tam facile enim cognoscimus puram verbi divini praedicationem, sicut doctrinam apostolicam.

Resp. Quamvis absque dubio illa sit vera Ecclesia Christi, in qua purum verbum Dei praedicatur, indagandum tamen superest, qua arte, et quibus criteriis discerni debeat verbum Dei purum a non puro et corrupto, quod maturo indiget et longo examine, et sine criteriis neque per solam rationem (§ 220), neque per solam Scripturam (§ 221) diiudicari potest. At vero conformitas doctrinae cum doctrina Christi et Apostolorum facilius nobis innotescere potest per externam professionem Apostolorum et fidelium nostri temporis, quod ad quaestionem facti pertinet. Quid autem Apostoli praedicaverint, non solum ex S. Scriptura, sed etiam ex testimoniis veterum scriptorum, et ex universali et constanti consensu Ecclesiarum cognoscimus (§ 197 etc). Praeterea haud difficile est cognoscere, quaenam Ecclesia pro firmo principio statuat, nullam doctrinam pro dogmate venditandi, quam Apostoli non praedicaverunt, et e contra omnem doctrinam, quam Apostoli praedicaverunt, amplectendi, et ad credendum proponendi. Praecipue enim hoc modo Ecclesia se ut vere apostolicam commonstrat.

Obi. 2. Successio Episcoporum ab Apostolis derivata non constituit notam Ecclesiae verae, quia etiam in Ecclesiis falsis et spuriis invenitur. Sic Ecclesia Graeca schismatica non paucas sedes episcopales habet, in quibus vel Apostoli sederunt, vel quae ab Apostolis fundatae sunt: nemo autem Catholicorum idcirco Ecclesiam Graecam ut apostolicam, et veram habet.

Resp. Ut nota Apostolicitatis in Ecclesia adsit, requiritur quidem, ut in ea successores Apostolorum habeantur; sed id non sufficit, verum, ut iam dictum est, ulterius necesse est, ut omnis et sola doctrina Apostolorum credatur, et communio cum Primate Ecclesiae servetur. Si haec deficiant, etiam nota Apostolicitatis deficit; nam si Episcopus, qui in cathedra apostolica sedet, haereticus, vel schismaticus fiat, materialem quidem successionem ab Apostolis habet, sed non formalem, quae cum legitima successione etiam rectam fidem et debitam subiectionem erga Primatem coniungit. Sicut nempe etiam homo laicus per baptismum Ecclesiam ingressus, si haereticus, aut schisma-

ticus fiat, cessat esse membrum Ecclesiae: ita etiam Episcopus, in apostolica cathedra sedens, si in haeresin, vel schisma labatur, desinit esse Apostolorum successor. Allata ergo difficultas argumenta nostra non enervat, sed certum manet, illam esse veram Christi Ecclesiam, quae habet successores Apostolorum per rectam fidem et unionem cum Ecclesiae capite coniunctorum.

Nota 2. Notae quae ad veram Ecclesiam a falsa secernendam assignatae sunt, omnino *certae* sunt, quia ex verbo scripto et tradito probatum est, illas verae Ecclesiae competere debere. Neque dubitari potest, illas *publicas*, seu *visibiles* esse, ita ut omnes, qui velint, illas dignoscere valeant; nam haud difficile est cognoscere, quaenam Ecclesia unitatem internam et externam commendet et teneat, quaenam prae caeteris sancta praecepta, sancta media et sancta membra habeat, quaenam ubique sit diffusa, et existentiam suam nonnisi ab ipso Christo et Apostolis repetat, quaenam de Apostolorum successoribus iure glorietur etc. Denique hae notae, collective sumtae, nonnisi uni Ecclesiae *propriae* esse possunt, quia nonnisi una Ecclesia a Christo fundata, et ab Apostolis propagata fuit (1).

ARTICULUS II.

Applicatio theoriae traditae.

§. 289.

Ut vera Ecclesia inveniatur, varias, quae se Christi esse dicunt, Ecclesias considerare, iisque notas assignatas applicare oportet. Illa enim sola pro vera Christi Ecclesia habenda est, in qua omnes notae assignatae conspiciuntur coniunctae. — Ecclesiae autem christianae praecipuae sunt: *Ecclesia Romana Catholica*, per quam non intelligitur sola Ecclesia, in civitate et regione romana inclusa, sed intelliguntur omnes omnium locorum fideles, per unam fidem et subiectionem Romano Pontifici uniti; *Ecclesiae Protestantium*, sub quo nomine praecipue venit *Ecclesia Lutherana*, seu *Evangelica*, *Ecclesia Calviniana*, seu *reformata*, et *Ecclesia Anglicana* etc., ac demum *Ecclesia Graeca Schismatica*, cui adhaeret *Ecclesia Russica*. Iam si Ecclesiis istis, quae de verae Christi Ecclesiae nomine gloriari solent, praedictae quatuor notae applicentur, sole clarius apparebit, solummodo primo loco nominatam Ecclesiam, veram Christi Ecclesiam esse; id autem de caeteris nullatenus dici posse. Nam 1. *verae Ecclesiae notae omnes competunt Ecclesiae Romano-catholicae*, 2. *non vero competunt Ecclesiis reliquis.*

§. 290.

I. Ecclesiae Romano-Catholicae notae competunt.

De singulis notis, quae veram Ecclesiam a falsa secernunt, facile est ostendere, ipsas clarissime et certissime competere Ecclesiae Romano-catholicae.

1. In hac nimirum Ecclesia adest *Unitas* a) *interna*, quae in una eademque omnium membrorum fide consistit. Cum enim omnes Catholici magisterium authenticum et infallibile agnoscere, et huic in iis, quae Christi Revelationem concernunt, se etiam interno assensu subiicere teneantur, dissensus in fidei dogmatibus dari nullatenus potest: nam qui culpabiliter et pertinaciter dissentiunt, eoipso inter Ethnicos et Publicanos recensendi pronunciantur. Nec obstat, quod etiam catholici Doctores in pluribus inter se dissentiant; ea enim, in quibus dissentiunt, non sunt dogmata fidei, sed opiniones liberae, de quibus

(1) Klee S. I, P. II, Cap. I, Art. I, § 1-3. Perrone T. VIII, P. I, Cap. III.

certa revelatio, et Ecclesiae definitio non habetur. b) *Externa* quoque unitas in Ecclesia Catholica sat conspicua est; nam: ubique habetur eadem fidei professio; ubique administrantur septem — nec plura, nec pauciora Sacramenta, et omnes, quocumque in loco inveniantur, subsunt legitimis Pastoribus, ac praecipue supremo visibili Ecclesiae capiti, Romano Pontifici, ceu Unitatis centro. Qui hanc subiectionem recusant, eo ipso catholicae communionis coetu excidunt.

2. Ecclesia Romano-catholica etiam *Sanctitate* gaudet: a) proponit enim *doctrinam sanctam*, i. e. ad sanctitatem obligantem, atque perducentem, quod dum pronuntiamus, provocamus adversarios, ut, quod evincere hactenus non potuerunt, vel unum dogma demonstrent, quod vel rectae rationi integritati morum, aut verbo Dei oppositum sit. Adversarii, qui nonnullas catholicorum doctrinas carpserunt, e. g. de cultu imaginum et Sanctorum, de usu indulgentiarum etc., istas vel non rite intellexerunt, vel non recte proposuerunt, vel maligne corruperunt, ut saepius conquestus est *D. Bossuetus*, qui ideo per suam fidei expositionem plurimos in Ecclesiae Catholicae sinum reduxit. Imo haec Ecclesia non solum divinorum praeceptorum observantiam urget, sed etiam consilia evangelica laudat et commendat, ut homines ad maximam perfectionem perducantur. b) *Media sanctitatis* in hac Ecclesia efficacissima suppeditantur. Animarum enim pastoribus maxime inculcatur et praecipitur praedicatio verbi Dei, institutio catechetica, admonitio privata etc. Adsunt septem Sacramenta maxime efficacia ad homines, in quocumque statu constitutos, ad veram sanctitatem et aeternam felicitatem perducendos. Vita enim spiritualis acquiritur per Baptismum, roboratur per Confirmationem, alitur per Eucharistiam; spiritualiter mortuo vita animae restituitur per Poenitentiam, cum morte luctans alleviatur per Extremam Unctionem: pro duobus hominum statibus gravissimis habetur Ordo et Matrimonium. Praeterea in hac Ecclesia Sacrificium praestantissimum offertur, per quod homines facillimo et perfectissimo modo Deum digne adorare, ipsi gratias agere, satisfactionem praestare, et ab ipso gratias obtinere possunt. Accedit, in hac Ecclesia cultum divinum cum externa pompa et magnificentia, et cum sacris caeremoniis peragi, quod hominum naturae et indoli maxime consentaneum est, et ad excitandam internam devotionem ordinatur (§. 47). (1). — — c) Tandem Ecclesia Romano-catholica semper etiam *Sanctos* habet, qui per dona extraordinaria, per singularia Spiritus S. charismata, per miracula et vaticinia etc., divina sanctitatis suae testimonia perceperunt. Id probant frequentes quovis in saeculo institutae ab Ecclesia Beatificationes et Canonizationes, quae eo majorem fidem merentur, quo rigidius est examen, quod illas praecedit. — Non negamus quidem, mala, imo et pessima membra in hac Ecclesia inveniri, et varios abusus in eam irrepere posse. Id vero non impedit, quominus Ecclesia sancta compelletur. Paulus in Epistola utraque ad Corinthios, eosdem appellat *Sanctos* (2), etsi noverit, fuisse in illa Ecclesia, qui minime sancti fuerint, ministerii sacri contemptores, ac incestuosi etc., et licet abusus reprehendere debuisset (3). Non itaque excusandi sunt,

(1) Cf. Chateaubriand, die Schönheiten des Christenthumes

(2) C. 1 V. 2. (3) 1. Cor. 11, 17 etc.

qui praetextu abusuum e Catholica Ecclesia excesserunt. Schisma enim semper est malum : « praecidendae unitatis, ait *S. Augustinus*, nulla est iusta necessitas (1). »

3. Ecclesia, de qua loquimur, est vere *Catholica*, tum quoad *locum*, tum quoad *tempus*. a) Haec sane ita diffusa, et in toto terrarum orbe propagata est, ut nulla regio inveniatur in qua sua membra non habeat. Quodsi numerus spectetur, Ecclesia Romano-catholica multo numerosior est, quam omnes reliquae Ecclesiae, quae se christianas dicunt, etiam simul sumtae. Catholici enim iuxta communiorem computationem numerantur 180,000,000; Protestantes cum innumeris divisionibus suis 57,000,000 ; Graeci schismatici, quibus accensentur Russi, et aliae sectae orientales 41,000,000 (2). b) Ecclesia Romano-catholica sola est, quae dicere potest, et actu dicit, se nunquam defecisse, se semper extitisse. Sicut enim in Ecclesia Romana, sic et in aliis huic unitis Ecclesiis eadem semper fides viguit, quia, historia ecclesiastica teste, nunquam alia regula fidei obtinuit, nisi quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est. Ideo caute perpetuo invigilatum est, ne quid innovetur, nisi quod traditum fuit. Licet porro adversarii saepe conclamaverint, Ecclesiam Romanam defecisse, nunquam tamen id probare potuerunt, et in tempore defectionis assignando ipsi deficiunt.

4. Ecclesia Romano-catholica etiam *Apostolica est*, a) quia *omnem et solam Apostolorum doctrinam tenet*, omnem, quia non solum ea, quae ab Apostolis scripta, sed etiam ea, quae oretenus tantum praedicata fuerunt, ut a Christo revelata assumit, et solam, quia nihil de fide credendum decernit, nisi Apostolos id, ut a Christo acceptum, docuisse, vel ex Scriptura, vel ex Traditione constet. b) Denique in Ecclesia Romano-catholica adsunt successores Apostolorum, quibus solis inest potestas ordinandi ministros ecclesiasticos, sine quibus esse vera Ecclesia minime potest; in eadem est etiam successor Petri, cuius eminentior potestas, seu Primatus non in alium, nisi in Romanum Pontificem transire potuit. Huic notae iam Veteres plurimum tribuerunt, et ex hac Romanae Ecclesiae praerogativa etiam recentioribus temporibus nonnulli ad saniora consilia redierunt.

Nota. Praeclaras verae Christi Ecclesiae notas, ubique in Romano-catholica conspicuas, Protestantes obscurare tentant, sed irrito conatu, ut ex dicendis apparebit.

Obi. 1. Non est unitas regiminis et communionis apud Catholicos; tot enim sunt apud eos schismatum conventicula, tot sectae et divisiones, quot sunt monasteria, vel certe Monachorum ordines. Nam licet olim Monachi separatim ab aliis viverent, attamen separatim non recipiebant Sacramenta, sed in conventibus publicis cum reliqua plebe sacris intererant: nunc autem privata sibi altaria erexerunt, atque ita separatim ab aliis vivunt, et Christianorum titulo non contenti, alii vocantur Benedictini, alii Franciscani, alii Dominicani etc., ita loquitur *Calvinus* (3).

Resp. Unitati regiminis ecclesiastici non adversantur Monachorum societates, tum quia ab Ecclesia approbatae sunt, ab ea foventur, et sub eius sunt cura et protectione singulari; tum quia non minus quam ceteri fideles eandem profitentur fidem, et subsunt legitimis Pastoribus ac praecipue Primati. Fallitur

(1) L. 2 c. Ep. Parmen. c. 11.

(2) Cf. Perrone l. c. n. 237 in not.
(3) L. 4 Inst. c. 13, n. 14.

autem *Calvinus*, dum dicit, Monachos sibi erexisse privata altaria, quae primaevis temporibus non habebant. Monachos enim iam antiquitus sacerdotes habuisse, qui Sacramenta administrabant testantur *S. Epiphanius* (1), *Cassianus* (2), *S. Augustinus* (3) et alii. Dein schismaticus non est aliquis praecise propter diversum altare, nisi erigat illud in signum separationis et communionis abruptae; alioquin enim Parochi et Curati omnes essent schismatici, qui diversa habent altaria. Ad varias autem illas Monachorum appellationes, respondemus, has non denotare sectas ullas peculiares alienas, et seiunctas a corpore Ecclesiae, sed sic vocari ab institutore severioris disciplinae, cuius professionem et institutum ad maiorem evangelicae perfectionis gradum aspirantes amplexi sunt.

Obi. 2. Non potest admitti unitas fidei in Ecclesia Romana, quia Catholici dissentiunt in regula fidei statuenda, quam nonnulli a Romano Pontifice, cuius infallibilitatem defendunt, alii vero a Conciliis generalibus constitui dicunt, in quibus autem recensendis non conveniunt, ut patet ex Conciliis Constantiensi, Basiliensi, et Lateranensi V, quae a nonnullis ut oecumenica habentur, ab aliis repudiantur. Praeterea certum est, inter Catholicos dari Iansenistas, Indifferentistas, et incredulos, qui dogmata negant ab Ecclesia definita.

Resp. Circa regulam fidei omnes Catholici consentiunt credentes, Ecclesiam docentem, nempe Episcopos cum Primate, sive in Conciliis congregatos, sive per orbem dispersos infallibiliter Revelationem interpretari, et dogmata definire. Inerrantia Romani Pontificis nunquam ut fidei dogma definita fuit, et ideo illam nonnulli agnoscere recusant, quamvis argumentis gravissimis confirmetur. Quod attinet Concilia, omnes pariter Catholici in eo conveniunt, definita in Conciliis Constantiensi, et Basiliensi adversus Wiclefitas, Hussitas et alios haereticos, ac a Martino V et Eugenio IV confirmata, plenam obtinere auctoritatem, et in hoc nulla est disceptatio: ad reliqua vero quod attinet, quae dogma non attingunt, neque perhibentur a Rom. Pontifice approbata, ad criticam devolvuntur. De oecumenicitate Concilii Lateranensis V ob exiguum Episcoporum numerum a nonnullis dubitatum est, sed nunc ab omnibus uti vere oecumenicum habetur, etiam ab ipsis Gallis. Ceterum quando doctrina aliqua ut haeretica solemniter ab Ecclesia proscripta fuit, regula ac norma constituta est; quodsi peculiaria individua pervicaciter eidem obsistunt, sibi ipsis nocent, non autem Ecclesiae, quae eos extra fidei, ac propterea salutis viam esse pronuntiat. Iansenistae ergo, Indifferentistae, et increduli ut genuina Ecclesiae Catholicae membra agnosci non possunt.

Obi. 3. Doctrina Catholicorum sancta non est, quia plura continet superstitiosa, quibus verus et internus Dei cultus corrumpitur, imo etiam ad idololatriam provocat, dum Sanctorum cultum commendat. Praeterea Catholici docere non verentur, haereticis nullam fidem esse habendam, ipsaque iuramenta Sacerdotum arbitrio relaxari posse. Nemo denique negabit, in Theologis moralibus laxiores sententias inveniri, doctrinae evangelicae puritati repugnantes.

Resp. Haeretici dogmata catholica, placitis suis opposita, ut falsa suggillant; sed in Theologiae spe-

(1) In Epist. ad Ioan Hieros.

(2) Collat. 18, c. 15.

(3) De moribus Eccl. c. 33.

cialis decursu dogmata omnia contra adversariorum criminationes defenduntur. Caeremoniae Ecclesiae Catholicae, dummodo recte intelligantur, a superstitione longe remotae sunt, et verum ac internum Dei cultum non solum non impediunt, sed mire promovent, quod etiam moderatiores Protestantes fatentur, et ipsa experientia testatur (§ 47). — Catholici ipsi docent, licitum nullatenus esse, Sanctis, aut B. V. Mariae cultum latriae deferre: ergo ab idololatria penitus sunt immunes. — Nunquam Ecclesia catholica docuit, haereticis fidem nullam habendam esse, ut multi catholici Scriptores iam demonstrarunt. Falsum pariter est, Sacerdotum arbitrio permitti relaxationem iuramenti, aliarumque obligationum, si praesertim agatur de iure tertii. Quoad eas vero obligationes, quae nullius ius violant, et Deo tantum fideles adstringunt, iusta intercedente causa, Rom. Pontifex, aut Praesules etiam declarant, eas non obligare in peculiaribus adiunctis, in quibus cederent in perniciem animarum, cum saepe contingat nonnullos temere aut iureiurando, aut voto se obstringere. — Si qui Theologi laxiores sententias proposuerunt, a Rom. Pontificibus mox istae damnatae sunt, ut historia testatur; satis enim notae sunt propositiones ab *Alexandro VII*, ab *Innocentio XI*, ab *Alexandro VIII* etc. proscriptae.

Obi. 4. Inter salutis media in Ecclesia Catholica Sacramentum Poenitentiae, et Indulgentiae numerantur, quae autem magis ad scelera fovenda, quam ad ea impedienda inserviunt. Facilitas enim absolutionis, et Indulgentiarum copia homines ad multiplicanda incitat peccata.

Resp. Mirum est, quomodo haec nobis obiicere audeant Protestantes, qui docent, per solam fidem omnia peccata cum omnibus poenis remitti, quin aliae cordis dispositiones requirantur. Per hanc assertionem scelera foventur, non autem per doctrinam catholicam. Ipsa enim necessaria peccatorum confessio homines ab his deterrere solet: praeterea peccatores veniam non consequuntur, nisi vere contriti et satisfacere parati sint: nemo propterea ex doctrina Ecclesiae Catholicae exposita in Concilio Tridentino rite absolvi potest, qui sincere non doleat de peccatis praeteritis, et firmiter non proponat; quodsi casus contingat, in quo haec regula non servatur, non Ecclesiae doctrinae, sed aut confessariorum, aut poenitentium vitio verti debet. Etiam ut Indulgentias quis lucretur, interno poenitentiae spiritu animari, et opera quaedam bona praescripta perficere debet; ergo etiam Indulgentiae nullatenus teporem promovent, sed humanam adiuvant infirmitatem.

Obi. 5. Ecclesia Catholica non potest dici sancta in membris; denominatio enim desumitur a maiori parte: atqui etiam inter Catholicos plures sunt mali, quam boni; Religiosorum quoque, et Sacerdotum mores corrupti sunt; imo et inter Episcopos, ac Pontifices Romanos pessimi extiterunt.

Resp. Denominatio non semper desumitur a numero, vel extensione, sed saepe, praecipue dum agitur de societatibus humanis, a parte nobiliori: sic civitas dicitur opulenta propter quosdam in ea opulentos, licet multo plures in ea sint inopes. Ergo etiam Ecclesia Catholica rectissime sancta nominatur, quia semper animas iustas et sanctas in suo sinu fovet: nec refert, quod plures mali, quam boni sint, quia Christus ipse praedixit, in sua Ecclesia

futuros esse peccatores, imo multos intrare per viam perditionis, et ideo multos esse vocatos, paucos vero electos. Ceterum Protestantes frequenter mores Catholicorum, ac praecipue Religiosorum, Sacerdotum, et Episcoporum inique denigrant, et si tristem quemdam lapsum, qui etiam inter Apostolos non defuit, comperiunt, eundem ubique propalant, exaggerant, et remota omni iustitia et caritate, ceteris quoque eiusdem conditionis personis affingunt. Recte ideo ipsorum calumniis illud idem reponi potest, quod *S. Augustinus* Manichaeis dixit: « Vestrum oculum malevolus error in solam paleam nostrae segetis ducit; nam et triticum ibi cito videretis, si et esse velletis (1). » « Fruges in agro, frumenta in area quaerite; apparebunt facile, seseque offerent ipsa quaerentibus. Quid nimis in purgamenta oculos intenditis? quid ab opimi horti ubertate imperitos homines sepium asperitate terretis?... Sunt in Ecclesia catholica innumerabiles fideles, qui hoc mundo non utantur, sunt qui utantur tanquam non utentes ut ab Apostolo dicitur (2). » Quod attinet Rom. Pontifices optime respondet Cl. *Perrone* (3): « Divina profecto providentia factum est, ut inter 258 Pontifices, qui a S. Petro ad Gregorium XVI Sedem Apostolicam ingenti 18 saeculorum lapsu occuparunt, vix decem plus minus numerentur, quorum vita maculata fuerit, quique ut plurimum factionum ingruentium opera ad Petri cathedram evecti sunt; sub quibus tamen nullum unquam fides passa est detrimentum. Si quis aliorum Principum successiones, praesertim haereticorum expenderet, eaque severitate in singulorum gesta inquireret, qua inquisitum est in gesta Rom. Pontificum, certe longe aliud spectaculum illi sese offerret intra paucorum saeculorum tractum. Verum haec omnia levissimi quidam auctores dissimulant, ut nobis nonnullorum Rom. Praesulum scandala perpetuo obtrudant. Odium excaecavit cor illorum. »

Obi. 6. Miracula, quibus Catholici Ecclesiae suae sanctitatem divinitus declaratam esse volunt, fidem non merentur, quia ex vulgi rumore desumpta, aut post longum tempus in iudicio pontificio examinata fuerunt, ubi idonei testes haud amplius adesse potuerunt. Quod si etiam admittatur, mira facta contigisse, non tamen inde Ecclesiae sanctitas probatur, quia etiam a daemone prodigia fieri possunt.

Resp. Miracula in Ecclesia Catholica semper patrata fuisse, non tantum ex rumore vulgi, qui ipsemet non semper despiciendus est, sed ex testimoniis quoque doctissimorum, et piissimorum virorum constat. Nam *S. Irenaeus* (4), *Tertullianus* (5), *S. Cyprianus* (6), *Dionysius Alex.* (7), *Eusebius* (8), *S. Athanasius* (9), *S. Hieronymus* (10), *S. Paulinus* (11), *Sulpitius Sev.* (12), *S. Augustinus* (13), *S. Gregorius M.* (14), *S. Bernardus* (15), et alii ea referunt miracula, vel quorum sese exhibent oculatos testes, vel quae a testibus coaevis, et fide dignis acceperunt. Et sane quovis tempore in Ecclesia catholica viri docti fuerunt, qui miracula, quae publicabantur, iuxta regulas criti-

(1) Lib. 5 et 11 c. Faustum.
(2) Lib. 1 de morib Eccl. c. 35, n. 77.
(3) De loc. theol. p. 1, c. 3, n 262 in nota 3.
(4) L. 2 c. haer., c. 32. (5) L. de anima c. 51.
(6) Lib. de lapsis. (7) Ep. 8 ad Philem.
(8) Hist. Eccl. l. 6, c 9.
(9) In vita S. Ant. Abb.
(10) In vita S. Hilarion. n. 39.
(11) In Poëm. 29. (12) In vita S. Martini.
(13) L. 22 de Civ. Dei, c. 8.
(14) In Dialog.

cas examinarunt, spuria reiecerunt, fide digna vero amplexi sunt. Dubitari ergo nequit, Ecclesiam Catholicam quovis saeculo veris fuisse miraculis illustratam. Ne minimum autem dubium moveri potest de veritate miraculorum, quae in causis beatificationis et canonizationis approbata fuerunt. Si quis enim summum rigorem considerat, qui in inquirenda veritate historica et philosophica miraculorum adhibetur, evidenter cognoscet, omnem fidem historicam e medio tollendam esse, si tali iudicio non creditur. Vera autem miracula sicut hominis, per quem fiunt, ita etiam Ecclesiae, quae ipsum genuit et aluit, sanctitatem confirmant, quia daemon ad confirmandum errorem veri nominis miracula perficere nequit (1).

Obi. 7. Si Catholicitas est verae Ecclesiae nota, dicendum est, Ecclesiam Romanam iam ante aliqua saecula a veritate defecisse. Nam Saec. XI Ecclesia Graeca, seu orientalis ab Ecclesiae Romanae communione seiuncta et independens facta est: quamobrem Ecclesia Romana ad solam Europam restricta haud amplius *Catholica* dici poterat; quod nomen multo minus vindicare sibi potest, postquam Saec. XVI multae provinciae per reformationem ab ipsa separatae sunt.

Resp. Ipsi adversarii fatentur, ad catholicitatem constituendam non requiri diffusionem *physicam* et *absolutam*, sed sufficere plane *moralem*, quae in eo consistit, ut in omnibus mundi cogniti partibus inveniantur aliqui verae Ecclesiae adhaerentes: quae sententia rectissime propugnatur, quoniam alias tribus prioribus saeculis Ecclesia Catholica non extitisset, et ultimis mundi temporibus, in quibus magna defectio praedicta est (2), desineret, cum tamen, ut probatum fuit, *indefectibilis sit*. Hoc principio statuto allata difficultas facile solvitur. Nam Ecclesia Romana licet post lugendum Graecorum schisma in sola Europa dominari videretur, ubique tamen gentium filios sibi obsequentes semper habuit, et habet. In Asia enim inter Graecos, et Islamitas, in Russia, in plagis indicis, in Africa, et in regionibus protestanticis, plures quovis tempore Christi in terris Vicario obsecuti sunt, et obsequuntur, eandemque cum ipso fidem et communionem professi sunt, et profitentur. His addi potest, quod cum Graeci ab Ecclesia Romana deficerent, plures septemtrionales populi ipsi uniti fuerint, et cum Lutherus, et Calvinus multos seducerent, in America orthodoxa fides praedicata, et late propagata sit. Nullatenus igitur Ecclesia Romana a nota Catholicitatis, aut a veritate unquam defecit.

Obi. 8. Praesules catholici nequeunt de divina missione, et apostolica successione gloriari; siquidem summus Pontifex eligitur a Cardinalibus, qui sunt institutionis humanae; Episcopi a Regibus eliguntur, et olim necessarius erat populi consensus.

Resp. Ordinatio ab electione distingui debet. Eliguntur quidem Pontifices a Cardinalibus, et Episcopi a Regibus, sed ordinantur ab Episcopis, qui sunt institutionis divinae, et veri Apostolorum successores. Modus electionis Ministrorum ad disciplinam, modus vero ordinationis per impositionem manus Episcoporum ad divinam pertinet institutionem.

Obi. 9. In ipsa cathedra Petri successio apostolica saepius fuit interrupta. Nonnulli enim aut violenter, aut fraudibus, et simoniace

(1) Cf. § 66 Resp. ad Obi. 5.

(2) II Thess. 2, 3.

Pontificatum adepti sunt: ab anno 1378 usque ad annum 1417 tres inter se Pontifices decertabant, et non constabat, quis esset Papa legitimus: imo annis 70 Sedes Romana vacavit, Pontificibus Avenione in Galliis residentibus.

Resp. Quamvis nonnullorum Pontificum electio ob vitium aliquod sive occultum, sive publicum fuisset nulla; subsequens tamen ratihabitio Ecclesiae omnes defectus iuris humani supplevit, et per acceptionem Ecclesiae facti sunt legitimi Pontifices: neque scelera paucorum Pontificum potuere eorum auctoritatem infringere; siquidem super cathedram Moysi sederunt Scribae et Pharisaei, quorum doctrinam sequendam docuit Christus, opera vero vitanda. — Tempore diuturni schismatis unus ex litigantibus, qui nempe legitime electus erat, semper fuit verus Pontifex Romanus, quamvis a contraria factione agnitus non fuerit. — Quamvis Pontifices Avenione commorantes Roma abfuerint, fuere tamen veri Pontifices Romani, B. Petri in Cathedra Romana successores; omnium enim iudicio absentia Principis a regno suo eum provinciis suis, iureque supremo non spoliat.

§. 291.

II. Ecclesiis Protestantium notae non competunt.

Notae verae Christi Ecclesiae omnino desunt Ecclesiis Protestantium, i. e. Ecclesiae Lutheranae, Calvinianae, Anglicanae, et multo magis Socinianae, aliisque sectis ex Protestantismo ortis.

1. Non adest in his Ecclesiis *Unitas* a) *interna*, quia non datur magisterium authenticum et infallibile, cui omnes se subiicere debeant, et cui tuto acquiescere possint. Imo cum pro regula fidei S. Scripturam assumant, per spiritum privatum exponendam, non potest unitas in fide exurgere, sed dissensionibus ianua aperta est. Ipsum Lutherum sibi in doctrinis suis constantem non mansisse, Protestantium Ecclesias continuas variationes passas, et confessiones quoque fidei publicas saepius mutatas fuisse, invicto modo ostendit *Bossuetus* (1). b) Deest quoque in Ecclesiis Protestantium *unitas externa*, tum quia non ubique eadem professio fidei viget, tum quia non unanimis circa Sacramentorum numerum consensus adest, tum quia non agnoscunt Primatem, ceu Centrum unitatis, cui omnes subesse debeant. Clamitant equidem Protestantes, se per mutuam caritatem, in Evangelio maxime commendatam, in unum spiritum et in unum corpus coadunari. Sed haec caritas, quae iuxta Evangelium ad omnes homines, etiam ad Iudaeos et Infideles extenditur, non potest illa nota dici, quae efficere debet, ut Ecclesia, seu coetus fidelium unum spiritum, et unum corpus constituat.

2. Sanctitas Ecclesiis Protestantium attribui non potest. a) *Doctrinas* enim sanctitati contrarias ipsi Protestantismi coryphaei proposuerunt Sic Lutherus docuit, sola fide, seu fiducia in Christi merita hominem peccatorem iustificari, bona opera necessaria non esse, imo haec ne a iustificato quidem homine perfici posse, etc. etc. Calvinus asseruit, homines ferrea necessitate sive ad bona, sive ad mala opera impelli, dari absolutum tum praedestinationis, tum reprobationis decretum, etc. (2). Protestantes sat communiter etiam consilia evangelica spernunt et vilipendunt. b) Requisita quoque ad sanctitatem media desunt; duo

(1) In Hist. Variat. Eccl. Prot.

(2) Cf. Möhler Simb. lib. 1, cap. 5.

etenim tantum sacramenta habentur, et nullum sacrificium, quod tamen etiam barbarae gentes ad cultum divinum necessarium duxerunt. Ob defectum omnis in cultu externo magnificentiae et sacrarum caeremoniarum, religiositatem ac devotionem internam requisito fulcro destitui, ipsi Protestantes moderatiores conqueruntur. — c) Quod sanctitatem membrorum attinet, ipsos Protestantismi auctores sanctos non fuisse, in confesso est apud omnes. Constat enim Lutherum superbia et ambitione plenum fuisse, intolerantem, sibi contradicentes turpissimis conviciis et sarcasmis obruisse, virginitatis voto ligatum matrimonium iniisse, etc.; eodem modo de Zwinglio, de Calvino et aliis varia flagitia a testibus fide dignissimis enarrantur. Absit equidem, ut omnes Protestantismo adhaerentes sinistre iudicemus, et de corruptis moribus vellicemus. Dantur enim, qui Evangelii et rationis dictamina sequentes, honestam vitam agunt, et multi in inculpabili errore versantur, atque ideo verae Ecclesiae uniti per gratiam divinam ad pietatem fovendam adiuvantur. Sed tamen Protestantium Ecclesiae ne unum quidem exhibere possunt, cuius sanctitas per miracula, vaticinia, aut alia signa supernaturalia probata fuisset. Ad tale quid ostendendum, irritos semper conatus adhibuerunt (1)

3. Ecclesiae Protestantium neque quoad *locum*, neque quoad *tempus* catholicae, seu universales dici possunt. a) Ex dictis enim apparet, omnes Ecclesias Protestantium, simul sumtas, cum extensione et numerositate Ecclesiae Romano-catholicae comparari non posse. Conati sunt equidem Protestantes Ecclesiam Graeco-schismaticam in suas partes trahere, sed frustra, nam eorum doctrina in duplici Graecorum concilio, Constantinopolitano et Hierosolymitano, anno 1672, damnata fuit. Eodem modo Protestantes, gloriosis Catholicorum successibus perculsi, sub finem saeculi decimi septimi tentarunt per missiones gentes infideles Ecclesiis suis aggregare; ast licet in hunc finem plurimos labores maximosque sumtus impenderent, parum tamen profecerunt, eorumque missiones magna ex parte steriles manserunt (2). b) Multo minus Ecclesiis Protestantium catholicitas quoad tempus, seu perpetua duratio competit. Nam ante Lutherum non fuerunt Lutherani, ante Calvinum non fuerunt Calviniani, ante Henricum VIII non fuit Ecclesia, uti modo exstat, Anglicana. Hisce ergo Ecclesiis iure dici potest cum *Tertulliano:* « Heri non fuistis. » Neque de perenni et constanti fide gloriari Protestantes possunt, quae, ut iam dictum est, continuo apud ipsos mutatur, et iuxta ipsorum systema mutari debet, imo nostris praecipue temporibus ita mutata fuit, ut celebriores ipsorum Theologi, fundamentalia Religionis christianae dogmata negantes, ad Socinianismum, seu Rationalismum transirent.

4. Minime Ecclesiae Protestantium *apostolicae* dici possunt. a) Non enim omnem Apostolorum doctrinam tenent, quia alterum Revelationis fontem, i. e. traditionem reiiciunt, neque solam Apostolorum doctrinam sequuntur, quia S. Scripturam non iuxta authenticae interpretationis lineam, sed iuxta privatum suum spiritum, erroribus obnoxium, exponunt. — b) Denique desunt ipsis penitus successores Apostolorum, legitima auctoritate missi, et requisita potestate instructi. Nam Lutherus et Calvinus reformationem aggressi sunt sine missione et potestate legitima, neque ordinaria, quia potestatem Ro-

(1) Cf. Perrone l. c. n. 242 in not.

(2) Cf. Perrone t. I, P. II, Prop. 40.

ni Pontificis et Episcoporum everm voluerunt, neque extraordinaria, quia nullis miraculis, vaticiniis, aut aliis supernaturalibus signis se ut legatos divinos comprobarunt: idem de Henrico VIII aliisque variarum sectarum auctoribus dicendum est, qui cum ipsi legitima missione et potestate carerent, hanc in alios transfundere non poterant.

Nota 1. *Ecclesia Graeca* potest duplex discerni — *unita*, et *non unita*, et haec vel Patriarchae Constantinopolitano *subiecta*, ad quam praeter Ecclesiam Constantinopolitanam - Antiochena, Hierosolymitana, et Alexandrina pertinet, vel *sociata* tantum, ut Ruthenica, vel *ab eo dissidens*, ut sectae Nestorianorum, Eutychianorum, etc. Sub nomine Ecclesiae Graecae schismaticae venit Ecclesia Graeca Patriarchae Constantinopolitano vel subiecta, vel sociata. Haec quidem quoad doctrinae capita multo magis Ecclesiae Romano-catholicae affinis est, quam Ecclesiae Protestantium, sed tamen non omnes verae Ecclesiae notae ipsi competunt. Nam a) Unitas externa ipsi deest ob defectum Primatus a Christo instituti, neque enim Patriarcha Constantinopolitanus, neque sacra Ruthenorum synodus se ut supremum authenticum, i. e. a Christo institutum tribunal comprobare potest, cum de humana utriusque institutione constet. — b) Sanctitas quoque huic Ecclesiae attribui non potest, cum magna ex parte ignorantiae et ruditatis tenebris involvatur: et post lugendum schisma nullum huius Ecclesiae membrum ostendi potest, cuius sanctitas per miracula, vaticinia, vel alia supernaturalia charismata comprobata fuerit. c) Neque haec Ecclesia catholica est quoad locum, cum extra orientales plagas atque Russiam vix aliquam extensionem habeat, multisque gentibus fere ignota sit Immerito quoque de antiqua et perpetua fide gloriatur, cum ab hac defecerit, negando processionem Spiritus S. a Filio, quam antiqui Patres, etiam Graeci, crediderunt, et non agnoscendo Primatum in Petro, eiusque successoribus divinitus institutum, quem Orientales quoque ante lugendum schisma et theoretice et practice agnoverunt. d) Ex eadem ratione *Apostolica* dici nequit, quia non integram et puram Apostolorum doctrinam tenet, et licet Ecclesias ab Apostolis fundatas in se contineat, tamen, quod praecipuum est, successorem Petri non habet.

Nota 2. Protestantes duas tantum Ecclesiae notas assignant: cum autem argumenta enervare non valeant, quibus a Catholicis probatur, veram Christi Ecclesiam necessario Unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam esse debere; hinc istas quoque notas Ecclesiae suae vindicare student: sed ad hoc probandum nil solidi proferre possunt.

Obi. 1. Unitas in Ecclesiis Protestantium obtinetur, quia omnes unam fidei regulam, nempe S. Scripturam tenent, eosdem libros symbolicos sequuntur, et controversiae, si quae emergunt, per comitia generalia dirimuntur.

Resp. S. Scriptura legitima ab auctoritate exposita, et ideo recte intellecta, unam fidem producere potest. Cum autem Protestantes legitimum et infallibilem S. Scripturae interpretem non agnoscant, et iuxta perversum suum systema cuique liberam S. Scripturae interpretationem committant; nunquam inter ipsos unitas oriri potest, quia historia teste pleraeque dissensiones et haereses ex S. Scriptura male exposita ortae sunt. — Neque unitatem conservare valent *libri symbolici*, qui a legitima auctoritate profecti non sunt, saepius iam mutationes subierunt, et nostris praecipue

temporibus inter Protestantes parvipenduntur: ipsi enim Pastores animarum saepe ab eorum doctrina sub vanis praetextibus recedunt, quamvis ad eandem in publicis institutionibus proponendam iuramento se obstringere debeant. Comitia generalia, fatentibus ipsis adversariis, fallibilia sunt, quibus proinde ceteri nec se subiicere tenentur, nec tuto fidere possunt.

Obi. 2. Sanctitas non deest sectis, quae omnes eo tendunt, ut homines a vitiis retrahant, et ad virtutem, seu sanctitatem informent. Quamvis vero opera bona non requirantur ad formalem iustificationem, non excluduntur tamen ut fidei et iustificationis fructus, et indices. Certe etiam inter Protestantes multi dantur, qui praeclaras virtutes, et praecipue caritatem erga proximum exercent. Denique Protestantes suos habent Martyres, qui in odium Religionis protestanticae interfecti fuerunt. Non deest ergo eis nota sanctitatis.

Resp. Inter antiquas sectas religiosas, quas Protestantes ipsi ut falsas et impias execrantur, nulla unquam extitit, quae sibi apparenter saltem non proposuerit, homines ad virtutem et sanctitatem informare, atque a vitiis abducere. Ubi autem, uti apud Protestantes fit, officia sanctitatis non rite describuntur, et media sanctitatis non exhibentur, vera sanctitas inveniri nequit. Et esto, quod bona opera (quae Lutherus impossibilia declaravit) in eorum doctrina non penitus excludantur, desunt tamen in eadem sufficientia motiva et incitamenta, quae ad superandam humanam ignaviam requiruntur. Non negamus quidem, etiam inter Protestantes quosdam virtutum actus poni: ast etiam Romani Gentiles multa dederunt virtutum moralium specimina, ut veteres historici testantur, neque tamen propterea sancti esse, aut dici possunt. Quamvis itaque naud difficulter concedamus, aliquos ex Protestantibus virtutes quasdam morales saltem exterius consectari; id tamen non pravae eorum doctrinae, sed communiter rectae educationi parentum, bonaeque indoli naturali adscribendum est. Homines itaque dici possunt honesti, non autem sancti, qui carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixerunt, et consilia Christi evangelica amplexi sunt (1). Caritatem quidem frequenter Protestantes in ore habent, commendant et pro suo commodo a Catholicis exigunt; sed, ut experientia testatur, eam opere non exercent, et Catholicos variis modis calumniari et persequi non formidant. — Martyres non poena facit, sed causa; alias quaelibet secta veros Martyres haberet. Cum ergo Protestantes illi malam causam defenderint, Martyres vocari nequeunt, praesertim cum plerumque non tam ob religionem, quam ob alia gravissima crimina fuerint interfecti.

Obi. 3. Nota Catholicitatis non deest Ecclesiis Protestantium, qui vere per totum terrarum orbem diffusi sunt. Constat enim, Anglos, quorum maior pars protestanticae doctrinae adhaeret, in omnibus mundi partibus inveniri, et imperium suum ubique dilatare.

Resp. Ad Catholicitatem constituendam iuxta dicta requiritur diffusio tum successiva, tum actualis, cum identitate doctrinae et communionis. Nullatenus ergo dici potest, omnes Protestantes, qui inter se quoque in variis dogmatibus dissentiunt, unam Ecclesiam constituere; cum potius in varias sectas scissi sint. Quaelibet autem secta seorsim sumpta angustis limitibus circumscripta est Ita si excipias partem Germaniae, Daniam, et Sveciam, vix invenies

(1) Matth. 19, 21.

Lutheranos. Idem dic de Zwinglianis extra Helvetiae tractus, de Hugonottis extra Gallias. Angli quidem latissime dominantur, sed inter ipsos sicut etiam in provinciis foederatis Americae plurimae sectae reperiuntur. Aiunt quidem nonnulli, omnes sectas, quae articulos fundamentales credunt, unam Ecclesiam constituere. Huic autem sententiae obstant, quae de unitate Ecclesiae dicta sunt, eademque sententia fusius mox refutabitur, cum de tolerantismo religioso sermo erit.

Obi. 4. Apostolicitas non a longa successorum serie, sed ab apostolica doctrina desumi debet: hanc vero tenent Protestantes, qui ex solis scriptis apostolicis purum Dei verbum hauriunt, et ab huius corruptione per Romanam Ecclesiam inducta alieni sunt.

Resp. In vera Christi Ecclesia praeter doctrinam apostolicam etiam adesse debet imperium sacrum, in Apostolis institutum; et ideo requiruntur etiam successores Apostolorum, ad quos sacra potestas transiit: his deficientibus vera Christi Ecclesia existere nequit. Ecclesiis porro Protestantium etiam ratione doctrinae Apostolicitas deest, tum quia ea respuunt quae Apostoli ore tenus tantum praedicarunt, tum quia scripta Apostolorum spiritui privato exponenda remittunt, et sinistris interpretationibus corrumpunt.

§. 292.

Conclusio.

Ex dictis patet, verae Ecclesiae notas in Ecclesia Romano-catholica omnes clarissime inveniri, easque deesse ceteris coetibus Christianorum. Ergo Ecclesia Romano-catholica est sola vera Christi Ecclesia, quam omnes amplecti iubentur, cui omnes integra mente adhaerere, et in qua omnes constanter debent, ut ad aeternam salutem perveniant. Oportet ergo, quemlibet eosdem sensus habere, quos iam habuit, et expressit S. Augustinus(1)scribens: « Multa sunt alia, quae in eius (Ecclesiae Catholicae) gremio me iustissime tenent. Tenet consensio populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem suam Dominus commendavit, usque ad praesentem Episcopatum successio Sacerdotum: tenet postremo ipsum Catholicae nomen. Ita ergo tot, et tanta nominis christiani carissima vincula recte hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia. Apud vos (haereticos) autem, ubi nihil horum est, quod me invitet ac teneat, sola personat veritatis pollicitatio. Si autem tantummodo promittitur, et non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide, quae animum meum tot et tantis nexibus Christianae Religioni adiungit ».

APPENDIX

DE TOLERANTISMO RELIGIOSO.

§. 293.

Tolerantismi religiosi notio.

Duplex Tolerantismus secernitur, *civilis, et religiosus:* prior, qui etiam *tolerantia politica* nominari solet, non est nisi licentia, seu facultas, quam Princeps, vel Respublica alienae religionis asseclis concedit, ut religionem suam publice profiteri et exercere possint. De hoc tolerantismo civili hic non est sermo, sed de religioso, qui est error eorum, qui putant, etiam extra Ecclesiam Catholicam in alia Religione, vel Ecclesia aeternam salutem obtineri posse. — Error iste, teste *Eusebio*, iam Sae-

(1) cap. 4.

culo II a quodam haeretico traditus fuit; et etiam *S. Augustinus* loquitur de haeresi, quae dicit, omnes haereticos recte ambulare. Sed haec absurda et impia sententia praecipue a Novatoribus lugendo reformationis tempore propugnata fuit. Tolerantismum vero varii varie extenderunt, et ideo triplex distinguitur, *universalis*, *particularis*, et *particularissimus:* a) *Tolerantismus universalis* est error eorum, qui dicunt, homines in quacunque religione salvari posse, sive sint Ethnici, sive Mahumetani, sive Iudaei, sive Christiani. b) *Tolerantismus particularis* est error eorum, qui docent, salutis viam patere iis omnibus, qui Religionem christianam colunt, quamcunque demum Ecclesiam amplectantur sive Catholicam, sive Graecam, sive Lutheranam, sive Calvinianam, etc. Sed etiam iste Tolerantismus saeculo decimo septimo restrictus fuit a Calvinianis, qui, ut damnationem suam, quam in synodo Dordraci habita contra Arminianos pronuntiaverant, vindicarent, auctore Petro Iurio distinctionem inter articulos fundamentales et non fundamentales statuerunt, et sic originem dederunt c) *Tolerantismo particularissimo*, qui est error eorum, qui omnibus illis salutem aeternam promittunt, qui Religionem christianam colentes in nullo articulo fundamentali dissentiunt: huic postmodum sententiae etiam aliae Protestantium sectae subscripserunt. — Ast huic triplici errori opponitur doctrina catholica, quae dicit, omnes homines sub dispendio salutis obligari, ut veram Christi Ecclesiam amplectantur, extra quam via salutis non patet. Ut huius doctrinae veritas probetur, error illi oppositus, i. e. Tolerantismus refutandus est.

(1) Marc. 16, 16. (2) Io. 3, 5.
(3) Io. 3, 18. (4) Io. 3, 36.
(5) Act. 4, 12. (6) II Thess. 1, 7 etc.

§. 394.

Tolerantismi religiosi refutatio.

Omnes homines strictissime obligari, ut veram Christi Ecclesiam, i. e. Romano-catholicam amplectantur, extra quam aeternam salutem consequi non possunt, atque ideo Tolerantismum neque universalem, neque particularem, neque particularissimum admitti posse, tum ex *S. Scriptura*, tum ex *Traditione*, tum ex *rationibus theologicis* probatur.

1. In S. Scriptura clarissimis verbis refutatur, et damnatur *Tolerantismus* a) *universalis*: in S. Litteris enim manifeste traditur, sine fide in Christum aeternam salutem obtineri non posse. Christus enim, cum Apostolis praecepit, ut euntes in universum mundum praedicent Evangelium omni creaturae, addit: *Qui crediderit* (vobis Evangelium meum praedicantibus) *et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* (1). — Idem divinus mundi Redemptor loquens de necessitate baptismi ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu S., non potest introire in regnum Dei* (2). Et inferius laudans summam Patris dilectionem, qua Filium suum unigenitum pro salute hominum misit, ait: *Qui credit in eum non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei* (3). Eandem veritatem iterum repetit, dicens: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam, qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum* (4). Petrus, ut Iudaeos ad recipiendum Evangelium Iesu Christi Nazareni excitaret, ait: *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (5). Paulus (6)

annunciat diem iudicii, et adventum *Domini Iesu in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Iesu Christi, qui poenas dabunt in interitu aeternas.* — — Apertissime ergo cum S. Scriptura pugnat sententia eorum qui dicunt, homines in quacunque Religione aeternam suam salutem consequi posse. b) Sed eodem modo per clarissima S. Literarum effata etiam *Tolerantismus particularis*, et *particularissimus* destruitur. Nam iuxta hanc erroneam sententiam non opus esset, ut omnia credantur, quae revelata sunt, sed sufficit, in Christum credere, vel saltem in praecipuis dogmatibus, seu in articulis fundamentalibus consentire; circa reliqua dissensio ita licita dicitur, ut a salute aeterna neminem excludat. — Sed S. Scriptura omnino contrarium docet. Strictissime enim praecipit, ut omnia credantur, unitatem in fide gravissime exigit, et omnes circa fidem dissensiones damnat, uti probatum est (§ 283 n. 1 et 2). Ergo etiam Tolerantismus particularis, et particularissimus S. Scripturae e diametro opponitur.

2. Cum S. Scriptura consonat Traditio. SS. Patres enim unitatem fidei maxime commendant (§ 283 n. 3), ideo haereticos (§ 280 n. 2) et schismaticos (ib. n. 3) ab Ecclesia et a salute alienos pronuntiant, et aperte asserunt, extra veram Christi Ecclesiam salutem non dari. Praeter loca iam citata etiam sequentia huc pertinent: *S. Ignatius M.* (1) ait: « Nolite errare, fratres, si quis schisma conflantem sequatur, regnum Dei non haereditabit, et si quis in alia opinione versetur, non consentit cum passione Christi. » — Idem (2) inquit: « Nolite seduci, fratres, adulteri regnum Dei non haereditabunt. Si autem isti, qui hoc iuxta carnem fecerunt, morte mulctati et condemnati sunt, quanto magis id ille meretur, qui per pravam doctrinam fidem Dei corrumpit, pro qua Iesus Christus crucifixus est? Qui tali labe maculatus est, in ignem inextinguibilem ibit, uti et ille, qui ipsi consentit. » — *Tertullianus* (3) ita heterodoxos alloquitur: Apostoli — « vos certe exhaereditaverunt semper, et abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos: unde autem extranei et inimici Apostolis haeretici, nisi ex diversitate doctrinae, quam unusquisque de suo arbitrio adversus Apostolos aut protulit, aut recepit? » *Origenes* (4) ait: « Sicut illi, qui fornicaverunt, regnum Dei non possidebunt, ita nec hi, qui haereses tenuerunt: » et alibi (5): « Extra Ecclesiam nemo salvatur. » *S. Cyprianus* (6) inquit: « Quisquis ab Ecclesia segregatus adulterae iungitur, a promissis Ecclesiae separatur, nec perveniet ad Christi praemia..... Alienus est, profanus est, hostis est: habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noë fuerit, et qui extra Ecclesiam fuerit, evadit. » — *S. Hilarius Pict.* (7) docet: « In sola Catholica Ecclesia, sicut columba in arca, vera quies invenitur, et semita ad coelum. » *S. Ambrosius* (8) scribit: « Omnes haereticos et schismaticos a regno Dei, et ab Ecclesia intellige separatos. » « Mirum proinde non est, ait ad Novatianos (9), si salutem aliis negatis, qui vestram recusatis. » *S. Hieronymus*, quem Petrus Iurius suae causae patronum appellat (10),

(1) Ep. ad Philad. c. 3.
(2) Ep. ad Ephes. c. 16
(3) L. de praescript. c. 37.
(4) Comment. ad Tit. (5) Hom. 3 in Ios.
(6) L. de unit. Eccl. (7) In Ps. 146 n. 12.
(8) In Luc. l. 7, n. 95.
(9) De Poenit. l. 2, c. 4, n. 27.
(10) Ep. 14, al. 57 ad Damasum P.

ita scribit: « Cathedrae Petri communioni consocior... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum; qui tecum non colligit, spargit. — Supra illam Petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noë arca non fuerit, peribit regnante diluvio. » — *S. Augustinus* (1) ait: « Intra istam aream (Ecclesiam) boni et mali esse possunt, extra eam boni esse non possunt. » — Huic traditioni insistens Concilium *Lateranense* IV (2) definivit: *Una est Fidelium universalis Ecclesia, extra quam nemo salvatur.*

3. a) Christus revelationem mundo attulit, ut modum indigitet, quo homines Deum colere, et salutem suam operari debeant: quodsi homines hunc modum servare nolint, partam a Christo salutem consequi non possunt. b) Christus instituit Ecclesiam docentem, quam omnes audire (Cap. II), et imperantem, cui omnes obedire (Cap. III) tenentur. Qui gravissimum hoc Christi praeceptum non adimplent, eodem modo salvari non possunt, sicut illi, qui alia gravia Dei praecepta violant. c) Qui sententiam defendit, non omnia credenda esse, quae revelata sunt a Christo, in Filium Dei impius et blasphemus est, quia eo ipso adstruere cogitur aliquid a Christo revelatum esse vel falsum, vel saltem inutile, ita ut idem sit, sive credatur, sive non credatur. d) Theoriam Protestantium de articulis fundamentalibus et non fundamentalibus in Revelatione fundamentum non habere, iam ex eo apparet, quia inter ipsos nunquam unanimi consensu statutum fuit, quaenam doctrinae pro articulis fundamentalibus habendae sint.

Nota. Catholicorum doctrina, qua dicitur, extra Ecclesiam Catholicam neminem salvari posse, multis nimis dura, Dei misericordiae et caritati contraria videtur. Ideo etiam iam nonnulli Ecclesiam Catholicam respuendam esse censuerunt, quia tam crudelem ac Deo indignam sententiam defendit. — Gravissime autem aberrant, qui talia sentiunt et deblaterant. Nam a) Catholici hanc sententiam non defenderent, nisi revelata esset; ipsam autem revelatam esse ex utroque Revelationis fonte iam probatum est. b) Haec porro sententia Deo indigna, vel eius attributis contraria nullo modo dici potest. Deus enim nullo modo tenebatur ad lapsum genus humanum redimendum, et si hoc non praestitisset, a nemine reprehendi posset, sed infinite sanctus, iustus et bonus laudandus esset. Cum autem Deus ex infinita bonitate homines in peccata lapsos redimere decrevit, quis reprehendet eum, aut quis ipso indignum iudicabit, quod pro liberrima sua voluntate et infinita sapientia conditiones praescripserit, quas homo adimplere debeat, ut fructuum Redemptionis et recuperatae salutis particeps reddatur? inter conditiones autem praescriptas hanc praecipuam nobis Revelatio assignat, quod homines institutam a Christo Ecclesiam ingrediantur, et illi perfecte subiiciantur. Quid facilius, quid melius, quid sapientius praescribi potuisset? omni iure ergo Deus illos damnat, qui talem conditionem adimplere recusant. Ipsa sana ratio, si misericordiam et caritatem Dei extollit, infinitam eius sanctitatem, sapientiam et iustitiam negare non potest. — Hominum profecto non est, sapientiae divinae regulas praescribere, vel limites infinitae misericordiae, et infinitae iustitiae assignare, cum omnia, quae

(1) L. de un. bapt. c. 16, n. 51.

(2) Cap. Firmiter.

Deus ens primum et independens decernit, non aliunde bona, sancta, sapientia et iusta dici possint, nisi ex eo, quia vult. e) Denique nota difficultas maxima ex parte evanescit, si doctrina catholica rite exponitur. Dum enim Ecclesia Catholica dicit, *infideles*, qui nec baptizati sunt, nec fidem in Christum concipiunt, aeternam salutem consequi non posse, inter illos, qui culpabiliter, et eos qui inculpabiliter in infidelitate manent, distinguit. Qui culpabiliter errori inhaerent, dum veritatem agnoscere possent et deberent, iuxta ipsa sanae rationis dictamina iure plectuntur. Qui autem omnino inculpabiliter infidelitati suae insistunt, uti sunt, quibus Evangelium nunquam praedicatum fuit (1), hi damnantur, aut puniuntur non propter dissensum, seu neglectum Ecclesiae ingressum, sed propter peccatum originale, quod in ipsis non deletur, vel propter peccata actualia, quae commiserunt: iustum et aequum autem semper est, ut, qui peccavit, puniatur. Si quis autem huiusmodi infidelis legem naturalem exacte observet, veritatem amet, et Deum, quem rationis lumine agnoscit, invocet, etiam per miraculum, ut Cornelius Centurio, et Eunuchus Reginae Candacis ad rectam fidem perduci potest. — *S. Thomas Aq.* dicit, Deum potius Angelum missurum esse ad talem infidelem instruendum, quam permissurum, ut sine regeneratione pereat. Neque Angelo opus est, cum Deus per gratias internas fidem supernaturalem et caritatem excitare possit. Imo non desunt, qui putant, infidelem, qui legem naturalem observat, paratus ad omnia perficienda, quae Deus ab ipso exigit, baptismo flaminis, seu desiderii purgari, Ecclesiam ingredi, et aeternam salutem consequi posse. — Quoad haereticos Ecclesia Catholica distinguit *formales*, qui culpabiliter et pertinaciter errorem tenent, et *materiales*, qui sine omni culpa et pertinacia in errore cubant. — Illi se ipsos damnationi obnoxios reddunt; hi vero Ecclesiae Catholicae membra manent, et, si caeteroquin rectam vitam agant, salvantur. Idem *S. Augustinus* docet, qui (2) ait: « Qui sententiam suam, quamvis falsam et perversam nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim, quod non audacia praesumtionis suae pepererunt, sed a seductis et in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos reputandi ». (3).

(1) Rom. 10, 14. (2) Ep. 163 ad Glor.

DISSERTATIO II.

De Ratione in relatione ad Religionem revelatam spectata.

§. 295.

Ratio homini data est, ut veritatem inquirat et cognoscat, et licet per labem originalem ipsius vires imminutae et debilitatae sint, non tamen extinctae fuerunt, sed homo, ope rationis, potest ad certas cognitiones pervenire, quod contra Scepticos ipsa experientia et sensus intimus probant. Multae quoque Religionis naturalis veritates per rationem satis certo cognosci possunt. Ideo Paulus Gentes, revelatione destitutas reprehendit, quod lumine rationis usae non sint ad Deum recte cognoscendum et glorificandum; ait enim (4): *Invisibilia ipsius* (Dei) *a creatura mundi per ea, quae facta*

(3) Perrone t. I, p. II, prop. 11 et 12.
(4) Rom. 1, 20 etc.

sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt etc. Negari ergo nequit, dari veritates ad Religionem naturalem spectantes, quarum cognitionem sufficientem et certam ratio sibi comparare potest. Quoniam autem homines etiam ad religionis naturalis completam cognitionem nonnisi difficillime per solam rationem pertingunt, ac in ea inquirenda facile aberrant, et quia dantur veritates ad Religionem pertinentes, scitu necessariae, et rationi imperviae (1); ideo Deus O. M. hominibus per Revelationem subvenit. Quaeritur ergo iam, quid ratio circa Religionem revelatam praestare possit ac debeat. Quaestio haec eo maioris momenti est, quo plures hac de re sententiae nostris praecipue temporibus circumferuntur. Ut autem quaestio haec solvatur 1. *theoria de usu rationis in Religionis revelatae, ac Theologiae negotio statuenda*, 2. dein *haec theoria ad varia rationis munera applicanda est*, 3. postea *relationes, quae inter rationem et revelationem intercedunt, exponendae sunt;* ac 4. demum *brevis historia adnectenda est*, qua ostendatur, quid ratio circa revelationem, seu philosophia circa theologiam actu praestiterit.

ARTICULUS I.

Theoria de usu rationis in Religionis revelatae et Theologiae negotio.

§. 296.

Dum quaeritur de usu rationis in Religionis revelatae, ac Theologiae negotio, duae sibi oppositae sententiae vigent, quarum utraque a veritate aberrat. — *Prima* dicit, in Religione Christiana rationi nullum aliud ius et officium competere, nisi ut se submittat in obsequium fidei; omnem autem Philosophiam ut inutilem, aut noxiam reiiciendam esse: ad hanc sententiam adducti sunt nonnulli *ex fanatismo*, seu *ex dominandi libidine*, qua non tam pro revelatione, quam pro suis effatis caecam fidem exigebant: alii ex *pigritia*, qua rationis suae vires rite applicare, ac studio intendere noluerunt, et hoc idem etiam in aliis vituperarunt: alii *ex errore*, qua putabant, genuinam Philosophiam esse illam, quae vel cum Humio de omnibus dubitat, vel cum Voltairio omnibus irridet, vel cum aliis omnia, quae rationem superant, negat. Huic sententiae adhaerentes *Supranaturalistae* dici consueverunt. *Secunda* sententia e contra ita rationem ceu revelatae Religionis iudicem statuit, ut omnia per rationem indaganda, exponenda et probanda dicantur, et nihil credendum admittatur, nisi quod ratio intelligit, et ut veritati consonum probat rationalibus, seu philosophicis principiis nixa. Huius sententiae causae sunt: *superbia rationis*, quae semetipsam libenter in thronum exaltat, et per mysteria offenditur; *corruptio voluntatis*, quae revelationis veritates timet, et eiusdem praecepta genio corrupto accommodare studet; ac tandem *abusus*, qui circa Religionis exercitium irrepserunt, et cum ipsa Religionis essentia, seu cum Revelatione confusi sunt. Huius sententiae asseclae *Rationalistae* dicuntur. Istae duae sententiae erroneae iam confutandae sunt, ut media via incedere, et rectam sententiam statuere liceat. Rationi nimirum *iura* quaedam in revelatae Religionis et Theologiae negotio concedenda, sed etiam *limites* praescribendi sunt

(1) P. I, S. II, Cap. III

§. 297.

I. Rationis iura.

Rationem a Religionis revelatae, et Theologiae negotio non penitus excludi posse, sed ampliorem ipsius usum admittendum esse, tum ex *natura hominis*, tum ex *natura rationis*, tum ex *indole Revelationis christianae*, tum ex *auctoritate*, et ab *exemplis* probatur.

1. Homo enim solummodo per rationem et voluntatem modo naturae suae consentaneo operatur, seu actus vere humanos ponit. Religio autem, quae homini praecipitur, actus humanos postulat; ergo usus rationis a Religione excludi nequit.

2. Ratio, sicut Revelatio, Deum habet auctorem. Deus enim principia, quae evidenter certa cognoscimus, largo modo revelat nobis, seu potius illa cognoscimus per Deum, qui ceu prima Veritas lucet nobis (§ 34). Deus autem sibi contradicere non potest; sana ergo ratio non potest opponi revelationi, nec revelatio rationi.

Qui falsas et absonas doctrinas spargit, necessario philosophicas indagationes reformidat. Ideo Muhammedus studia philosophica interdixit. Ast - omnino aliter Revelatio Christiana comparata est, quae, licet multa in se contineat, quae rationem superant, nec minimum tamen proponit, quod rationi contrarium sit. Non est ergo, cur sanae rationis areopagum timeat. Imo excellentia huiusce Religionis revelatae eo clarius apparet, quo magis per sanam Philosophiam, et intra iustos terminos consideretur. Doctrina potius suspecta redderetur, omnem circa illam rationis usum interdicendo.

4. Paulus ipse rationis usum in Religionis negotio adstruit, quia (1) ipsam supremi Numinis cognitionem rationi adscribit. Praeterea iubemur omnia probare (2), probare potiora (3), probare spiritus (4), rationabile obsequium exhibere (5), probare, *quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta* (6) etc. quae omnia sine ratione fieri non possunt. Licet autem nonnulli istis locis abutantur, ut rationem, seu spiritum privatum hominis inique et inepte in thronum exaltent, quibuscum consentire non licet; negari tamen non potest, usum quempiam rationis modestum et recte limitatum non permitti solum, sed etiam commendari. Magnae ideo semper utilitatis habitum est rectae Philosophiae studium, debito modo susceptum; et a Theologis quoque approbatur satis notum dictum: « Philosophia leviter gustata a Deo abducit, penitus exhausta ad Deum reducit. »

5. Ideo, si SS. Patrum opera perscrutemur, facile cognoscimus, ipsos in studiis philosophicis ieiunos non fuisse. Sicut enim Philosophiae sedulo operam navarunt, sic etiam Philosophia usi sunt ad Theologiam exornandam, et contra adversarios defendendam. Eminent hac in re *S. Iustinus M.*, *S. Clemens Alex.*, *S. Chrysostomus*, *S. Augustinus* etc. Eodem modo etiam Theologi scholastici Philosophiam cum Theologia coniunxerunt. Aut quis negabit, *S. Thomam Aq.*, *S. Bonaventuram*, *Ioan. Duns Scotum*, *Suarezium* etc. magnos Philosophos fuisse? Omnes isti reprehendendi et reiiciendi essent, si non liceret in Religionis ac Theologiae negotio ratione uti.

(1) Rom. 1, 20.
(2) I Thess. 5, 21.
(3) Phil. 1, 10.
(4) I Io. 4, 1
(5) Rom. 12. 1.

§. 298.

II. Rationis limites.

Si iura rationi conceduntur, limites quoque ipsi praescribere oportet. Errant enim, et gravissime errant Rationalistae, qui rationis iura nimium amplificant, et dicunt, quod ratio omnia, quae revelata sunt, indagare, omnia comprehendere, omnia e suis principiis evolvere, omnia diiudicare possit et debeat. In tali sententia ratio revelationi non subiicitur, sed huius iudex statuitur. Talem autem sententiam nullo modo admitti posse, apparet ex *doctrinae christianae sublimitate*, ex *SS. Patrum effatis*, et ex *rationis humanae imbecillitate*.

1. Christus haud obscure indigitavit, se doctrinam talem proponere, quae non per superbam rationem inquirenda, sed per humilem fidem suscipienda est. Ait enim (1): *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli, et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis:* loquitur hic de doctrinis a se revelatis, quae illis absconditae manent, qui Philosophorum more omnia per propriam rationem indagare et diiudicare student, illis autem prosunt, qui parvulorum more auctoritati fidem praebent etiam in iis, quae non intelligunt. — Eodem modo Paulus clare asserit, talia in doctrina a Christo revelata contineri, quae rationis captum superant. Ait enim (2): *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium:* ergo fides talia proponit, quorum argumenta, seu rationes intrinsecae humano intellectui non apparent. Idem (3) dicit: *Sapientiam vero non huius saeculi, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula, quam nemo principum huius saeculi cognovit:* quibus verbis, ut ex contextu apparet, Paulus causam assignat, ex qua Iudaei Evangelium non receperunt, et Dominum gloriae crucifixerunt, quae non alia intelligi potest, nisi quia humili fide carentes omnia per superbam rationem suam indagare voluerunt: ideo fidem Christianorum non ex speculatione rationis, sed ex operatione Spiritus S. repetit (4). Denique cum de variis Dei iudiciis, seu decretis, quae nobis patefacta sunt per Christum, locutus esset, exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius* (5)! ergo iudicia, seu decreta Dei, et viae, seu actiones eius, licet nobis revelentur, comprehendi et investigari a ratione humana non possunt. Christi Revelatio igitur talia continet, quae rationis captum transgrediuntur: si vero horum ratio statuitur iudex, idem est, ac si caeco de coloribus, et surdo de musica iudicium committatur, quorum uterque nonnisi ex aliorum testimoniis fidem concipere potest.

2. SS. Patres passim testantur, in Religione Christiana talia dogmata inveniri, quae per rationem humanam comprehendi non possunt, et ideo humili fide suscipienda sunt. Sic *S. Basilius* (6) ait: « Si cuncta intelligentia nostra mensurare voluerimus, et quod mente non capimus, id nihil esse putaverimus; amittetur profecto fidei, amittetur et spei remuneratio. » *S. Chrysostomus* (7) inquit: « Quoties Deus aliquid asserit, quod minus scrutari

(1) Matth. 11, 25.
(2) Hebr. 11, 1.
(3) I Cor. 2, 6 etc.
(4) Ibid. v. 10-16.
(5) Rom. 11, 33. (6) L. 2 ad Eunom.
(7) Hom. 11 de incompr. Dei nat.

valeas, ex bona fide recipiendum est; nam rerum eiusmodi causas pertinacius quaerere, rationes exigere, modum sciscitare animi certe nimis audacis est et temerarii. » *S. Ambrosius* (1) exclamat: « Aufer argumenta, ubi fides quaeritur: taceat dialectica; piscatoribus creditur, non dialecticis. » — *S. Augustinus* l. de util. credendi, ubi ex professo ostendit, in iis, quae Revelationem spectant, auctoritate credendum, et non inquisitionibus philosophicis indulgendum esse, dicit: « Credimus, et sine ulla dubitatione credimus quod scire non posse confitemur. » Idem (2) Manichaeos, quonum effatum erat, nihil credendum, nisi quod scimus, ita alloquitur: « Qui in Evangelio quod vultis, creditis, quod non vultis, non creditis vobis potius, quam Evangelio credetis. » — *S. Cyrillus Alex.* (3) scribit: « Oportet quae supra nos sunt, bde venerari, non ratione inquirefie. Imbecillior enim mens hominis rst, quam ut intelligentia capere ella possit. » — *S. Gregorius M.* (4) inquit: « Mira, quae ex fide creidenda sunt, perscrutanda per rationem non sunt: quia si haec nostris oculis ratio expanderet, mira non essent. »

3. Infirmitatem rationis humanae ipsi modestiores et solidiores Philosophi agnoverunt, illamque continua experientia probat. In naturalibus quoque multa sunt, quae perfecte comprehendere et explicare non valemus. Scimus animam agere in corpus, et corpus in animam, quomodo autem id fiat, nemo Philosophorum perfecte exposuit; ad varia phoenomena declaranda variae hypotheses statui solent, quarum plerumque nulla difficultatibus caret. Si ergo in naturalibus haud pauca rationi quoad nexum intrinsecum impervia sunt, negare sane non potest, circa supernaturalia, quae a Deo nobis revelantur, non omnia a mente humana perfecte comprehendi posse. — Ratio hominis limitata, intellectus Dei infinitus est. In sphaera rationis finitae non omnes veritates contineri possunt, quas intellectus infinitus perspicit, et revelare potest. Imo talium veritatum revelationem non solum possibilem (§. 54), sed etiam necessariam hominibus esse (§. 59), argumenta rationalia probant. Maxime ideo absurdum est, post factam a Deo benignissimo revelationem iterum rationem quasi in thronum exaltare, ac ipsi ius adscribere, omnia, quae revelata sunt, indagandi, diiudicandi, comprehendendi, et e suis principiis evolvendi. Ratio, infirmitatis suae conscia, per quam facillime ubique in errores pertrahitur, intra limites suos manere, et etiam in iis, quae comprehendere nequit, auctoritati divinae, quae falli, et fallere non potest, poenitus se submittere debet. Egregie in rem disserit *Salvianus* (5): « Rationem dicti quaeris? non reddo. Interim Deus hoc dixit. De hoc locutus est mihi. Verbum illius summa ratio est. Removeo argumenta, removeo disputationem. Sola mihi ad credulitatem sufficit persona dicentis. Non licet mihi de fide dicti ambigere, non licet deliberare. Quid mihi quaerere, quomodo verum sit quod Deus dixit, cum dubitare non debeam, quin verum sit, quod Deus dixit? »

Nota 1. Sicut Revelatio formalis et materialis distinguitur, ita a Theologis Catholicis dogmata dividuntur in ea, quae comprehendi, et in ea, quae

(1) L. 1. de Fid.
(2) L. 17 c. Faust., v. 3.
(3) L. 2 c. Iulian.
(4) L. 6 Moral. c. 14.
(5) L. 4 de Gubern., c. 6.

non comprehendi possunt. Sat communem hanc divisionem sequentibus verbis proponit Cl. Klüpfel (1): « Ex dogmatibus divinitus traditis alia sunt, quae post revelationem ita nobis innotescunt, ut non solum probe perceptas habeamus notiones subiecti et praedicati; sed etiam nexum cognoscamus, quo praedicatum subiecto cohaeret. Contra vero dantur alia, quae etiam facta revelatione ita sunt humanae intelligentiae impervia, ut quamquam, quid sibi subiectum et praedicatum velint, intelligamus, quo tamen modo praedicatum subiecto conveniat, nulla ratione assequi possimus. Ac istius quidem generis propositiones appellantur *mysteria* revelata, seu theologica.» — Hanc divisionem suggillat *Doct. Fr. A. Staudenmaier* (2), et dicit, eam neque in S. Scriptura, neque in SS. Patribus fundamentum habere, atque postea addit, in natura, in Religione naturali, et in Religione revelata multa quidem dari, quae non comprehenduntur, et ideo mysteria vocantur, sed hanc ista comprehendendi impotentiam non absolutam, sed temporariam esse, et per maiorem culturae gradum e medio tolli posse: mysteria ergo in sensu proposito penitus ab ipso negantur. — — Talem autem sententiam admittere non licet. Concedendum equidem est, terminos subiecti, praedicati, et nexus inter utrumque neque in S. Bibliis, neque in SS. Patribus inveniri, eo modo, quo postmodum ad naturam mysteriorum declarandam in scholis adhibiti sunt. Sed tamen eadem res, eadem veritas, aliis terminis expressa, tum in S. Literis, tum in SS. Patribus invenitur, uti ex locis citatis apparet. Imo SS. Patres persaepe de variis dogmatibus in specie ingenue fatentur, a ratione humana comprehendi non posse nexum intrinsecum, quo praedicatum subiecto inhaeret. Sic. e. g. SS. Patres circa mysterium SS. Trinitatis docent, secundam Personam procedere a prima per generationem, et tertiam Personam procedere a prima et secunda non per generationem, sed per spirationem; candide autem fatentur, rationem intrinsecam, seu causam huius discriminis intelligi, et explicari non posse: sic Maximino hac de re quaerenti *S. Augustinus* (3) respondet: « De Patre est Filius, de Patre est Spiritus S., sed ille genitus, iste procedens..... haec scio, sed distinguere inter illam generationem, et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio. » Hoc idem ad eandem quaestionem reposuerunt *S. Athanasius* (4), *S. Basilius* (5), *S. Gregorius Naz.* (6), *S. Epiphanius* et alii. Et Concilium *Lateranense* IV (7) ait: *Confitemur cum Petro, quod una quaedam res est, incomprehensibilis quidem et inaestimabilis, quae veraciter est Pater, Filius, et Spiritus S., tres simul personae* etc. etc. Eodem modo Patres Incarnationem Filii Dei incomprehensibilem dicunt. Sic *S. Augustinus* (8) loquens de Incarnatione supernaturali modo peracta, dicit: « Demus, Deum aliquid posse, quod nos fatemur investigare non posse. » De eadem ait Concilium *Toletanum* XI (9): *Quodsi ratione colligitur, non erit mirabile, si exemplo, non erit singulare.* Transfusionem peccati originalis comprehendi et explicari non posse, *S. Augustinus* fatetur, dum Iuliano quae-

(1) T. I, Proleg. §. 95.
(2) Christliche Dogmatik I. B. §. 10, n. 2.
(3) L. 2 c. 14. (4) Ep. ad Serapion.
(5) De Spir. S. c. 18
(6) Orat. c. Sabellian.
(7) Cap. 2 de error. Abb. Ioachim.
(8) Ep. 3 ad Volusiam.
(9) Can. 1, n. 4.

renii, quomodo infans peccati reus constituatur, nihil aliud reponit, nisi Revelationis effatum; ait enim (1): « Quid quaerit latentem rimam, cum habeat apertissimam ianuam? *Per unum hominem*, ait Apostolus, *per unius delictum*, ait Apostolus, *per inobedientiam unius hominis*, ait Apostolus, quid quaerit amplius? quid quaerit apertius? quid quaerit inculcatius? » — Idem sentiunt Patres de operationibus gratiae, de praedestinatione, de Eucharistia, et aliis multis. — Conati sunt equidem Theologi nexum inter subiectum et praedicatum, seu rationem intrinsecam mysteriorum explicare, et ideo varia hincinde systemata compilarunt, sed non ea mente, ut veritates supranaturales in ordinem veritatum naturalium detruderent, et incomprehensibilia comprehensibilia facerent, sed ut ea, quae perfecte comprehendi nunquam possunt, saltem aliquo modo ingenio humano attemperentur, et praecipue ut facilius et clarius ostenderent, in doctrina mysterii revelata nihil esse contra rationem, licet semper sit et maneat supra rationem. Caeterum lugenda experientia testatur, maximos plerumque errores, fidei oppositos, ex nimis arroganti conatu mysteria fidei per subtiles rationis speculationes comprehendendi et explicandi enatos esse. Retinenda ergo est allata dogmatum divisio, quidquid doctissimus et celeberrimus auctor contra illam scripserit.

Nota 2. Usum ergo rationis, cui iura concedenda, sed et limites praescribendi sunt, sic moderare oportet, ut etiam iura Dei revelantis, et Ecclesiae docentis intacta serventur. Iure ergo dici potest: Reddite, quae sunt Evangelii, Evangelio, quae sunt Ecclesiae, Ecclesiae, et quae sunt rationis, rationi. Tali modo inter Revelationem, Ecclesiam et rationem harmonia exurgit, quam vere existere posse et debere, iam ex eo apparet, quia omnium auctor est Deus, et omnium idem est finis, nimirum gloria Dei et hominum salus. Ut autem haec armonia actu stabiliatur, opus est, ut ratio, dum iura sua exercet, seu id, quod sui muneris est, adimplet, limites quoque sibi praescriptos observet.

(1) L. 2 de nupt. et concup. c. 28.

ARTICULUS II.

Theoriae propositae applicatio.

§. 299.

Dum de usu rationis in Religionis ac Theologiae negotio quaeritur, ut adaequata responsio detur, non generalis regula statui potest, sed varia munera distingui debent, circa quae in materia Religionis ratio versari potest. Agi enim potest vel *de vera Religione invenienda*, vel *de Religione revelata illustranda, ac tradenda*, vel *de Religione revelata defendenda*. — Ad hoc triplex munus proposita theoria applicanda est, et in quolibet tum iura, et officia, tum etiam limites rationis assignare oportet.

§. 300.

I. In Religione invenienda.

A. Rationis iura.

1. Ratio ad veritatem cognoscendam creata est; ideo homini naturale veritatem cognoscendi, errores autem vitandi ac deponendi desiderium, ius et officium inest. Ex hoc iure aliud ius profluit, subsidiis ad errorem vitandum, et ad veritatem cognoscendam aptis, utendi. Inutilia autem essent subsidia, si de rebus sine praevia consideratione animo perceptis dubitare non liceret.

Ideo exoritur ius in homine, de rebus sine praevio examine perceptis prudenter dubitandi. Ex eadem ratione etiam in gravissimo Religionis negotio homo potest et debet illius veritatem et motiva credibilitatis investigare (1).

2. Si agitur de Religione invenienda, multa a ratione praestanda sunt, quae tanquam praeambula fidei spectari possunt. Rationis enim est, Dei existentiam, dein Religionis ac Revelationis tum possibilitatem, tum necessitatem probare, atque demum characteres assignare, quibus vera Revelatio a falsa secernatur (2).

3. Ratio quoque Revelationis characteres variis, quae se revelatas dicunt, Religionibus applicat, et sic veram Revelationem invenit, i. e. ostendit, Religionem christianam vere a Deo revelatam, et ab omnibus suscipiendam esse (3).

4. Ratio demum, iam per revelationem illustrata, ex notis, quibus Deus Ecclesiam a se institutam insignivit, veram Ecclesiam a falsis secernere, seu certo ostendere potest, solam Ecclesiam Romano-catholicam esse veram Ecclesiam Christi (4).

§ 301

B. Rationis limites.

1. De veritate Religionis christianae dubitare, res est plena periculi; nam dubius in fide infidelis est, ut dicitur Cap. I de haeret., et homo pro infirmitate sua, dubia excitans et nutriens, in errores facile prolabitur. Ipsa ergo dubitatio tum quoad *causam*, ex qua oritur, tum quoad *modum*, quo suscipitur, inter iustos limites est coarctanda. a) Dubitatio enim ex duplici causa oriri potest. Dubitari nempe de re aliqua potest, non quasi res ipsa suspecta sit, sed ut dubitando, examinando, vel disputando, res clarior et certior fiat: et haec dubitatio certe rationi consentanea et licita est. Ast dubitari etiam potest ex superbia et levitate animi, aut ex perversitate cordis ad rei veritatem non examinandam et cognoscendam, sed obscurandam et destruendam, quod non raro in illis contingit, qui ob mores suos corruptos optarent, ut vera non sit Religio Christiana: talis autem dubitatio rationi contraria, improba et reiicenda est. — b) Genuinus quoque in dubitando modus servandus est: sicuti enim homo se ab erroribus praemunire potest et debet, sic etiam veritatem respuere prohibetur, imo hanc amplecti iubetur. Criteria ergo veritatis prudenter, humiliter et moderate invertiganda sunt, et cognitis sat solidis argumentis fides habenda est. Nefas profecto est, de certissimis principiis, rebus, aut factis dubitare, quae communi consensu suscipiuntur, et in quibus non dissentiunt, nisi qui vel mente stupidi, vel praeiudiciis et passionibus obcaecati sunt. Absonum quoque est, mathematicam certitudinem, sive evidentiam poscere in iis, quae ea sola auctoritate cognosci possunt; nam ipsa Philosophia docet, facta ex authenticis monumentis, et non per speculationes philosophicas probanda esse (5).

2. Cognitae revelationi divinae homo rationem suam penitus submittere, et ea, quae a Deo revelata sunt, credere debet, non quia ex rationibus intrinsecis ea vera esse cognoscit, sed propter Dei revelantis

(1) Cf. Murator. de ingen. moderat. cap. 2.
(2) Perrone t. q, p. 3, s. 1, c. 1, a. 1, pr. 1.
(3) Cf. Perrone l. c. prop. 3.
(4) Perrone l. c. prop. 4.
(5) Cf. Murator. de ingen. moderat. lib. I, cap. 2. 5.

infallibilem auctoritatem. Cessat ergo hisce in veritatibus ius rationis quoad examen internum: cum enim Deus falli et fallere non possit, ea, quae ab ipso revelantur, vera sunt per se, et non propter rationis assensum.

§. 302.

II. In Religione illustranda et tradenda

A. Rationis iura.

1. Cum varii generis veritates revelatae in S. Scriptura et Traditione sparsim, utpote in diversis occasionibus prolatae, inveniantur, ratio illas, quae ad specialem disciplinam theologicam spectant, colligit, et ita in ordinem redigit, ut una alteri lucem affundat, earum nexus appareat, et omnes, quantum fieri potest, sub uno obtutu collocentur. Sic ratio producit in Theologia *tractationem systematicam*, quae magna emolumenta affert (§ 17 n. 1).

2. Ratio terminos, quibus doctrinae ad Revelationem spectantes enuntiantur, explicat, genuinas earundem notiones distinctionibus, paritatibus, exemplis etc. clariores reddit, solidis rationibus fulcit, adnotationibus, et reflexionibus philosophicis et historicis ornat, et sic promovet *tractationem eruditam* (1).

3. Ratio ex veritatibus revelatis *conclusiones deducit*, et sic aliarum veritatum theoreticarum cognitionem progignit. Et si conclusio ita est evidens, ut per oppositum sequeretur simul esse, et non esse, seu aperta contradictio, exurgit inde veritas, seu *propositio theologice certa*, et sententia huic opposita *erronea* omni iure appellatur (2).

4. Ratio ex veritatibus theoreticis *usus practicos* eruit, et veritates practicas, seu leges morales revelatas ad varios casus, seu vitae circumstantias et hominum actiones applicat, et ita *tractationem pragmaticam* construit.

5. In iis, quae revelata non sunt, et ab Ecclesia ad credendum non proponuntur, liberum erit ingenio humano id sentire, quod post diligens examen veritati magis consonum apparebit, iuxta celebre dictum S. Augustini: « In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas. » —

6. In tradenda Religione rationis ius et officium est, ut modum docendi auditorum indoli accommodet. Eaedem enim Religionis veritates non uno semper eodemque modo tradi possunt. — Aliter enim Theologiae Candidatis in scholis, aliter pueris, aliter adultis in Catechesibus proponendae sunt. Ratio ergo veritates religionis tradendi modum determinare debet, qui attentis omnibus circumstantiis optimus censetur.

§. 303.

B. Rationis limites.

1. Systema utile est ad veritates addiscendas et tradendas, non autem necessarium ad illas evincendas. Nequaquam ergo de systemate iusto magnificentius sentire oportet, neque alios ob huius formae neglectum contemnere licet. Imo qui systema condit, maxime cavere debet, ne potius veritates suo systemati, quam systema suum veritatibus accommodare conetur. Non systema veritates producit, sed veritates recte propositae rectum systema progignunt.

2. In explicatione notionum et terminorum cavere debet ratio, ne a sensu Ecclesiae et Theologiae recedat: ideo non semper ex vocum Etymologia, ex Philologia, vel Philoso-

(1) Perrone l. c. cap. 5, art. 1, prop. 2.

(2) Cf. Melch. Can. abbrev. de ration. p. 175

phia explicationes terminorum et notionum peti possunt, sed potius attendendum est, quo in sensu voces a Theologis adhibitae, et quomodo ab Ecclesia intellectae et adhibitae fuerint.

3. Humana ratio nunquam potest fidei articulum condere. Nihil enim potest esse de fide catholica credendum, nisi quod a Deo revelatum est; nam *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei*(1). Omnis ergo consequentia, licet certo et evidenter deducta, est quidem sententia theologice certa, non autem dogma fide catholica credendum.

§. 304.

III. In Religione defendenda.

A. Rationis iura.

1. Cum dogmata pluribus argumentis probari soleant, ideo humana ratio in haec inquirere et varia colligere, ac adhibere potest. Cum autem etiam ad certissimum dogma confirmandum inepta argumenta afferri possint, haec a ratione examinari, et si ad probationem minus idonea inveniantur, etiam reiici possunt.

2. Adversarii praecipue ex falsa Philosophia suas contra Religionem revelatam obiectiones petere solent, et in doctrina fidei repugnantias metaphysicas, physicas, vel morales adesse, ostendere conantur. Rationis iam non solum ius, sed et officium est, apparentes istas repugnantias, seu antilogias solvere, et ostendere, in doctrina fidei nihil rationi contrarium inveniri, sed inter rationem et revelationem optimam harmoniam adesse.

3. Ad rationem pariter spectat, obiectiones solvere, et difficultates removere, quae contra authentiam, aut rectum sensum S. Bibliorum, scriptorum SS. Patrum, et aliorum documentorum ecclesiasticorum ab adversariis ex Critica, vel Philologia, etc. proponuntur.

(1) Rom. 10. 17.

§. 305.

B. Rationis limites.

1. Meminerit ratio, in probationibus dogmatum christianorum nullum argumentum philosophicum, sed solam auctoritatem divinam credendi motivum, seu fidei fundamentum constituere. Dogmata ergo ex Revelationis fontibus, Ecclesia duce, comprobanda sunt.

2. Quamvis varias a Theologis ad confirmanda dogmata allatas rationes ingenium nostrum examinare, et infirmas ac ineptas reiicere possit, illas tamen rationes fundamentales, quas ipsa Ecclesia, quae in recte intelligenda et exponenda S. Scriptura et Traditione errare nequit, ad dogmata comprobanda affert, vel quae communi consensu a SS. Patribus, et Theologis adhibentur, negare, vel reiicere non licet, cum et ipsae ad fidem pertineant (2).

3. Licet harmonia inter rationem et revelationem in multis fidei veritatibus perfectissima ostendi possit, in multis tamen haec harmonia finitae hominis rationi conspicua non est, licet probari possit, nihil rationi contrarium adesse, quod generatim in mysteriis contingit. Incassum ergo laborat, et erroribus facillime implicatur, qui omnia Revelationis capita ex ratione evolvere et explicare conatur.

(2) Cf. Murator. l. c. cap. 13.

ARTICULUS III.

Relationes inter rationem et revelationem.

§. 306.

Ex dictis iam colligi potest, quomodo ratio et revelatio se invicem habeant, seu quaenam inter utramque mutuae relationes obtineant.

1. Ratio et revelatio sibi nullatenus contradicunt, sed inter utramque harmonia existit, quod probatur a) *a priori*, quia idem Deus, qui sibi contradicere nequit, utriusque auctor est, per utramque ad nos loquitur, et nonnisi ad salutarem veritatis cognitionem nos perducere cupit: b) *a posteriori*, quia nullum ostendi potest caput, in quo ratio et revelatio inter se pugnent. Equidem per octodecim saecula Religionis christianae adversarii plurimos conatus adhibuerunt, ut in doctrina a Christo revelata, et ab Ecclesia Catholica proposita contradictiones invenirent, sed tamen id probare nullatenus potuerunt; nam difficultates, quas contra dogmata catholica moverunt, felici semper successu solutae sunt.

2. *Ratio* quodam in sensu *prior* est Revelatione; ratio enim revelationis factae veritatem investigat et probat; quare, si rationis usu destituti essemus, nec revelationis recipiendae, nec fidei exercendae pares essemus. — Ast in alio sensu *Revelatio ratione prior et superior* est, quia ratio revelationi se submittere debet, licet eam capere non possit.

3. *Ratio et Revelatio se mutuo iuvant et sustinent*. Nam ratio expendit motiva credibilitatis, ex quibus Religioni revelatae adhaerendum est, et sic fidem sustentat. E contra Revelatio plurima, quae ratio veluti dubitanter solum et obscure cognoscit, certo et clare docet, et sic Revelatio rationem confirmat.

4. *Obiectum* Religionis si respiciamus, negari non potest, etiam rationem multas ad religionem naturalem spectantes veritates cognoscere posse. Sed obiectum Religionis revelatae multo maiorem extensionem habet. Sicuti enim per Revelationem formalem veritates religionis rationalis clariores et certiores redduntur, ita per Revelationem materialem etiam tales veritates manifestantur, quas ex suis principiis ratio evolvere non potest.

5. *Subiectum* Religionis si attendamus, certum est, homines multo facilius, tutius et efficacius per Revelationem, quam per rationem ad Religionem cognoscendam et exercendam perduci. Homines enim ab infantia assuescunt auctoritati credere, et pleraque nonnisi ex aliorum testimoniis addiscunt: perpauci sola propriae rationis speculatione veritatum cognitionem sibi comparant: hominum ergo indoli nihil magis congruum est, quam auctoritas, et quidem divina ac infallibilis, cui se in gravissimo Religionis negotio submittant. Accedit, quod in Religione revelata assensus hominum etiam per gratiam divinam adiuvetur, et firmetur, quia fides supernaturalis est donum Dei, seu effectus gratiae.

6. *Effectus* ideo longe uberiores et splendidiores Revelatio, quam ratio in Religionis negotio producit. Ratio enim sibi relicta ad perfectam Religionis cognitionem, et ad finem nostrum nos perducere nequit: id autem praestat Revelatio, quae iam per formam suam supernaturalem nos ad Deum elevat et cum ipso coniungit. Ipsa iam historia testatur, per optima quoque Philosophorum documenta parum homines emendatos, sed per Religionem a Christo revelatam mores corruptissimos in sanctissimos mutatos fuisse. — Ex his omnibus Revelationis praestantia clare apparet.

ARTICULUS IV.

Nutus historici de influxu Philosophiae in Theologiam.

§. 307.

Historiam Religionis Christianae obiter tantum percurrenti facile patebit, in Religionis revelatae ac Theologiae negotio *rectum Philosophiae*

usum non parum profuisse, abusum autem Philosophiae maxime nocuisse.

N. Rectae Philosophiae scopus est, veritatem quaerere, et inventae tenaciter inhaerere. Illi ergo consonum est, veritatem amplecti, undecunque illa cognoscatur. — Veritas autem tutissime per Revelationem cognoscitur, et per firmam fidem retinetur. — Huic principio insistentes viri doctissimi tum primi, tum medii aevi christiani, non ut veritates iam per Revelationem patefactas invenirent, sed ut istas scientifico modo pertractarent, et contra adversarios defenderent, Philosophiae insudarunt. Nimirum SS. Patres Platonica potissimum Philosophia usi sunt, non ut fidei veritates ex hac eruerent, sed ut dogmata ex Revelationis fontibus cognita erudito modo pertractarent, et ut tum infidelium, tum haereticorum, qui ratione sua ad impugnandam et corrumpendam Religionem christianam abutebantur, errores refutarent. Id prae caeteris praestiterunt *S. Iustinus M.*, *Origenes*, *S. Athanasius*, uterque *S. Gregorius Naz.* et *Nyss.*, *S. Chrysostomus*, et praecipue *S. Augustinus*. — Posteriori aevo Philosophia Aristotelis ad exornandam Theologiam adhibita fuit, et sic enati sunt Theologi scholastici, qui non iam fidei veritates ab Aristotele desumserunt, sed tantum formis a peripatetica Philosophia praescriptis usi sunt ad veritates revelatas, ea eterasque materias ad Religionem aliquo modo spectantes scientifico modo pertractandas. Eminuerunt inter istos iam saeculo decimotertio *Alexander Halensis*, *S. Thomas Aquinas*, *S. Bonaventura*, *Albertus M.*, et alii, qui in praeclaris scriptis suis egregie doctrinas Religionis et declararunt, et probarunt, et defenderunt. Eodem modo etiam in subsequentibus saeculis viri illustres extiterunt, qui rationem neque spernentes, neque negligentes, sed multo magis revelationi inhaerentes, Philosophia nonnisi ut famula usi sunt ad dominam suam, Theologiam, et adiuvandam et exornandam. Hoc modo Philosophia Theologiae non parva servitia praestitit.

2. Post sedatos bellorum tumultus, et praecipue post inventam artem typographiae, etiam laicis tum tempus concessum fuit, tum media suppeditata sunt scientiis incumbendi, quae prius fere tantum apud personas ecclesiasticas, et in coenobiis inveniebantur. Mox deinde opinio invaluit, Philosophiam sine Theologia pertractandam, et veritates, etiam ad Religionem spectantes, sine respectu ad Revelationem pertractandas esse. Ex absono et temerario isto conamine factum est, ut recentiores Philosophi non tam novas veritates invenirent, nec nova systemata conderent, sed potius ethnicorum errores sub alia forma iterum in lucem proferrent, et antiquum *Materialismum*, *Idealismum*, *Scepticismum*, et *Pantheismum* ad novam vitam revocarent. a) *Materialismo*, qui praeter materiam sensibilem nihil agnoscit, et hominem ad meram, ut dicunt, organizationem revocat, aditum quodammodo patefecit, quin id praevideret, et intenderet, cel. *Baco de Verulamia*, qui studium naturae maxime commendavit, istud omnibus aliis scientiis praetulit, et Syllogismum ex orbe literario eliminatum voluit (licet inductionem, quae est Syllogismi genus, commendaret). Multo magis Materialismo causam dedit *Io. Loke*, dum docuit, animam, quam tabulae rasae comparavit, omnes ideas suas ex sensibus haurire: hanc theoriam prosecuti sunt *Condillac*, *Bonnet*, etc. ac ex eadem denique putidum Materialismum, seu sensualismum excoxit *auctor impii libri de systemate naturae*, qui

ex principio, quod dicit omnes ideas a sensibus dependere, intulit, ipsam animam, quae ideas percipit, nonnisi in materia consistere, et ideo omne ens spirituale, ipsumque Deum negavit. b) Alii Philosophi contrariam ineuntes viam, et cognitiones humanas non ex sensibus, sed ex ipsa anima repetentes, *Idealismum* procrearunt. Huic sane ansam praebuit *Cartesius*, dum innatas animae ideas assumsit, quae a rebus existentibus ita non dependeant, ut hae potius dependeant ab illis: similem theoriam elaborarunt *Leibnitius* et *Wolfius*, ita tamen, ut personalem Dei existentiam, et Religionis ac Revelationis necessitatem non negarent. *Kant* quoque ab hac theoria non abhorruit, et ideas aliquas innatas admisit; sed in philosophia sua critica ipsam rationem crisi subiiciens, dividens et secans, rationi theoreticae nullam de Deo caeterisque rebus transcendentalibus ideam inesse propugnat. Eiusdem Philosophiae criticae principiis insistens *Fichte* eousque pervenit, ut doceret, omnes cognitiones ita esse a mente cogitante productas, ut omnes res extra *To* Ego eatenus tantum existant, quatenus cogitantur. Ad summum tandem apicem hunc idealismum provexit *Hegelius*, in cuius systemate omnis empirica cognitio evanescit, omne reale obiectum extra mentem cogitantem existens negatur, et Deus ipse, qui verbis admittitur, nonnisi in mente humana cogitante sui conscius fit (1). c) Ex praefatis philosophicis systematibus alius quoque error, nonnullis iam ethnicis Philosophis proprius, nimirum *Scepticismus*, iterum in lucem prodiit. Sic *David Humius*, Lokii theoriae inhaerens, iuxta quam omnes ideae a sensibus petuntur, tum Dei existentiam, tum immortalitatem animae, tum omnem Religionem in dubium vocavit, quia haec omnia per sensus non percipiuntur. Eundem Scepticismum circa omnia, quae Religionem attinent, dilatarunt et propagarunt *Bayle*, *Voltaire*, *Roussedu*, etc — *Kant* equidem Scepticismo Humii et aliorum se opponere conatus est. Ideo rationem in theoreticam, in practicam et in empiricam divisit, et in ratione theoretica innatas de tempore et spatio ideas, ac certas categorias, seu leges cogitandi assumsit, iuxta quas omnia, quae extra hominem contingunt, diiudicanda sunt, ex quibus praemissis intulit, non tam cognitiones nostras a rebus existentibus, sed has potius ab illis dependere. Ast - cum id sensui communi et naturali intellectui repugnet, et totam rerum extra hominem contingentium existentiam dubiam reddat, Scepticismus ab ipso non refutatus, sed immutatus et auctus fuit. — d) Ultimo demum per recentiorem Philosophiam etiam *Pantheismus*, quem multi iam ex ethnicis Philosophis tenuerant, reproductus est. Hunc *Spinoza* mathematica methodo probare conatus est (§ 38). Eundem errorem alii licet ex variis principiis propugnarunt. Ex Materialismo videtur originem duxisse Pantheismus *Schellingii*, qui ad oppugnandum Idealismum, constituendumque Realismum absolutum, systema theoretice invexit Identitatis, asseruitque, naturam esse fundamentum existentiae Dei, eandemque in Deo consubstantialem esse spiritui, quamvis in externa tantum manifestatione ac forma sit ab illo diversa. — E contra ex Idealismo progreditur Pantheismus *Hegelii*, cui ideo *Pantheismus logicus* non immerito dicitur. Deus enim in Logica concipitur in se, in aeternitate suarum essentiarum fundamentalium. Ast, cum in hoc statu consistere non

(1) Cf. J. Beck Encyclopädie d. theor. Philos. §. 205—§. 236. Stuttgart 1844.

possit, necesse est, ut sese evolvat extra se in multiplicitate externa entium naturae; hinc habetur philosophia naturae: verum neque potest in hoc statu exterioritatis ac transitionis subsistere, sed opus est, ut ex hac multiplicitate se iterum recipiat in unitatem sui esse, et Spiritus evadat; exinde oritur philosophia spiritus. Tunc demum Ens absolutum acquirit cognitionem, seu conscientiam sui, fitque personalitas infinita. — Sed haec audivisse sufficit, ut etiam refutata sint: quid enim magis absurdum cogitari potest, quam enti primo a priori leges praestabilire, iuxta quas evolvi debeat, et Deum talem credere, qui mutationibus obnoxius, et ita imperfectus sit, ut in homine tantum sui conscius fiat? — Tristia profecto argumenta, ad quantam abyssum Philosophia perducat, si semitam Revelationis relinquat! — — (1).

1. Cf. Staudenmaier, Darstellung und Kritik des Hegel'schen Systems n. IV. S. 53-150.

O. A. M. D. G.

INDEX

§ 1. Introductio in Theologiam *pag.* 3

Caput I.

§ 2. Encyclopaedia theologica » 3
§ 3. Notio Theologiae etymologica » 3
§ 4. Notio Theologiae realis » 4
§ 5. Divisio Theologiae ratione fontium » 4
§ 6. Divisio Theologiae ratione ambitus » 5
§ 7. Divisio Theologiae specialis » 5
§ 8. A. Subsidia Theologiae » 5
§ 9. I. Studii biblici » 6
§ 10. II. Studii historici » 7
§ 11. III. Studii philosophici *pag.* 8
§ 12. B. Partes Theologiae specialis » 10
§ 13. I. Theologiae theoreticae » 10
§ 14. II. Theologiae practicae » 11
§ 15. III. Theologiae hierarchicae » 12

Caput II.

§ 16. Methodologia theologica » 13
§ 17. I Officia docentium Theologiam » 14
§ 18. II. Officium discentium Theologiam » 16

THEOLOGIA GENERALIS

§ 19. Theologiae generalis notio » 18
§ 20. Theologiae generalis divisio » 18
§ 21. Theologiae generalis momentum » 19

THEOLOGIAE GENERALIS

PARS I.

Theoria rationis de Religione et Revelatione.

SECTIO I.

Theoria rationis de Religione.

§ 22. Ordo dicendorum » 19

Caput I.

§ 23. Religionis notio ac divisio » 20
§ 24. Censura aliarum Religionis definitionum » 20

Caput II.

§ 25. De auctore religionis, seu de Deo » 22

Articulus I.

§ 26. Notio Dei » 23

Articulus II.

§ 27. Existentia Dei » 23
§ 28. I. Argumentum cosmologicum » 24
§ 29. II. Argumentum physico-theologicum » 27
§ 30. III. Argumentum ex motu » 29
§ 31. IV. Argumentum historicum » 29
§ 32. V. Argumentum ontologicum » 31

§ 33. VI. Argumentum ex postulato rationis practicae *pag.* 31
§ 34. VII. Argumentum ex idea veritatis » 33
§ 35. VIII. Argumentum ex imperio legis moralis » 34
§ 36. IX. Argumentum ex desiderio felicitatis » 35

Articulus III.

§ 37. A. Censura Atheismi » 36
§ 38. B. Censura Pantheismi » 38

Caput III.

§ 39. De subiecto Religionis seu de homine » 41
§ 40. A. Natura hominis » 41
§ 41. B. Finis hominis » 43

Caput IV.

§ 42. De Religionis possibilitate et necessitate » 44
§ 43. A. Religio est possibilis » 44
§ 44. B. Religio est necessaria » 45

Caput V.

§ 45. De spiritu Religionis » 46
§ 46. I. De Religione interna » 46
§ 47. II. De Religione externa » 48

Caput VI.

§ 48. De Religionis utilitate » 50

Caput VII.

§ 49. De Religionis universalitate seu de regno divino morali » 51

SECTIO II.

Theoria rationis de Revelatione.

§ 50. Momentum et nexus doctrinae 52

Caput I.

§ 51. Revelationis notio atque divisio 53

Caput II.

§ 52. Possibilitas Revelationis supernaturalis et immediatae» 55
§ 53. A. Possibilitas Revelationis formalis » 55
§ 54. B. Possibilitas Revelationis materialis » 57

Caput III.

§ 55. Necessitas Revelationis *pag.* 61
§ 56. A. Necessitas Revelationis formalis » 61
§ 57. I. Argumentum philosophicum » 62
§ 58. II. Argumentum historicum» 63
§ 59. B. Necessitas Revelationis materialis » 67

Caput IV.

§ 60. Characteres Revelationis » 72
§ 61. I. Characteres interni » 73
§ 62. II. Characteres externi » 74

Articulus I.

§ 63. De Miraculis » 75
§ 64. Miracula sunt possibilia » 75
§ 65. A. De obiectiva miraculorum possibilitate » 75
§ 66. B. De subiectiva miraculorum possibilitate » 79

Articulus II.

§ 67. De Vaticiniis seu de Prophetiis 83
§ 68. Prophetiae sunt possibiles 83
§ 69. A. De obiectiva prophetiarum possibilitate » 83
§ 70. B. De subiectiva prophetiarum possibilitate » 85
§ 71. Conclusio capitis » 87

THEOLOGIAE GENERALIS

PARS II.

§ 72. Demonstratio Religionis christianae » 88

SECTIO I.

§ 73. De auctoritate librorum factam divinam Revelationem contestantium » 90

Caput I.

§ 74. De auctoritate librorum V. T. 91

Articulus I.

§ 75. De auctoritate Pentateuchi » 93
§ 76. I. Pentateuchus est genuinus » 94
§ 77. II. Pentateuchus integer ad nos pervenit » 103

§ 78. III. Pentateuchus est omni fide dignus *pag* 108

Articulus II.

§ 79. De auctoritate reliquorum librorum V. T. » 118

Caput II.

§ 80. De auctoritate librorum N. T. 127

Articulus I.

§ 81. Libri N. T. sunt genuini » 132
§ 82. I. Libros N. T. genuinos ostendunt characteres interni » 132
§ 83. II. Libros N. T. genuinos probant characteres externi » 134
§ 84. III. Libros N. T. genuinos demonstrat suppositionis impossibilitas » 137

Articulus II.

§ 85. Libri N. T. sunt integri, et incorrupti » 140
§ 86. I. Libros N. T. integros probant argumenta critica » 140
§ 87. II. Libros N. T. integros demonstrat corruptionis impossibilitas » 143

Articulus III.

§ 88. Auctores librorum N. T. sunt fide dignissimi » 147
§ 89. I. Auctores librorum N. T. requisita scientia pollebant » 147
§ 90. II. Auctores librorum N. T. vera narrare voluerunt » 150

SECTIO II.

§ 91. De divinae Revelationis existentia » 162

Caput I.

§ 92. Revelationis divinae primordia in Religione patriarchali » 162
§ 93. I. Characteres interni Religionis Patriarchis revelatae » 163
§ 94. II. Characteres externi Religionis Patriarchis revelatae » 166

Caput II.

§ 95. Divinae Revelationis incrementa in Religione mosaica *pag.* 168

Articulus I.

§ 96. Characteres interni Religionis per Moysen revelatae » 168

Articulus II.

§ 97. Miracula ceu characteres externi Religionis per Moysen revelatae » 176

Articulus III.

§ 98. Vaticinia, ceu characteres externi Religionis per Moysen revelatae » 182

Articulus IV.

§ 99. Specialis Dei erga Hebraeos providentia » 184
§ 100. Prima Epocha » 184
§ 101. Secunda Epocha » 185
§ 102. Tertia Epocha » 188
§ 103. Conclusio capitis » 188

Caput III.

§ 104. Legi mosaicae succedere debuit Revelatio perfectior » 189

Articulus I.

§ 105. De promissionibus Messiae » 190

Articulus II.

§ 106. De tempore adventus Messiae » 191
§ 107. I. Vaticinium Iacobi » 192
§ 108. II. Vaticinium Danielis » 193
§ 109. III. Vaticinium Aggaei et Malachiae » 199
§ 110. IV. Vaticinia de dispersione Iudaeorum » 200
§ 111. V. Vaticinia de vocatione Gentium » 201
§ 112. Conclusio » 202

Articulus III.

§ 113. De characteribus Messiae a Prophetis praesignatis » 204
§ 114. I. Vaticinia Messiae ortum, et nativitatem spectantia » 207
§ 115. II. Vaticinia Messiae vitam, resque ab eo gerendas spectantia » 208

§ 116. III. Vaticinia Messiae passionem et mortem spectantia *pag.* 210
§ 117. IV. Vaticinia Messiae statum post mortem spectantia » 213
§ 118. Conclusio huius capitis » 215

Caput IV.

§ 119. Revelationis divinae complementum, et perfectio in Religione christiana » 216
§ 120. Vita Christi mirabilis » 216
§ 121. Character Christi insignis » 218
§ 122. Religio Christi divina » 219

Articulus I.

§ 123. De doctrina Christi » 221
§ 124. A. Doctrinae christianae synopsis » 221
§ 125. B. Doctrinae christianae excellentia » 224
§ 126. C. Doctrinae christianae origo divina » 226

Articulus II.

§ 127. De miraculis a Christo patratis 228
§ 128. A. Miraculorum Christi veritas philosophica » 229
§ 129. I. Miracula in natura inanimata » 229
§ 130. II. Sanationes aegrotorum » 230
§ 131. III. Curationes daemoniacorum » 232
§ 132. IV. Resuscitationes mortuorum » 233
§ 133. V. Resurrectio Christi » 234
§ 134. B. Miraculorum Christi veritas relativa » 240
§ 135. Continuatio » 243

Articulus III.

§ 136. De prophetiis a Christo prolatis » 244
§ 137. I. Prophetiae de fatis Christi » 245
§ 138. II. Prophetiae de fatis discipulorum Christi » 246
§ 139. III. Prophetiae de excidio urbis Hierosolymae » 247
§ 140. Continuatio » 250

Articulus IV.

§ 141. De vaticiniis in Christo adimpletis » 250
§ 142. A. Prophetiae tempus Messiae respicientes *pag.* 250
§ 143. B. Prophetiae characteres Messiae praesignantes » 253
§ 144. I. Christi ortus, et nativitas » 253
§ 145. II. Christi vita, et res gestae » 255
§ 146. III. Christi passio, et mors » 257
§ 147. IV. Christi status post mortem » 259
§ 148. Continuatio » 260

Articulus V.

§ 149. De Religionis christianae propagatione, efficacia et conservatione » 263
§ 150. A. Religionis christianae celerrima propagatio » 263
§ 151. B. Religionis christianae stupenda efficacia » 268
§ 152. C. Religionis christianae mira conservatio » 271

Articulus VI.

§ 153. De Religionis christianae excellentia » 273
§ 154. I. De Religionis christianae antiquitate » 273
§ 155. II. De Religionis christianae absoluta perfectione » 274
§ 156. III. De Religionis christianae indefectibilitate » 278
§ 157. Conclusio capitis » 279

Caput V.

§ 158. De Gentilismo, Iudaismo recentiori, et Muhammedanismo » 280

Articulus I.

De Gentilismo.

§ 159. Gentilismi notio, et origo » 280
§ 160. Gentilismo desunt Revelationis a) characteres interni » 283
§ 161. . . . . b) characteres externi » 285

Articulus II.

§ 162. De Iudaismo post Christum » 285

Articulus III.

§ 163. De Muhammedanismo » 287
§ 164. Conclusio » 290
§ 165. Doctrinae usus » 291
§ 166. Appendix de mythica Evangeliorum expositione » 294

THEOLOGIAE GENERALIS

PARS III.

§ 167. Demonstratio Religionis, seu Ecclesiae Catholicae *pag.* 296

SECTIO I.

§ 168. De principio constitutivo, seu de fontibus Religionis christianae » 297

Caput I.

§ 169. De sacra Scriptura » 298

Articulus I.

§ 170. S. Scripturae notio, et divisio » 298

Articulus II.

§ 171. De S. Librorum inspiratione » 299
§ 172. I. Inspirationis notio » 299
§ 173. II. Inspirationis possibilitas » 301
§ 174. III. Inspirationis realitas » 302
§ 175. A. Argumentum biblicum » 303
§ 176. B. Argumentum ecclesiasticum » 306

Articulus III.

De S. Scripturae canone, et versionibus

§ 177. I. De S. Scripturae canone » 310
§ 178. II. De S. Scripturae versionibus » 314

Articulus IV.

§ 179. De S. Scripturae usu » 316
§ 180. I. De S. Scripturae praestantia, et utilitate » 316
§ 181. II. De S. Scripturae sensu » 318
§ 182. III. De S. Scripturae lectione » 319
§ 183. Usus doctrinae traditae » 322

Caput II.

§ 184. De Traditione » 322

Articulus I.

§ 185. Traditionis notio, et divisio » 323

Articulus II.

§ 186. Traditionis divinae existentia in V. T. » 324

Articulus III.

§ 187. Traditionis divinae existentia in N. T. *pag.* 325
§ 188. A. Argumenta biblica » 326
§ 189. I. Ex origine S. Scripturae » 326
§ 190. II. Ex verbis S. Scripturae » 328
§ 191. III. Ex indole S. Scripturae » 332
§ 192. B. Argumenta historica » 334
§ 193. I. Ex SS. Patribus » 334
§ 194. II. Ex sensu Ecclesiae » 336
§ 195. III. Ex adversariis » 337

Articulus IV.

§ 196. De Traditionis divinae conservatione, et propagatione » 339
§ 197. I. De continua Episcoporum successione » 340
§ 198. II. De scriptis SS. Patrum » 342
§ 199. III. De reliquis mediis » 344

Articulus V.

§ 200. Traditionis divinae characteres 346
§ 201. I. Regula positiva » 346
§ 202. II. Regula negativa » 348
§ 203. Usus doctrinae » 349

SECTIO II.

§ 204. De principio Religionis christianae regulativo, seu de Ecclesia, et de recto rationis usu in negotio Religionis revelatae, et Theologiae » 349

DISSERTATIO I.

§ 205. De Ecclesia » 350

Caput I.

De Ecclesiae institutione, atque divisione.

§ 206. I. Ecclesiae institutio » 351
§ 207. II. Ecclesiae a Christo institutae praecipua divisio » 353

Caput II.

De Ecclesiae infallibilitate.

§ 208. Momentum doctrinae » 355

Propositio I.

§ 209. In Ecclesia adest magisterium authenticum » 356

Propositio II.

§ 210. In Ecclesia adest magisterium infallibile *pag.* 359

Articulus I.

§ 211. De infallibilitatis existentia » 359
A. Argumenta biblica
§ 212. I. Ex verbis Christi » 360
§ 213. II. Ex dictis Apostolorum » 365
B. Argumenta ecclesiastica
§ 214. I. Ex SS. Patribus » 368
§ 215. II. Ex Ecclesiae persuasione et praxi » 371
§ 216. C. Argumentum philosophico-theologicum » 372
§ 217. I. Reflexio philosophica » 373
§ 218. II. Reflexio historica » 376
§ 219. 1. De systemate Fanaticorum » 377
§ 220. 2. De systemate Socinianorum 377
§ 221. 3. De systemate Protestantium 379
§ 222. Conclusio » 381

Articulus II.

§ 223. De infallibilitatis subiecto » 382
A De Conciliis generalibus.
§ 224. I. Notio » 383
§ 225. II. Auctoritas » 383
§ 226. III. Conditiones » 386
B. De consensu Ecclesiae extraconciliari
§ 227. I. Notio » 390
§ 228. II. Auctoritas » 390
§ 229. Modus cognoscendi consensum Ecclesiae extraconciliare » 392
§ 230. I. De constitutionibus pontificiis » 392
§ 231. II. De conciliis particularibus » 404
§ 232. III. De consensu SS. Patrum, et Theologorum scholasticorum » 405
§ 233. IV. de reliquis mediis » 407

Articulus III.

De infallibilitatis obiecto.

§ 234. Momentum doctrinae » 407
§ 235. Regulae » 408
§ 236. Regularum applicatio » 409
§ 237. Quaestiones variae de iudicii ecclesiastici auctoritate » 410
§ 238. I. De quaestionibus philosophicis » 410
§ 239. II. De factis dogmaticis personalibus *pag.* 410
§ 240. III. De factis dogmaticis doctrinalibus, seu de censura librorum » 411
§ 241. IV. De beatificatione et canonizatione servorum et servarum Dei » 413
§ 242. V. De disciplina » 414

Caput III.

§ 243. De potestate Ecclesiae » 415

Articulus I.

§ 244. De sacri imperii institutione » 416
§ 245. I. De potestate Apostolorum legislativa » 417
§ 246. II. De potestate Apostolorum iudiciaria » 417
§ 247. III. De potestate Apostolorum coërcitiva » 418

Articulus II.

§ 248. De sacri imperii perduratione in Episcopis, qui sunt veri Apostolorum successores » 420
§ 249. I. Argumenta biblica » 420
§ 250. II. Argumenta ex Traditione » 422

Articulus III.

§ 251. De Primatu Petri » 425
§ 252. A. Argumenta biblica » 425
§ 253. I. Petri praerogativae » 426
§ 254. II. Petrus Ecclesiae fundamentum » 426
§ 255. III. Petrus claviger regni coelorum » 430
§ 256. IV. Petrus agnorum et ovium pastor. » 432
§ 257. V. Petrus primatum exercens » 434
§ 258. B. Argumentum ex Traditione 436

Articulus IV.

§ 259. De Sessione Petri Romae » 440
§ 260. I. Petrus Romae fuit » 440
§ 261. II. Petrus fuit Episcopus Romae » 442
§ 262. III. Petrus Romae mortuus est » 444

Articulus V.

§ 263. De Primatu Romani Pontificis 445
§ 264. I. Ex factis de Petro probatis *pag.* 445
§ 265. II. Ex SS. Patrum consensu » 447
§ 266. III. Ex Ecclesiae perpetua persuasione, et praxi » 450
§ 267. IV. Ex Conciliis » 451

Articulus VI.

§ 268. De reliquis ad hierarchiam ecclesiasticam spectantibus 453
§ 269. I. De Presbyteris » 453
§ 270. II. De Diaconis » 457
§ 271. III. De hierarchia Ecclesiae in genere » 458

Caput IV.

De Ecclesiae visibilitate, eiusque membris.

§ 272. Momentum doctrinae » 459

Articulus I.

§ 273. Ecclesiae visibilitas probatur » 459
§ 274. I. Ex genuina Ecclesiae notione » 459
§ 275. II. Ex S. Bibliis » 460
§ 276. III. Ex constanti Traditione 462
§ 277. IV. Ex ratione theologica » 463

Articulus II.

§ 278. De membris Ecclesiae » 464
§ 279. I. Quinam sunt membra Ecclesiae? » 465
§ 280. II. Quinam non sunt membra Ecclesiae? » 466

Caput V.

De Notis verae Ecclesiae.

§ 281. Momentum doctrinae » 468

Articulus I.

§ 282. Theoria de Notis verae Ecclesiae » 469
§ 283. I. De Nota Unitatis » 472
§ 284. II. De Nota Sanctitatis » 477
§ 285. III. De Nota Catholicitatis » 480
§ 286. A Catholicitas quoad locum » 480
§ 287. B. Catholicitas quoad tempus » 483
§ 288. IV. De Nota Apostolicitatis » 487

Articulus II.

§ 289. Applicatio theoriae traditae » 490
§ 290. I. Ecclesiae Romano-catholicae Notae competunt » 490
§ 291. II. Ecclesiis Protestantium Notae non competunt » 497
§ 292. Conclusio » 501

Appendix

De Tolerantismo religioso.

§ 293. Tolerantismi religiosi notio » 501
§ 294. Tolerantismi religiosi refutatio 502

DISSERTATIO II.

§ 295. De ratione in relatione ad Religionem revelatam spectata » 505

Articulus I.

§ 296. Theoria de usu rationis in Religionis revelatae, et Theologiae negotio » 506
§ 297. I. Rationis iura » 507
§ 298. II. Rationis limites » 508

Articulus II.

§ 299. Theoriae propositae applicatio 511
§ 300. I. In Religione invenienda.
A. Rationis iura » 511
§ 301 B. Rationis limites » 512
§ 302. II. In Religione illustranda, et tradenda.
A. Rationis iura » 513
§ 303. B. Rationis limites » 513
§ 304. III. In Religione defendenda.
A. Rationis iura » 514
§ 305. B. Rationis limites » 514

Articulus III.

§ 306. Relationes inter rationem, et revelationem » 514

Articulus IV.

§ 307. Nutus historici de influxu Philosophiae in Theologiam » 515

PARAGRAPHI

IN SECUNDA EDITIONE MUTATI

In I.	In II.	In I.	In II.	In I.	In II.	In I.	In II.
73	91	127	142	181	201	235	255
74	92	128	143	182	202	236	256
75	93	129	144	183	203	237	257
76	94	130	145	184	204	238	258
77	95	131	146	185	205	239	259
78	96	132	147	186	206	240	260
79	97	133	148	187	207	241	261
80	98	134	149	188	208	242	262
81	99	135	150	189	209	243	263
82	100	136	151	190	210	244	264
83	101	137	152	191	211	245	265
84	102	138	157	192	212	246	266
85	103	139	158	193	213	247	267
86	104	140	159	194	214	248	268
87	105	141	160	195	215	249	269
88	106	142	161	196	216	250	270
89	107	143	162	197	217	251	271
90	108	144	163	198	218	252	272
91	109	145	164	199	219	253	273
92	110	146	165	200	220	254	274
93	111	147	166	201	221	255	275
94	112	148	168	202	222	256	276
95	113	149	169	203	223	257	277
96	114	150	170	204	224	258	278
97	115	151	171	205	225	259	279
98	116	152	172	206	226	260	280
99	117	153	173	207	227	261	281
100	118	154	174	208	228	262	282
101	119	155	175	209	229	263	283
102	120	156	176	210	230	264	284
103	121	157	177	211	231	265	285
104	122	158	178	212	232	266	286
105	123	159	179	213	233	267	287
106	124	160	180	214	234	268	288
107	125	161	181	215	235	269	289
108	126	162	182	216	236	270	290
109	127	163	183	217	237	271	291
110	88	164	184	218	238	272	292
111	89	165	185	219	239	273	293
112	90	166	186	220	240	274	294
113	128	167	187	221	241	275	295
114	129	168	188	222	242	276	296
115	130	169	189	223	243	277	297
116	131	170	190	224	244	278	298
117	132	171	191	225	245	279	299
118	133	172	192	226	246	280	300
119	134	173	193	227	247	281	301
120	135	174	194	228	248	282	302
121	136	175	195	229	249	283	303
122	137	176	196	230	250	284	304
123	138	177	197	231	251	285	305
124	139	178	198	232	252	286	306
125	140	179	199	233	253	287	307
126	141	180	200	234	254		

V. ex del. D. D. Archiep.

GHIRINGHELLO

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1751 .K6771888 C001
INSTITUTIONES THEOLOGIAE DOGMATICAE GENE
3 0311 00042 7828

WITHDRAWN

BX
1751
.K677 43634
AUTHOR
1888 Knoll, Albert
TITLE
INSTITUTIONES THEOLOGIAE DOGMATICAE GENERALIS....

DATE	BORROWER'S NAME
8-28-84	RE

3 0311 00042 7626